


Oratores panegyrici

XII PANEGYRICI LATINI.

RECENSUIT

AEMILIUS BAEHRENS.



LIPSIAE

IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI

MDCCCLXXIV.

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEUBNERI.

ANTONIO KLETTIO

SACRUM

PRAEFATIO.

De XII panegyricorum latinorum codicibus qui cum aliquo fructu disseruerit adhuc extitit nemo. nam neque Hugo Ruehlius in dissertatione Gryphiswaldiae a. 1868 edita, cui inscriptum est 'de XII panegyricis latinis propaedeumata', neque uero Henricus Keilius in Plinii epistularum editionis ceteroquin laudabilis Lipsiae a. 1870 emissae praefatione [p. XXXIX—XLI] quaestionem et difficillimam et taediosissimam multum promouisse censendi sunt.

Codices in hanc editionem siue a me siue ab aliis uiris doctis uel inspecti uel collati sunt hi, saeculo XV adscribendi omnes:

I. codex Durlacensis 36 membr., olim Schwarzianus (ς), de quo cf. Ruehlius l. l. p. 9 sq. ipse Lipsiae a. 1871 contuli.

II. cod. Monacensis mss. lat. 309 chart. (m). ipse contuli pan. II—XII; nam primi lectiones, ut et in u, dedit Keilius.

III. cod. Monacensis mss. lat. 756 chart. eius specimen intercedente C. Halmio confecit Guil. Meyer.

IV. cod. Riccardianus 619 chart. (ς). ipse contuli.

V. cod. Vaticanus 3461 membr. (ς). ipse contuli.

VI. cod. Vaticanus 1775 membr. (**W**). ipse contuli.

VII. cod. Vaticanus 1776 chart. (**V**). ipse contuli.

VIII. cod. Reginensis 1475 membr. (r). pan. I A. Mau, II—XII G. Kaibel contulerunt.

IX. cod. Vindobonensis 48 membr. (u). pan. II—XII Isidorus Hilberg contulit.

X. cod. Malatestianus plut. 27, 5 p. sin. membr. temporis angustiis Cesenae circumuentus pauca tantum pan. VIII capita conferre potui.

XI. cod. Venetus Marcianus 436, olim Bessarionis, membr. (B). ipse contuli.

XII. cod. Upsaliensis scr. lat. 18 chart. (A). ipse contuli.

praeterea affuit mihi exemplar editionis Nauianae, quod olim ab Ottone Jahnio possessum [cf. catal. eius libr. I p. 184] nunc in bibliotheca uniuersitatis Bonnensis asseruatur. in eo Fra. Pithoeus libri alicuius Colbertini lectiones adnotauit.

Iam quo necessitudinis uinculo libri supra enumerati inter se teneantur demonstraturis nobis in ipso huius disputationis limine remouendi sunt codices Durlacensis Riccardianus Vaticanus 3461 (ς), quippe qui interpolatione sint inquinati foedissima. quod cum non animaduerterent uiri docti, mirum quot in errores in uerborum contextu constituendo delapsi sint. mitto Arntzenios et Jaegerum: illud non mirari nequeo, uel Keilium eo usque processisse ut Uaticanum 3461 tamquam criticae factitandae fundamentum poneret, cum tamen interpolationis signa apertissima ille prae se ferat. quis enim, cum ex. gr. pan. VII 9 uerba in libris integris leniter corrupta 'iam ne procul quidem Rhenum audetis attollere' hunc in modum ridiculum in ς correcta 'oculos audetis attollere' uideat aut pan. X 23 uerba tradita 'iuxta magnitudinem exanclandi operis' hac praua coniectura in ς temptata esse ut pro 'exanclandi' substitutum sit 'audendi', quis, inquam, qui haec uideat, non statim de interpolatore mihi concedet? et haec quidem duo exempla ex innumeris promere sufficit. ita autem in uniuersum codicum Durlacensis Riccardiani Vaticani 3461 lectiones interpolatae consentiunt ut ab una stirpe non prouenisse nequeant. felici autem casu mihi con-

tigit hunc communem librorum ς fontem aperire, cum in fine peregrinationis Romanae Vaticanum 1775 (**W**) inspicere liceret. qui liber eo notabilis est quod plurimas lectiones a correctore librarii aequali in rasuris scriptas (**w** nota a nobis significatas) habet. ubicumque autem ς a ceteris libris recedunt, discrepans lectio in **W** a correctore inlata inuenitur, nisi quod, ut fere fit, in ς et interpolatio et interpolatarum lectionum corruptio interdum ulterius processit. ne quis enim existimet **W** ad unum aliquem ex ς libris esse correctum, non illud opponam **W** mihi saltim paulo antiquiorem esse uideri quam ς omnes, sed nonnulla afferam exempla quibus ex **W** fluxisse ς euincatur. igitur pan. III 6 fin. in ς habes 'et suo uterque finitur et consortis imperio': in **W** difficile dignoscas sitne 'finitur' an, quod intenta demum oculorum acie intuenti mihi apparuit, 'fruitur' scriptum. — pan. V 2 in. 'captus scilicet rex ferocissimae nationis' uox 'scilicet' ita, ut saepius in **W**, abbreuiata 'sciȝ' tali ridiculo in ς errori ansam dedit 'captus Scim rex'. — ib. 3 in eis quae in ceteris libris integris ita tradita sunt 'nec ipsis tantum fauonis' **W** litterae 'u' in 'ti' diremptione haud rara 'fationis' exhibet, unde corruptela latius serpente in ς 'factionis' factum est. — XI 30 'ne inhonores contemnerent' pro 'ne' ς 'ut' tradunt: in **W** 'ne' simillimum est illi 'ut'. — ceterum praeter Durlacensem Riccardianum Vaticanum 3461 ad ς familiam pertinent et codex Guelferbytanus Gud. 45, cuius lectiones in Pliniana oratione Keilius, in ceteris Arntzenii et Jaegerus exhibuerunt, et ille liber quem ueterem suum uocat Puteanus. porro ex ς fluxerunt excerpta Uossii ab Arntzeniis adhibita.

Libris interpolatis missis iam quid de reliquorum (**B C V W**) turba statuendum sit agedum uideamus. ex uno autem archetypo eos profluxisse omnes cum ipsa illa in mendis longe plurimis consensio mira doceat, tum diserto Ioannis Aurispae testimonio constat. huius enim

uiri docti epistolium quoddam ad Iacobinum Thomasi Thebalducci anno 1433 datum ab Augusto Wilmanns in archivio Florentino [Archivio Mediceo auanti al principato filza 96 a. 439] inuentum Henricus Keilius in programmate lectionum aestiuorum a. 1871 in uniuersitate Hallensi habendarum edidit. en habes eius particulam ad quaestionem nostram pertinentem:

> 'A Nicolai, lu quale honorai et hebe sempre per mio patre, ve prego me accomandate prima, da poi le dirrete che lu mio andare verso Cologna non è stato sensa frutto, però che io ho trovato in una bibliotheca a Magunza un codice, in lu quale si è un panegyrico de Plinio a Traiano, da lui quale non lesse mai più suave cosa, et in eodem codice sunt panegyrici aliorum autorum ad diversos Caesares.'

De Ioannis Aurispae in Germaniam itinere deque bibliothecae ecclesiae metropolitanae Maguntinae fatis diligenter egit Keilius libelli laudati pp. IV—VIII. qui quod ex Aurispae uerbis ib. p. VIII rectissime conclusit ilico subiciam: 'et ipse Aurispa iis quae scribit se non nouisse eas orationes indicat neque ante eum ulla eorum mentio apud Italos facta est. sed post eam aetatem multi codices illarum orationum in Italia scripti sunt iique scripturae genere ut in Plinii oratione ita in reliquis adeo inter se consentientes ut dubitari nequeat quin ex uno archetypo tum primum inuento omnes ducti sint.'

Ex hoc igitur archetypo Maguntino (**M**) quibus gradibus codices nostri nouicii descenderint iam cum cura disquirendum est. nihil enim ab omni parte falsius uidi quam quod Keilius [praef. Plin. p. XLI] posuit, in certas classes libros quinto decimo saeculo ex uno archetypo descriptos distribuere uelle inane plerumque et parum fructuosum negotium esse.

Communem quandam originem clare et aperte prae se ferunt libri Monacensis 309 (**m**), Vindobonensis (**u**), Reginensis (**r**): tam conspirans idque singulare cor-

ruptionis genus in his inuenitur. itaque nihil curantes singulorum scripturas deprauatas consentientes eorum lectiones siglo **C** usi exhibuimus, nisi quando locis grauiter corruptis de singulis testari e re uisum est. ad familiam **C** pertinent codex Liuinei, quem V nota insigniuit ille, Heinsianus a Scheffero adhibitus (nisi forte hic idem est atque Reginensis), Monacensis 756.

Communis itidem originis sunt libri Venetus (**B**) et Vaticanus 1776 (**V**), quippe qui in lectionibus plerumque congruant. cum his porro faciunt libri Malatestianus et Colbertinus Pithoei.

Licet autem **C** satis diuersus sit a **B V**, tamen eodem cum his utitur parente. quod ut demonstrem, adscribam ex. gr. ex pan. VII eos locos quibus tres illi libri contra **W** siue in uerborum omissionibus siue in scripturis deprauatis consentiant: cf. p. 160, 24; 161, 8, 17, 31; 163, 5; 164, 19; 165, 8, 11, 23, 26; 169, 21; 170, 1, 27, 32; 172, 3; 173, 6, 18; 175, 25; 176, 14, 26 ectr. — unde elucet **W** eis de quibus modo dixi libris bonitate ita superiorem esse ut et pleniorem et puriorem uerborum contextum tradat. et sane hic liber inter optimos omnium qui aetatem tulerunt codicum esset numerandus, nisi illam quam supra commemoraui labem accepisset. nunc cum corrector in eo grassatus sit, haud paucis locis, ubi **B C V** nos deficiunt, quid antiquitus traditum sit ignoras. hic autem loci paulo accuratius de correcturis in **W** obuiis mihi agendum est. tantum enim abest ut eis tantum locis quibus falsa tradita esse ei uidebantur operam nauarit doctus ille Italus, ut saepenumero lectiones cum **B C V** congruentes coniectura restituerit. mihi itaque non dubium est quin haud raro ille meros eius qui **W** exarauit librarii errores correxerit; cuius rei unicum sufficit hoc afferre exemplum quod ubique fere litterulae 'et' in rasura sunt scriptae, ut conicias primitus eas solito compendio (&) exaratas fuisse. ceterum quamquam correcturae illae plerumque erasis prioribus scripturis factae sunt ideoque a

prima manu crassioribus ductibus dinosci possunt (rarius enim a **w** uel in margine uel super linea additae sunt uoces litteraeue), tamen aliquando fallunt oculorum aciem, ut qui post me, cui parum temporis huic libro impendere licuit, iterum **W** conferet interdum fortasse primae manui (**W**) attributum a me inuenturus sit, quod correctori (**w**) attribui debuit. ea uero ratione in commemorandis correcturis usus sum ut, ubicumque traditam in omnibus libris [siue solo **A**] scripturam corrector coniectura siue recta siue falsa attrectauit, sedulo adnotarem, ceteras omnes et rasuras et correcturas silentio praetermitterem. — sed fac **W** integrum nullumque correctorem passum ad nos peruenisse: nequaquam tamen ille, quantumuis **B C V** libris potior, ad has orationes recensendas solus sufficeret. saepissime enim in **W** una cum **B C V** uel singula uel complura uocabula desiderantur, quae in exemplaribus editis inde a Cuspiniano circumferuntur neque tamen uirorum doctorum coniecturis inlata esse possunt. itaque cum peruestigatis quantum potui Germaniae Italiaeque bibliothecis uere anni superioris ad parandam hanc editionem accederem, non eram nescius quam saepe debili et infirmo fundamento haec mea recognitio inniteretur.

Praeter Liuineium autem, de cuius subsidiis infra uberius exponendi locus erit, plenioribus codicibus usi sunt duo ex prioribus editoribus, Ioannes Cuspinianus et Ioannes Scheffer. et de libris a Ioanne patruo adhibitis haec in praefatione editionis Uiennensis a. 1513 tradit Georgius Cuspinianus: 'nam praeter hoc quod multa erant perperam in his elegantissimis orationibus inuersa ac corrupta, integras etiam chartas ille noster parens repperit, in uetustissimis suis exemplaribus, ac restituit.' dolendum autem est nihil certi de chartis illis relatum neque uarias ex eis lectiones in margine adnotatas esse. hinc enim Keilius [Plin. praef. p. XLII sq.] additamentis in sola Cuspiniani editione extantibus, quippe quae ex mera coniectura

prouenerint, fidem omnino denegat. quem tamen id ipsum quod supplementa illius in pan. II—XII postea a Liuineio ope libri Bertiniensis saepissime sunt confirmata a tali iudicio debuit deterrere. quamquam sane fateor aliud esse in uniuersum concedere, aliud in singulis locis semper quid Cuspinianus ex coniectura quid ex libris posuerit certo diiudicare; id quod ego ipse in Plinii oratione recensenda, nondum libro optimo **A** adiutus, plenissime sum expertus, quamuis iam tum satis mihi constaret Cuspiniano egregium aliquem codicem affuisse. huius autem simillimum librum possedit Ioannes Schefferus eiusque in optima sua Pacatiani panegyrici editione (altera Upsaliae a. 1668 emissa utor) saepiuscule mentionem iniecit. cuius libri praestantiam simulque mei apparatus critici infidam naturam cum aliquando otiosus mecum reputarem, forte suspicatus sum — paene autem mihi ipse irascor quod tam bona suspicio tam sero in mentem uenit; iam enim Pliniana oratio exercebat prela — suspicatus sum, inquam, Schefferi illum codicem fortasse Upsaliae, ubi ille diem supremum obierit, adhuc asseruari. facile adduxi A. Klettium ut ea de re Upsaliam litteras daret. mox responso accepto me coniecturae non falsum fuisse certior fio. tum uero eiusdem Klettii industria ac nauitate et intercedente summo imperii Germanici magistratu factum est ut, postquam quattuor fere per menses inter spem metumque dubius haesi, fine mensis Februarii h. a. codex diuturnis uotis expetitus tandem in manus meas ueniret.

Continet autem hic liber, qui a. 1719 post Ioa. Schefferi mortem in uniuersitatis Upsaliensis bibliothecam peruenit ibique sub signatura 'Scr. Lat. 18' asseruatur, a me nota **A** insignitus, uaria eaque diuerso tempore maximam partem*) manu Ioannis cuius-

---


*) ab altera manu eaque magis perspicua et nitida scriptae sunt pp. 52 (hoc est, a. pan. I c. 55 uerbis 'sed uirtute ac meritis') — 120ª.

dam Hergot scripta haec (quae index p. 1 indicat): *modus legendi in libro decretorum* p. 2—4, *Alphabetum decretalium* p. 4—39, panegyrici latini p. 40—110[b], *Oratio Christianissimi Francorum regis oratoris ad Sigismundum super Confoederationem* p. 110[b]—115[b], *Ad testacionem belli plusquam ciuilis Gallici et suasionem pacis Epistula ab Alano aurige* p. 115[b]—119[b], *Metra super eodem in forma orationis Rhetorice ab Alano ędita* p. 119[b]—120[a], *descriptio Comete que apparuit Argeñ in mese Iunii Anno dñi MoCCCClVI*, cui *Io. Hergot* subscriptum est, p. 120[b]—122[a], *Facetiarum Inuectiuarum plerumque in pogium Bambalion*, cui *Thaurini 1477* subscriptum, p. 123—147, *Francisci Philelfi prefatio ad Nicolaum Quintum summum pontificem in Plutarchi Cheronensis Apophtegmata Laconica* p. 148[a], cui subiecta sunt *Plutarchi Apophtegmata Laconica* latine conuersa p. 148[b]—170[a] cum hac subscriptione *Thaurini Kal. Febr. MoCCCCoLV Hergot*, tum *Exempla uirorum illustrium Romanorum* p. 171—184[a], uariae Ioannis Hergot orationes p. 184[a]—186[a], *Epistola Yeronimi de parentibus honorandis* p. 187—191, iterum ad Ioannis Hergot res pertinentia p. 191[b], deinde tractatus *de Calamitate ecclīe Maguntiñ*, qui in Boehmeri fontibus rerum Germanicarum II p. 253 sqq. extat quemque in Wattenbachii usum Eduardus Sievers noster contulit, cum hac subscriptione *Scriptum Maguntie e quodam libreto uetusto Klis Maias Anno dñi MoCCCColVIII per me Io. Hergot* p. 192—198, denique *Facetia de Anno MoCCCColXo*, cui subscriptum *Io. Hergot manu propria ex uetustissimo exemplari magun[e] apud scm̄ heymeramū scripsit* p. 199[a].

De Ioanne Hergot theologo Marburgi nato et anno 1454—55 uniuersitatis Taurinensis rectore nuperrime egit Hermannus Mueller in Francisci Schnorr de Carolsfeld 'Archiv für Litteraturgeschichte' uol. III p. 169—181, qui tamen minus recte, ut uidetur, eum 'Herrgott' ex codice Gryphiswaldensi (Mss. Lat. fol. 15*)) uocat.

*) ex hoc libro cum alia, tum nonnullas Hergoti oratio-

Ex eis quae in **A** p. 198 et 199 leguntur subscriptionibus patet Hergotum ab a. 1458—1460 Maguntiae commoratum esse. quae igitur magis in promptu est coniectura quam eodem illo tempore panegyricos quoque eum ex codice Maguntino partim ipsum descripsisse, partim describendos curasse (cf. not. p. XI)? ea autem cum cura illi descripti sunt ut, si leuidenses quosdam scribae errores, ut par est, omittimus, fere depicti uideantur archetypi ductus. iam si **A** cum **B C V W** comparamus, dici uix potest quantum hi prae illius praestantia sordeant. cum autem sexcentis locis siue in lacunis siue in corruptelis siue in praua uerborum collocatione **B C V W** quasi agmine facto contra **A** stent, fieri non potest quin illi, quamuis diuersi inter se, tamen a communi sint stirpe deducti. itaque si reputamus in Italia plerosque eorum scriptos esse, quid, quaeso, ueri est similius quam ex apographo a Ioa. Aurispa facto **B C V W** fluxisse? hinc stemma codicum meorum euadit hoce:



Duo igitur archetypi Maguntini facta sunt saeculo XV apographa, unum diligentius, alterum utpote ab Italo neglegentius. neque tamen eo solummodo peccauit Aurispa quod multa false descripsit, multa omisit: ipsum iam hic illic criticum egisse potest animaduerti. ueluti pan. IX 22 'cessat terra noualibus, dicuntur interdum flumina resistere, sol ipse noctibus acquiescit',

nes l. l. p. 314—320, edidit Muellerus, quarum plerasque etiam Upsaliensis exhibet. false autem suum codicem manu Hergoti scriptum esse statuit idem.

in **M** pro 'sol' id quod **A** praebet 'sed' uitiose scriptum erat: unde, ut librorum **B C V W** consensus docet, Aurispa praue interpolauit 'sed ipse dies noctibus acquiescit'. — pan. XII 3 **A** tradit 'de te igitur mihi sermonis huius auspicium ille felicitatis publicae auspex dies' idemque in suo libro repperisse uidetur Cuspinianus, qui pro 'de te' recte reposuit 'det': at enim in **B C V W** interpolatum est 'de te ig. m. serm. h. *erit* auspicium' eqs. — et haec quidem de ipso Aurispae exemplari. in codicibus autem ex eo profectis illud obseruare licet, cum remotiore quoque affinitatis gradu latius propagari et corruptelam et interpolationem. haud raro enim in **B C V** rectam aliquam lectionem inuenimus, quam tamen Italo nesciocui correctori deberi consentiens librorum **A** et **W** scriptura apertissime docet. nempe ubicumque **W**, qui nunc quidem optime Aurispae exemplar nobis repraesentat, cum **A** consentit, **M** quoque ita legisse ultro apparet. ubi autem **W** cum **B C V** ita consentit ut eius scriptura a correctore sit restituta, **A** solus, ut nunc res est, archetypi scripturam nobis reddere putandus est. ueluti XII 3 'quasi praeterita sint oblitterata si desinas' extremum uocabulum non dubito quin in **B C V** ex Itali cuiusdam coniectura sit restitutum: nam id quod **A** habet 'desidenas' Aurispam quoque ex **M** descripsisse rasura duarum litterarum inter 'desi' et 'nas' in **W** demonstrat. — sed ut plane appareat quam longe in codicibus Italicis, maxime **B C V**, processerit interpolatio (quamquam longe diuersa illa ab ea quae in **W** optinuit), afferam exempla ex corruptelae genere eo quod dittographiam uocare consueuimus prompta: nimirum accidit interdum in **M** ut librarius uoculam aliquam omitteret, deinde errore animaduerso ita reponeret ut tamen id quod iam descripserat uocabulum subsequens non expungeret, sed post repositum illud iterum repeteret. huius mendi exempla integra omnes mei codices praebent haec: p. 48, 1 'in te, Caesar, muneribus omnibus tuis omnibus comparo' et p. 101,

25 'a me hoc praecipue hoc piae uocis officium'. et in his quidem iam **w** priora illa 'omnibus' et 'hoc' recte deleuit. sed talibus locis cum corruptela in propatulo esset, iam in **B C V** alterutra ex uocibus dittographis tacite omissa est, quamquam non semper recta. ita p. 118, 12 **B C V** 'scio haec inquam, uir perf.', at **A W** (= **M**) 'scio hec inquam hec uir perf.' tradunt, unde corrigendum erat 'scio, inquam, haec'. porro p. 160, 11 **B C V** 'subitam dicendi facultatem', **A** 'subitam dicendi facultatem dicendi' legunt; et hoc quidem in **M** extitisse testatur **W**, in quo post 'facultatem' rasura septem litterarum est, unde priore potius 'dicendi' deleto 'subitam fac. dicendi' rescribere debui. sed iam in ipso Aurispae exemplari talia medelam erant passa; cuius rei luculentissimum praebet exemplum p. 162, 15 'generauit adhuc toto corpore uigens', ubi **B C V W** 'toto adhuc corpore', at **A** 'toto adhuc toto corpore' habent, quam archetypi scripturam non recte utique correxisse Aurispam ex codice Bertiniensi, de quo statim disseretur, apparet. idem uitium fortasse p. 156, 13 et 189, 7 alibi subest.

Scio fore qui mirentur quod non ubique archetypi **M** lectiones **A** maxime et **W** libris innisus omissis reliquorum **B C V** testimoniis restituerim. sed primum nec **A** uitiorum scribae culpa commissorum immunis nec **W** integer est. deinde uero non tantum mihi sumpsi ut omnibus locis quid in **M** fuerit scriptum pro certo affirmarem, cum praesertim uiris doctis hanc nouam de codicibus disputationem uel comprobandi uel refellendi facultas non dari potuerit nisi integram lectionis uarietatem exhibendo. denique hoc considerandum erat. cum enim mihi pro meis uiribus Italiae tantum Germaniaeque bibliothecas perscrutari liceret, e re uisum est ut ei qui ceteras Europae, maxime Parisinam, bibliothecas peruestigandi munus post me suscipiet suppetat apparatus, ex quo cui potissimum classi nouus quisque liber sit adscribendus diiudicari possit. quodsi cui contigerit Aurispae exemplaris apo-

graphum libri **W** simillimum inuenire (nam tertium archetypi **M** exemplar inueniendi spes blandior quam certior est*)), is abiectis **B C V** similibusque iam multo multoque certius ubique ipsius **M** scripturas poterit redintegrare.

Scripturae diuersitatem ex **A** et **W** adposui fere omnem minutissimis quibusdam omissis. de **C** iam supra dixi. **B V** librorum inde a pan. II plerumque lectiones consentientes dedi, cum praesertim **B** propriis uitiis plurimis eisque ad rem criticam prorsus nihil ualentibus scateat. in uerbis scribendis itidem **A** maxime et **W** secutus sum usque adeo ut uel inaequalitatem non fugerem; ueluti bis ex **A** 'reciperari' formam recepi, cum multo pluribus locis 'recuperari' ille una cum reliquis praebeat. itaque uelim, ubicumque de scriptura uerborum nil adnotatum est, in uniuersum quidem contextum codices ipsos repraesentare putes (ueluti pan. I 31 'percrebuit', quod moneo propter Buechelerum in Fleckeiseni annal. 1872 p. 115); quamquam omnem lectionis uarietatem ad meram orthographiam spectantem adferre parum utilitatis, utpote in libris saeculi XV, habere est uisum. itaque hic moneo me tacite correxisse formas in omnibus libris meis obuias has *connecto*, *connubium* sim.; *Danubius; dii*, *diis; intelligere*, *negligere; solemnis; adolescens* (sed **W** haud raro *adul.*); *pulchritudo* sim. (in his quoque **W** aliquando uerum exhibet); *illico* et quae sunt huiusmodi similia.

Restat ut de ordine quo in **M** singulae orationes sese exceperint dicam. nos enim ab ordine in plerisque editionibus recepta cumque rationibus chronologicis congruenti non recedere par erat. ita autem hoc munere fungar, ut simul quam quisque panegyricus in **A B W** (nam **V** titulis omnino caret, in **C** autem

*) Schwarzius, qui codicum Parisinorum ad pan. I collationes possedit, in nullo eorum Cuspiniani additamenta inueniri alicubi testatus est. Cuspinianum autem ipsum **A** libro usum esse suspicor.

libere effecti sunt) inscriptionem prae se ferat hic sub uno quasi conspectu ponam (nam in ipso apparatu critico id satis dilucide non potuit adnotari):

I. *Plinii Iunioris panegyricus* (m. rec.) **A**. *Incipit panegyricus Plinii Secundi Traiano Augusto* **W**, in **B** deest inscriptio.

II (= XII ed. meae). *Finitus panegiricus primus plinii. Incipit panegiricus latini pacati dreptani dc̄us Theodosio ectr.* litt. rubr. **A**. *Finit panagyricus p. secundi ad Traianum. Incipit panagyricus Latini Pacati Drepani dictus Theodosio feliciter* **W**, itaque, nisi quod *panegyr.* et *Lege feliciter*, **B**.

III (= XI). *Finitus panegiricus latini pacati dreponi dc̄s de ii Theodosio in urbe eterna Romana. Incipit grarum actio Momertini de consulatu suo Iuliano Imp̄ri* **A**. *Finit panegyricus drepani dictus theodosio in urbe eterna Romana. Gratiarum actio Mamertini de consulatu suo Iuliano Imperatori* **W**. *Finit Panagiricus Latini pacati drepani dictus Theodosio. Incipit gratiarum actio mamertini de consulatu Iuliano imperatori* **B**.

IV (= X). *Explicit oracio Mamertini. Incipit Nazarii dc̄us Cōstātino* **A**. *Finit oratio Mamertini. Incipit Panegyricus Nazarii dictus Constantino Caesari* **W**. *Finit oratio Mamertini facta iuliano Imperatori pro gratiarum actione. Incipit Panegyricus Nazarii dictus Constañ Imp̄.* **B**.

V (= VIII). *Panegiricus Nazarii explicit. Incipiunt panegirici diuersorum VII* **A**. *Finitur panegiricus Nazarii. Incipiunt panegerici diuersorum VIII. Incipit primus dictus Constantino* **W**. *Finit Panegyricus Nazarii dictus Constantino Imperatori. Incipiunt panegyrici diuersorum septem* **B**.

VI (= VII). *Finitus primus. Incipit secundus* **A B**. *Finit primus. Incipit secundus dictus Constantino* **W**.

VII (= VI). *Finit secundus. Incipit tertius* **A B W.**
VIII (= V). *Finitus (finit* **B W**) *tertius. Incipit quartus* **A B** et **W**, sed hic *Dictus Maximiano* addit.
IX (= IV). *Finit quartus. Incipit quintus* **A B W.**
X (= II). *Finitus (finit* **B**) *quintus. Incipit sextus* **A B**. *Incipit sextus panegiricus dictus Maximiano et Diocletiano* **W**.
XI (= III). *Item eiusdem Magistri memet Genethliacus Maximiani augusti* **A**. *Incipit sextus. Item eiusdem magistri mamertini genethliachus maximiani augusti: ~* **B**. *Eiusdem Genthliacus Maximiani Augusti et Diocletiani* **W**.
XII (= IX). *hic dictus est Constantino filio* (corr. ex *filii*) *Constantii* **A** et ita **B**, nisi quod *finit genthliachus Maximiani Augusti* praeponit. *Panegyricus dictus Constantino filio Constantii* **W**. in fine huius orationis *Explicit* **A W**, *Finis* **B** habent.

Iam uero circumspiciendum est, ecqua alia praeter **M** subsidia critica nobis suppetant. et in Pliniana quidem oratione schedae Ambrosianae rescriptae assunt, inuentae illae una cum Frontonis ac Symmachi reliquiis ab Angelo Maio in codice olim Bobiensi, nunc Ambrosiano [ord. sup. E. 147] saeculi septimi uel octaui. fragmenta Pliniana quatuor foliis (nunc p. 21. 22, 27. 28 et p. 361. 362, 367. 368 numeratis) continentur. disseruit de his schedis diligenter, ut solet, H. Keilius in programmate uniuersitatis Halensis a. 1869/70 et in editionis Plinianae mai. praef. p. XLIV—XLVI. quae schedae [**R** notaui] ut bonarum lectionum sat magnum numerum exhibent, ita quibusnam maxime praeter uitia uulgata generibus mendorum **M** deformatus sit docent, nempe uerborum et omissione et praua collocatione.

Ioannes Liuineius Belga, uir de his oratoribus immortaliter meritus, quos ad editionem suam (Antuerpiae a. MDXCIX ea prodiit) libros adhibuerit in praefatione docet lectores: nempe esse penes se codicem

in membranis exaratum (ad familiam C pertinet et hic illic, ex Cuspiniani puto editione, interpolatus est), porro ueteres schidas a Carolo Langio ad Frobenianam lectionem conlatas (nil nisi meras Langii coniecturas continent); tum apographi Bertiniensis a Francisco Modio conlati lectiones a Marco Welsero dono acceptas. hae autem lectiones e monasterii Bertiniensis (quod Audomaropole erat) codice quodam promptae quanti essent pretii dudum intellexere uiri docti. de ipso codice Modius Kal. Augustis a. MDXCVI haec ad Lipsium scripsit [Burmanni sylloge epist. I p. 110]: 'meditabor sic quoque tamen extrudere hac aestate Panegyricas meas lectiones, ubi multae, ut spero, non contemnendae delectabunt te emendationes et castigationes bonae ex libro Bertiniensi, non nimis bono illo quidem, sed tamen tali ut mihi ad eas faculam praeluxerit.' — hunc codicem, licet multas egregias lectiones praebeat, tamen, quia ei cum ceterorum librorum scripturis non conueniret, haud raro interpolationis reum fecerunt docti. nunc demum reciperato a me codice Upsaliensi illius quoque praestantia plane fit manifesta. ceterum ad plenam illius cognitionem multa desunt. nam et quamnam ad editionem Modius contulerit Bertiniensem nescimus et in eius lectionibus adferendis ipsum Liuineium hic illic errasse mihi quidem pro explorato est. equidem, ut par erat, omnes Bertiniensis scripturas commemoraui, de quibus disertis uerbis testatur Liuineius (nam in his rebus ex silentio nil posse concludi prudentium consentit opinio), exceptis nimirum eis quas cum **M** consentientes et indubitate ueras in ipsum uerborum contextum recepi. iam in uniuersum si rem spectamus, liber Bertiniensis locis plerisque cum **M** consentit, id quod etiam de eis quibus nihil ex illo adnotatum est statuere licet. insunt tamen illi lectiones eae quae, quoniam ex scribae alicuius cerebello profectae esse non possunt, illum non ex ipso **M** originem duxisse euincant; cf. ex. gr. p. 93, 18 'oceanum' *Bert.:* om.

M; p. 106, 5 'petendum' *Bert.*: 'petendam' **M**; p. 135, 26 'fecisti' *Bert.*: 'uicisti' **M**; p. 141, 26 'laude' *Bert.*: 'rep. laude' **M** ex dittographia. — hinc Bertiniensem ex eodem quo **M** codice descriptum esse puto. nam ne quis illum tertium quoddam Maguntini exemplar esse existimet, mirus certe uidetur esse duorum apographorum (**A** et Aurispae) in tot locis ex **M** false descriptis consensus.

Sed fac ex aliquo Galliae angulo communem illum Bertiniensis et Maguntini fontem in lucem emergere: ut de nonnullis locis certius iudicium ferre liceret, ita in uniuersum easdem atque illi corruptelas prae se ferret. nimirum ex ingenio repetendum est auxilium ut suus his panegyristis reddatur nitor. quo emendandi negotio cum honore functi sunt ex prioribus cum Cuspinianus, Rhenanus, Puteanus, Gronouius, Acidalius, Rittershusius, Gruterus, Schefferus, tum, qui unus hos omnes ingenii acumine anteit, Liuineius. nostra aetate Franciscus Eyssenhardtus in programmate Berolinensi a. 1867 et Mauricius Hauptius*) in uariis Hermae fasciculis bonas aliquot emendationes protulerunt. ipse de nonnullorum locorum emendatione egi in musei Rhenani uol. XXVII p. 215—225. — ceterum in hac editione philologi tantum partes implere studui; meo apparatu instructi suo fungantur officio historici. excludendas autem putaui ab hac praefatione quaestiones quae ad singularum orationum auctores, ad studia eorum, maxime Ciceroniana atque Uergiliana, aliaque pertineant: alio fortasse haec omnia cum cura perscrutabimur tempore.

Sed quoniam, cum **A** Ienae conferre liceret, Plinii panegyricus iam impressus erat, hic saltim illius lectio-

---

*) quam in Hermae uol. VIII p. 178 ad p. IV, 4 'irrogaret' prompsit emendationem, hanc oblitus erat uir ille doctissimus iam duobus annis ante a me l. l. editam esse. idem quod ib. p. 178 ad Florum protulit, id a me praeceptum est in Fleckeiseni ann. 1872, p. 51.

nes ita cum lectoribus communicabo ut, ubicumque **A** cum consentienti ceterorum librorum scriptura congruat, non adnotem: lectiones igitur in apparatu critico nota **M** insignitas, nisi aliud hic adnotatum est, **A** quoque exhibere scias.'

p. 1, 10 cum *om.*

p. 2, 9 de principe palam quae — 10 eadem secreto quae prius loquimur

p. 3, 2 cognomine — 3 *sq.* quam continue (*uel* contimie) commune quam ex — 5 alteriusque — 6 fecit — 8 agnoscat enim sentique — 18 possunt — 21 partum — 26 cum de *usque ad* auaritiam *om.*

p. 4, 1 quod ex — 2 uocem — 10 et quod hic sinis *om.* — 15 ditioni — 20 absoleuit — 32 festinatis *habet*

p. 5, 4 respublica] respexissent — 11 hostiarum] hostiū *expunctis post* ū *litteris* rū — consulentibus *om.* — 17 te *om.* — 20 erat bene — 30 nascantur *habet*

p. 6, 22 exteriusque — 26 aeui] cui — 27 ultra — 33 inter homines consecutus

p. 7, 9 te filium filium non — 13 transmissuros — 24 genuerit

p. 8, 1 tum *om.* — 2 ante Gemaleni thorum — 7 fuit ut q; qui optaret — 10 decorarent — 11 collocauit — 20 sed adoptati fuit *habet*

p. 9, 8 es non est — 18 Caesar iam] cesaream — 21 imperatorem te — 31 cum *om.*

p. 10, 9 non qui — 12 hercle — 13 nisi quam placuisset — ad quod boni — 15 ygainibus — 25 tua uota — 27 illum

p. 11, 3 ipse — 7 honestati — 8 ditauit — 9 maiestas — 15 hoc est — 16 sed et licet illum turis aris [*lege* licet illum turibus aris, puluinaribus flamine colas] — 24 ipsum
is *m. ead.*
Imperium quā | Imperator cuius pulsi — 26 quod] si
ium *m. ead.*

p. 12, 3 unum *om.* — imperatorum — 4 contectica edibus [*uulgata in* W *ex corr.*] — 5 inuecta — 12 Danuuius] domibus — 23 sitim ferrent

p. 13, 2 uiderentur — 6 mihi] tibi — 7 imperio uideretur — si inter *usque ad* talis esset *om.* — 12 ueterarum — 15 patria in uirtute — 28 Germanieque tum plur.

p. 14, 3 rapere sed non — 6 tibi nullus — 7 statutorum — 8 miser an — 11 inter ipsa Germ. — 14 eorum — 17 indefessasque — 28 oportunitates [*ita* W *quoque*]

p. 15, 8 cuius] ciuis — 17 ex *om.* — 19 imp. augustum — 20 triumphi, i *ex* um *corr.* — 24 accipiet et — 26 sed imperium — 27 reportantem pacem tranq. — 29 fuit

p. 16, 4 censiet — 8 hostibus [hostilibus *in* W *ex corr.*] — 10 ingentium duca nom. — 15 autem] ante — 17 minarumque] nimorumq; [*an* animorumque?] — 20 quandoque

e

p. 17, 3 putat — 5 torpore — 6 et *om.* — 12 ualidiorum *habet* — 14 quidem omnibus — 15 te quisquam absente retin.

p. 18, 3 diceris — 8 exereret — dextera — 17 dicere [*ut* B C V W; *cf. corrigenda*]

p. 19, 12 primum quid dies — 20 noua etas — 22 tu — 23 neglecti — 25 indalii — 32 augustumque

p. 20, 6 aucta — 9 decoro — 19 obsequebare — 24 salutauerint — 29 dies qui hunc diem genuit [*eo quod* B C V W genuit diem *praebent apparet* diem *in* M *superscriptum glossam esse*]

p. 21, 6 iteraturusque — 15 que prius oris [*recte*] — 17 eadem q; illa omnia — 29 princeps

p. 22, 3 Non uereor — 17 quanta] qua — 18 tibi curae — 23 flum. destinabatur — 28 admonere

p. 23, 6 precibus] principibus — 17 deberent — 21 loc. attollendos [*ita* m u *quoque*] — 26 defectum — 29 puerorum *om.* [*recte*] — 31 imbutus

p. 24, 12 ille in tam breui — 15 in tota tua — 21 quamquam *om.* — ne *habet* — 22 ciuis est quicquam — 26 flag. tui — 28 letiora

i

p. 25, 9 hiis — 31 annus] ampius [*fort.* campus] — 33 quiritantibus *habet*

p. 26, 3 quicquam uid. — 6 agendisque — 9 ipsa *habet* — 12 in *om.* — 14 ingentibus quidem tu ne quoque ille — 17 frustraque — 21 inter — 24 refugium — 29 potestas tua

p. 27, 23 ad *om.* — 29 turbis [*in* W turbis *est*] — 34 qua

p. 28, 4 annus — 15 atque mala sterilitas — 18 connectat — 19 cupiant (*cetera ut* B C V W) — 20 quanta libertate — 22 societatis — 24 omnium *habet* — 27 recondant

p. 29, 7 accederet — 19 in ha re — 24 ac tu — 24 del. inductum quasi — 30 auar. auersti

p. 30, 2 tum fort. — 7 comes opes — 15 fructus — 16 unda saxa — 17 postergum — 27 cautibus ymo centesimus — 34 neque uitant ea

p. 31, 3 sed'spectant — 9 imperialis Nerua [*lege* imperator talis Nerua] — 11 edicti [*lege* edictis] — 14 actu — 27 ac — 32 cruciatum

p. 32, 9 uolo — 15 cogerentur hiis — 25 seu placium — 31 saluo

p. 33, 1 inesset *om.* — 8 apiscerentur — 16 *et* 17 partius

p. 34, 4 minuere] munere — 8 in patrinis — 15 fuisset patris — 27 semel et par. — 31 lateras

p. 35, 3 dei *om.* — 11 remotioris [*recte*] — 12 *sq.* uice-

simam ut prius inferre cogentur — 17 seruiet *habet* — 18 cuiuscumque modi ea pecunia ex alicuius hereditate obuen. — 23 qui ex eiusmodi causis — 26 possint

p. 36, 2 bona et sanguinem — 5 uel etiam *habet* — 13 frugalitas *habet* — 16 nihil rapuissent nihil retinuissent defuerint — 18 nil larg.

p. 37, 1 crimen] tamen — 8 accusator e — 12 in terra — 13 sunt tamen — 27 probabitur — 29 mori homines

p. 38, 5 principium — 8 cibos — 10 hausta et implicita retro — 16 aptare — 30 ac] et

p. 39, 4 rectos [*lege* et rectos] ac inuidos — 5 attolles — 13 expetunt — 14 fragilitatis — 21 sua queque — denique — 22 quos pat. uirtutis — 27 hercle — 28 qui in mus si in mali [*lege* qui inuisissimi malo] — ut sint

p. 40, 10 in pten — 13 obsequi — 17 possumus — 21 nobis *om.* — 23 exemplo — 26 efficit — 31 exactum *bis*

p. 41, 3 plausor — 4 auersatur *habet* — 5 seculi — 18 timentur uitiorum penitentiam expectas mederis

p. 42, 11 iuxte te — 21 principes [*lege* et adm. principe si interdum] — 29 plurimo merore minuerat

p. 43, 3 inprudentia — 10 custodes pena — 11 non secus aut [*an* ut?] paupertas fores — 12 longo tunc — 16 postquam *habet* — crudelitas — 19 innocentiam ipsius — 20 arcs — 31 aduocator

p. 44, 5 clamdest. — 6 ergo nec aurum — 21 est *habet* — 31 mertum

p. 45, 1 quod intrant — 9 imp. hortos — 14 digne — 15 tuis *om.* — 21 inmanium *habet* — 22 transuectatione — 23 nutatantia — 24 fragilissimo — 28 tucius que — 30 consumata

p. 46, 2 sedis — 17 auro] aut — 24 omnes *alterum om.*

p. 47, 13 deuertere *habet* — 16 perfundebat — 23 imperium

p. 48, 3 in *om.* — 8 laetemur hiis quibus fruimur *habet* — 18 saltarentur — 29 delibrare — 30 ante te tam

p. 49, 2 cedendi — 23 tui

p. 50, 4 moderatio est — 10 ditabantur — 12 camelorum — 19 ubi uera ubi princ. ubi semp. — 20 hii sunt hon. — 26 *post* necesse est *addit:* praeterea ut quisque factus est princeps extemplo fama eius incertum bona an mala ceterum eterna est — 27 inuitum manet

p. 51, 5 aduotasse. — 11 *sq.* omittendum est Quid (est *expunctum m. rec.*) — 15 non omnia (ne *m. rec.*) — 16 narrauit — 17 in *om.* — 20 quod *om.* — 23 transtulerint — 32 *sq.* facies multa post secula consulis tribunal

p. 52, 12 imp. — 15 iam exsatiatus hon. [*recte*] — 25 iuisti — imputare — 32 precrauem — papirus

p. 53, 1 ad illos — 5 num te — 16 p̄meritum (*sed — deletum m. eadem*) — 18 iudicium — 27 magnanimitatis *habet*

p. 54, 8 delictas — 10 excitari *habet* — 24 medius *om.* — 25 didicimus *habet* — 29 easque summas potestates simul capere [*recte*] cum inest

p. 55, 8 parum] pamo — 14 interesset *habet* — 19 at *super* ad *deletum scriptum* — 22 nouerat pudorem nouerat moderationum hominum — 27 in toga meritis praestitisti *habet*

p. 56, 6 recepit *habet* — 21 consolatum — 29 duos collegit tui — 32 et collegam que

p. 57, 10 ibi bene — 30 quem praef. — 32 expertissimus

p. 58, 4 quos nos *habet* — 5 nos quis — 18 praeposita — 27 hinc aures hinc oc. — 28 da. destinas

p. 59, 6 boni principes [*ut* B C V W; *cf. corrigenda*] — 21 Rheno dirim. — 23 consule — ciuitati — 29 tam] ita

p. 60, 2 spaciosissimo — 14 nec dumque — 19 ante te stante — 21 sedens stanti preiit *habet* — 23 deorum ille irae

p. 61, 3 uobis — 4 ergo — 23 transilui

p. 62, 12 mouebat — 17 talis (i *ex* e *corr.*) — 23 tum] cum — perspexisse *habet* — 24 gratuitas

p. 63, 5 pro imperio — 12 demouerent — 18 mittent

p. 64, 1 rexeris — 2 rempublicam *om.* — 2 regere *habet* — 4 destinabat — 16 tamen tui non fac. — 23 deprenderes — 25 mellissimis

p. 65, 3 consulandus — 4 ideo] nemo — 5 circumirent *habet* — 6 a *prius om.* — 18 terret] fret — 21 et] ac — 25 cuius hec intentio est ut — afficiat — 27 in que ea ciuitas amplissima

p. 66, 10 paratam — 11 suae *prius om.* [*recte*] — 23 quod concupiit

p. 67, 9 magis mirer — 14 facies ante princeps equitus candidatus — 19 supereso — 28 principis] cesaris

p. 68, 5 est — 8 Eos denique — 13 communia] coram — 20 uobis — 27 nullius cuiquam terror — 32 appareat

p. 69, 1 misera — 8 ex silius se — 11 non] nam — 17 multum — 21 has nos sedes — 22 interrogem *in fine lineae*

p. 70, 16 illud *om.* — 17 uos — 19 felicitatis — 29 principes *habet*

p. 71, 3 gratos — esse nos *om.* — 5 uisu [*lege* nisu] — 20 exemplo patiencie tue sedit — 22 placuit dissentur discedere — 25 at] aut

p. 72, 9 intra — infra cos esset — 17 officium tam modicum temperatum — 18 cos sub

p. 73, 10 si] se — 14 quaque — 19 tu *habet* — 21 qui sibi dii — 25 plurima] primo — 28 recuperata] rec. i perata

p. 74, 4 adimas — 17 non pot. *habet* — 21 ingenii — 23 alius continuos labores si non desidie

p. 75, 1 precibus *habet* — 10 existimatione *habet* — 12 decoras — 13 timentesque — 19 ipse] ille — 23 omne genus hominum uice

p. 76, 13 ita *habet* — 14 *sq.* quid in ludebrium — 29 religatore uinctoque

p. 77, 9 per se magnopere laudauerim — 10 toto] ipso — 11 fortune indulgentie [*lege* indulgentia emolliat] — 12 non] nec — 19 auocamentum que quantaque sint huius ille serie — 24 insidat

p. 78, 1 non domus modo — 11 fecisti — 20 quam illa constanter — 28 quam nullus te terror nulla comitatur

p. 79, 6 et ardescit — 32 nomen] non

p. 80, 3 alii domini — 12 factus] facis

p. 81, 2 quod *om.* — 7 quod *habet* — 15 feres — 21 quā eruisti

p. 82, 1 erat *om.* — 8 otio reuoces et quos *om.* — 17 quisque] quis — 22 natu — per hos loquebantur *om.* — 24 et *om.* — 27 iudicium — 32 *sq.* digni sunt quibus

p. 83, 12 leli — 15 optimus omnibus in — 17 imp. — 20 prius] nomine — 21 nomine *om.* — 27 cui] tui

p. 84, 4 optiues — 10 fili — 11 dedit — 27 ambolus

p. 85, 6 laborissimo — 14 uertissent — percenserimus — 18 audemus — ne fas — 29 subditum

p. 86, 2 altero cons. sed iterum [*lege* consules et iterum] — 26 quae presenti tibi conferentur *bis* — 27 utraque

p. 87, 5 deminutum — 27 nouam tibi iniungimus curam — 31 praeteritus *habet*

p. 88, 1 praeteriri *habet* — 5 nobis — 12 etiam officiis qua et e stud. — 13 tum] *dubium sitne* tū *an* tñ (tamen) *in codice* — 30 maluit

p. 89, 5 sed ut] et

Praeterea, cum in plagulis sequentibus libri A lectiones inter corrigendas schedulas adscriberem, accidit interdum ut propter spatii angustias quaedam omittendae essent; quas itidem hic loci addam.

p. 93, 1 mirarentur — 7 ceteros — 9 famen et ex — 12 tue — 25 cainones

p. 94, 9 uidemus

p. 95, 11 dederunt

p. 98, 14 deiunxeris

p. 100, 3 imponere — 7 cum pridem

p. 103, 16 *dubium sitne* plum *an* pluui

p. 105, 10 putauerim (u *ex corr.*) — 30 exaceruatas

p. 106, 23 quam] quos

p. 107, 5 facile
p. 108, 10 iuniores res ambo seniores — 19 tueliuola — 21 fine uenistis] siue uetustis
p. 109, 15 atque] ac — 17 radiis — 21 eat — 26 Herculis
p. 111, 3 modo an mos — 5 limine aggressi egressi — 27 coniuncta si nomini (i *ult. ex corr.; in* W coniunctas in *ex corr., sed* omni (oī) a *m. 1*) — sermone dextera. si o caseriaq;
p. 112, 1 qui multus
p. 114, 25 teriungi
p. 115, 12 exercit d' capitis [*an* exercitib;?]
p. 117, 16 ante hoc affuisse
p. 118, 9 committent — 31 opud istud
p. 119, 10 perclusam
p. 125, 22 Constanti
p. 126, 8 deseruat dign.
p. 134, 1 tantum] cautum
p. 135, 13 ueniant — 26 celebritas
p. 139, 15 *et* 16 totiens] tocius — 20 uobis
p. 144, 5 iudicio
p. 145, 19 obscenderant
p. 146, 3 nautici — 22 leuitatis
p. 152, 8 gratuitatis
p. 171, 21 quod oro (quid oro B C V w)
p. 172, 33 tam aliquando
p. 175, 20 patefacit

Restat officium dulcissimum cum omnibus uiris doctis qui codicibus uel suppeditandis uel conferendis me adiuuerunt, tum ei uiro clarissimo, cui ob multa in me merita hoc qualecumque opusculum sacrum esse uolui, publice quoque gratias agendi quam maximas sincerissimasque.

Scripsi Ienae Kal. Maiis a. 1874.

XII PANEGYRICI LATINI.

INDEX SIGLORUM.

M = liber Maguntinus siue librorum meorum aut omnium (**A B C V W**) aut potissimorum (**A B C V** obstante **w**; **A B V** obstantibus **C w**) consensus
A = codex Upsaliensis inde a p. 89
B = Uenetus Marcianus 436, olim Bessarionis
C = consensus librorum **m r u**
  m = Monacensis 756
  r = Reginensis 1475
  u = Uindobonensis 48
V = Uaticanus 1776
W = Uaticanus 1775 nondum correctoris manum passus
  w = eiusdem corrector
Bert. = apographon Bertiniense a Liuineio passim commemoratum
ς = codices interpolati, siue unus siue omnes
R = schedae Ambrosianae in pan. I.
Cusp. = Cuspinianus
edd. = editiones, siue omnes siue complures. quas etiam ibi, ubi lectionibus libri **M** nihil adiectum est, uerum exhibere teneas. — litteris quas uocant inclinatis ea uocabula quae contra codices addita sunt, hamis [ ] librariorum emblemata significaui.

I. C. PLINII CAECILII SECUNDI

P A N E G Y R I C U S

TRAIANO IMP. DICTUS.

I. Bene ac sapienter, patres conscripti, maiores instituerunt ut rerum agendarum ita dicendi initium a precationibus capere, quod nihil rite, nihil prouidenter homines sine deorum immortalium ope consilio honore auspicarentur. qui mos cui potius quam consuli aut quando magis usurpandus colendusque est quam cum imperio senatus, auctoritate rei publicae ad agendas optimo principi gratias excitamur? quod enim praestabilius est aut pulcrius munus deorum quam castus et sanctus et dis simillimus princeps? ac si adhuc dubium fuisset forte casuque rectores terris an aliquo numine darentur, principem tamen nostrum liqueret diuinitus constitutum. non enim occulta potestate fatorum sed ab Ioue ipso coram ac palam repertus est; electus quippe inter aras et altaria eodemque loci quem deus ille tam manifestus ac praesens quam caelum ac sidera insedit. quo magis aptum piumque est te, Iuppiter optime, antea conditorem, nunc conseruatorem imperii nostri precari ut mihi digna consule, digna senatu, digna principe contingat oratio utque om-

---

6 caperent w ‖ 6 nihilque prou. C ‖ 14 at B ‖ 16 liquet w ‖ 18 repertus electus est quippe M, *corr. Schwarzius.* ‖ 22 optime maxime ς.

nibus quae dicentur a me libertas fides ueritas constet tantumque a specie adulationis absit gratiarum actio mea quantum abest a necessitate.

II. Equidem non consuli modo sed omnibus ciuibus enitendum reor ne quid de principe nostro ita dicant ut idem illud de alio dici potuisse uideatur. quare abeant ac recedant uoces illae quas metus exprimebat: nihil quale ante dicamus; nihil enim quale antea patimur. nec eadem de principe quae prius praedicemus; neque enim eadem quae prius secreto loquimur. discernatur orationibus nostris diuersitas temporum et ex ipso genere gratiarum agendarum intellegatur cui, quando sint actae. nusquam ut deo, nusquam ut numini blandiamur: non enim de tyranno sed de ciue, non de domino sed de parente loquimur. et hoc magis excellit atque eminet ille quod unum se ex nobis putat nec minus hominem esse quam hominibus praeesse meminit. intellegamus ergo bona nostra dignosque nos illis usu probemus atque identidem cogitemus *quam sit indignum* si maius principibus praestemus obsequium qui seruitute ciuium quam qui libertate laetantur. et populus quidem Romanus dilectum principum seruat quantoque paulo ante concentu formosum alium, hunc fortissimum personat; quibusque aliquando clamoribus gestum alterius et uocem, huius pietatem abstinentiam mansuetudinem laudat. quid nos ipsi? diuinitatem principis nostri an humanitatem temperantiam facilitatem, ut amor et gaudium tulit, celebrare uniuersi solemus? iam quid tam ciuile,

9 de principe palam *Cusp.* ‖ 10 quae pr. sec. loq. **W**: sec. loq. quae pr. **C** sec. quae pr. loq. **B V** ‖ 13 acte nusquam ς, *Lipsius*: hactenus quam **M** ‖ 16 *sq.* loquimur unum ille se ex nobis et hoc magis exc. a. eminet quod unum ex nobis (ex nobis *om.* **W**) putat **M**, *correxi.* ‖ 18 hominem esse *scripsi*: hominem se **M** ‖ 19 illis usu *Lipsius:* illius usu **M** ‖ 20 quam sit indignum *om.* **M**, *add. Cusp.* ‖ 23 principum *Liuineius*: principem **M** ‖ 25 quibus **W** ‖ 30 celebrare *om.* **W**, uniuersi praedicare solemus **w**.

tam senatorium quam illud additum a nobis optimi cognomen? quod peculiare huius et proprium arrogantia priorum principum fecit. enimuero quam commune, quam ex aequo quod felices nos, felicem illum praedicamus alternisque uotis 'haec faciat, haec audiat', quasi non dicturi nisi fecerit, comprecamur! ad quas ille uoces lacrimis etiam ac multo pudore suffunditur. agnoscit enim sentitque sibi, non principi dici.

III. Igitur quod temperamentum omnes in illo subito pietatis calore seruamus, hoc singuli quoque meditatique teneamus sciamusque nullum esse neque sincerius neque acceptius genus gratiarum quam quo illas acclamationes aemulemur quae fingendi non habent tempus. quantum ad me pertinet, laborabo ut orationem meam ad modestiam principis moderationemque submittam, nec minus considerabo quid aures eius pati possint quam quid uirtutibus debeatur. magna et inusitata principis gloria, cui gratias acturus non tam uereor ne me in laudibus suis parcum quam ne nimium putet. haec me cura, haec difficultas sola circumstat: nam merenti gratias agere facile est, patres conscripti. non enim periculum est ne, cum loquar de humanitate, exprobrari sibi superbiam credat, cum de frugalitate, luxuriam, cum de clementia, crudelitatem, cum de liberalitate, auaritiam, cum de benignitate, liuorem, cum de continentia, libidinem, cum de labore, inertiam, cum de fortitudine, timorem. ac ne illud quidem uereor ne gratus ingratusue uidear, prout satis aut parum dixero. animaduerto enim etiam deos ipsos non tam accuratis adorantium precibus quam innocentia et sanctitate laetari gratioremque existimari qui delubris eorum puram castamque mentem quam qui meditatum carmen intulerit.

---

5 alteriusque C || 6 nos C || 7 pudore multo W || 8 sentitque *om.* W, *add.* w *marg.* || 14 quo *scripsi*: quod M || 14 aemuletur *Cusp.* || 22 circumstant C || 24 exprobari W.

IV. Sed parendum est senatus consulto, quo ex utilitate publica placuit ut consulis uoce sub titulo gratiarum agendarum boni principes quae facerent recognoscerent, mali quae facere deberent. id nunc eo magis sollemne ac necessarium est quod parens noster priuatas gratiarum actiones cohibet et comprimit, intercessurus etiam publicis, si permitteret sibi uetare quod senatus iuberet. utrumque, Caesar Auguste, moderate, et quod alibi tibi gratias agi non sinis et quod hic sinis. non enim a te ipsi tibi honor iste sed agentibus habetur. cedis affectibus nostris, nec nobis munera tua praedicare, sed audire tibi necesse est. saepe ego mecum, patres conscripti, tacitus agitaui qualem quantumque esse oporteret cuius dicione nutuque maria terrae, pax bella regerentur; cum interea fingenti formantique mihi principem quem aequata dis immortalibus potestas deceret, numquam uoto saltem concipere succurrit similem huic quem uidemus. enituit aliquis in bello, sed obsoleuit in pace: alium toga, sed non et arma honestarunt: reuerentiam ille terrore, alius amorem humilitate captauit: ille quaesitam domi gloriam in publico, hic in publico partam domi perdidit: postremo adhuc nemo extitit cuius uirtutes nullo uitiorum confinio laederentur. at principi nostro quanta concordia quantusque concentus omnium laudum omnisque gloriae contigit! ut nihil seueritati eius hilaritate, nihil grauitati simplicitate, nihil maiestati humanitate detrahitur! iam firmitas, iam proceritas corporis, iam honor capitis et dignitas oris, ad hoc aetatis indefecta maturitas nec sine quodam munere deum festinatis senectutis

1 quo **W**: quod **B C V** || 10 ipsi *Schwarzius:* ipso **M** || 11 agentibus *Schwarzius:* ab agentibus **M** || 14 qualem ac quantum **w** || 20 absoleuit **C W**, *sed in hoc corr. man rec.* || 23 hic in publico **C**: *om.* **B V W** || 26 contemptus **w** || 29 ita nihil mai. **w** *post ras. 20 litt.* || 31 indefecta *scripsi:* indeflexa **M** inflexa *Beroaldus* indefessa *Patarolus* || 32 festinatis ς: festinantis **M**.

insignibus ad augendam maiestatem ornata caesaries, nonne longe lateque principem ostentant?

V. Talem esse oportuit quem non bella ciuilia nec armis oppressa res publica sed pax et adoptio et tandem exorata terris numina dedissent. an fas erat nihil differre inter imperatorem quem homines et quem di fecissent? quorum quidem in te, Caesar Auguste, studium et fauor tunc statim, cum ad exercitum proficiscereris, et quidem inusitato omine notuit. nam ceteros principes aut largus cruor hostiarum aut sinister uolatus auium consulentibus nuntiauit, tibi ascendenti de more Capitolium quamquam non id agentium ciuium clamor ut iam principi occurrit; siquidem omnis turba quae limen insederat ad ingressum tuum foribus reclusis illa quidem, ut tunc arbitrabatur, deum, ceterum, ut docuit euentus, te consalutauit imperatorem. nec aliter a cunctis omen acceptum est. nam ipse intellegere nolebas: recusabas enim imperare; recusabas, quod bene erat imperaturi. igitur cogendus fuisti. cogi porro non poteras nisi periculo patriae et nutatione rei publicae. obstinatum enim tibi non suscipere imperium, nisi seruandum fuisset. quare ego illum ipsum furorem motumque castrensem reor extitisse, quia magna ui magnoque terrore modestia tua uincenda erat. ac sicut maris caelique temperiem turbines tempestatesque commendant, ita ad augendam pacis tuae gratiam illum tumultum praecessisse crediderim. habet has uices condicio mortalium ut aduersa ex secundis, ex aduersis secunda nascantur. occultat utrorumque semina deus, et plerumque bo-

---

5 exorta **C** ‖ 8 studium *ego*: iudicium **M** ‖ 8 tunc *om.* **B V** ‖ 9 inusitato oie notuit *scripsi:* inusitato enotuit **M** inus. indicio enituit *Liuineius* inus. omine enotuit *Keilius* ‖ 14 occurrerit **C** ‖ 15 *malim* ut tunc quidem illa arb. | illa] iam **C** ‖ 17 te consul consalutauit **W** ‖ 19 uolebas **B C V** ‖ 20 imperatori **w** ‖ 21 nutatione *cod. Liuineii:* mutatione **M** ‖ 30 nascantur ς: noscantur **M** ‖ 31 utraque **w**.

norum malorumque causae sub diuersa specie latent.

VI. Magnum quidem illud saeculo dedecus, magnum rei publicae uulnus impressum est: imperator et parens generis humani obsessus captus inclusus, ablata mitissimo seni seruandorum hominum potestas ereptumque principi illud in principatu beatissimum, quod nihil cogitur. si tamen haec sola erat ratio quae te publicae salutis gubernaculis admoueret, prope est ut exclamem tanti fuisse. corrupta est disciplina castrorum ut tu corrector emendatorque contingeres; inductum pessimum exemplum ut optimum opponeretur; postremo coactus princeps quos nolebat occidere ut daret principem qui cogi non posset. olim tu quidem adoptari merebare; sed nescissemus quantum tibi deberet imperium, si ante adoptatus esses. expectatum est tempus quo liqueret non tam accepisse te beneficium quam dedisse: confugit in sinum tuum concussa res publica ruensque imperium super imperatorem imperatoris tibi uoce delatum est. imploratus adoptione et accitus es, ut olim duces magni a peregrinis externisque bellis ad opem patriae ferendam reuocari solebant. ita filius ac parens uno eodemque momento rem maximam inuicem praestitistis: ille tibi imperium dedit, tu illi reddidisti. solus ergo ad hoc aeui pro munere tanto paria accipiendo fecisti, immo ultro dantem obligasti: communicato enim imperio sollicitior tu, ille securior factus est.

VII. O nouum atque inauditum ad principatum iter! non te propria cupiditas, proprius metus, sed aliena utilitas, alienus timor principem fecit. uidearis licet quod est amplissimum consecutus inter homines, felicius tamen erat illud quod reliquisti: sub bono principe priuatus esse desisti. assumptus es in la-

6 oblata **C** ‖ 7 principatum **B V** ‖ 8 oratio **W** ‖ 12 opt. imponerent **C** ‖ 15 nescis senium **C** ‖ 17 tempus in quo **C w** ‖ 19 ruens imp. **W** ‖ 27 ultra **W C**.

borum curarumque consortium, nec te prospera et laeta stationis istius sed aspera et dura ad capessendam eam compulerunt: suscepisti imperium, postquam alium suscepti paenitebat. nulla adoptati cum eo qui adoptabat cognatio, nulla necessitudo, nisi quod uterque optimus erat dignusque alter eligi, alter eligere. itaque adoptatus es non, ut prius alius atque alius, in gratiam uxoris. adsciuit enim te filium non uitricus sed princeps, eodemque animo diuus Nerua pater tuus factus est quo erat omnium. nec decet aliter filium adsumi, si adsumatur a principe. an senatum populumque Romanum, exercitus, prouincias, socios transmissurus uni successorem e sinu uxoris accipias summaeque potestatis heredem tantum intra domum tuam quaeras? non totam per ciuitatem circumferas oculos et hunc tibi proximum, hunc coniunctissimum existimes quem optimum, quem dis simillimum inueneris? imperaturus omnibus eligi debet ex omnibus: non enim seruulis tuis dominum, ut possis esse contentus quasi necessario herede, sed principem ciuibus daturus es imperator. superbum istud et regium, nisi adoptes eum quem constet imperaturum fuisse, etiamsi non adoptasses. fecit hoc Nerua, nihil interesse arbitratus genueris an elegeris, si perinde sine iudicio adoptentur liberi ac nascuntur; nisi quod tamen aequiore animo ferunt homines quem princeps parum feliciter genuit quam quem male elegit.

VIII. Sedulo ergo uitauit hunc casum nec modo iudicium hominum sed deorum etiam in consilium ad-

1 laeta et prospera **C** ‖ 6 uterque optimus — 8,24 tumultus fuisset *habet* **R** ‖ elegi *et* elegere **R** ‖ 7 est **R** ‖ 11 si] nisi **R** ‖ 13 socius tramissurus unius successorē | me sinu **R** ‖ 15 totam per **R**: per totam **M** ‖ 17 extimes **R** ‖ 18 dis sim..] dignissimum **R** ‖ 20 posses **R** ‖ 21 es *Liuineius:* et **R**, *om.* **M** ‖ 22 istut et regium est **R** ‖ 24 arbitratus interesse **C** | genuerit **R** genuerit an elegerit **C** ‖ 26 nisi tamen quod **C**; tamen *om.* **R** ‖ 27 principes **R** ‖ 28 quem *om.* **B V** ‖ 29 nec modo iudicium **R**: nec iudicio **M** (iudicia **w**) ‖ 30 in *om.* **R**.

sumpsit. itaque non tum in cubiculo sed in templo, nec ante genialem torum sed ante puluinar Iouis optimi maximi adoptio peracta est, qua tandem non seruitus nostra sed libertas et salus et securitas fundabatur. sibi enim gloriam illam di uindicauerunt: horum opus illud, horum imperium, Nerua tantum minister fuit adiutorque: qui *cum* adoptaret tam paruit quam tu qui adoptabaris. adlata erat ex Pannonia laurea, id agentibus dis ut inuicti imperatoris exordium uictoriae insigne decoraret. hanc imperator Nerua in gremio Iouis collocarat, cum repente solito maior et augustior, aduocata contione hominum deorumque, te filium sibi, hoc est unicum auxilium fessis rebus adsumpsit. inde quasi depositi imperii qua securitate qua gloria laetus (nam quantulum refert deponas an partiaris imperium? nisi quod difficilius hoc est), non secus ac praesenti tibi innixus, tuis umeris se patriamque sustentans, tua iuuenta, tuo robore inualuit. statim consedit omnis tumultus. non adoptionis opus istud, sed adoptati fuit; atque adeo temere fecerat Nerua, si adoptasset alium. oblitine sumus ut nuper post adoptionem non desierit seditio, sed coeperit? inritamentum istud irarum et fax tumultus fuisset, nisi incidisset in te. an dubium est, ut dare posset imperium imperator qui reuerentiam amiserat, auctoritate eius effectum cui dabatur? simul filius, simul

---

1 tum *ego:* tu **M**, *om.* **R** tui **w** ‖ 2 antem gen. | pûluine **R** ‖ 4 sed salus et libertas **R** | fundebatur **W** ‖ 5 uindic. dii gloriam illam **C** ‖ 6 opus illut horum **R**: opus horum illud **M** | tamen min. **B C** ‖ 7 fuit minister **R** | adiutorque *scripsi:* uterque **C** utrique **B V** utque **W** ut **R** ‖ qui cum adoptaret *scripsi:* qui adoptaret **R M** | utique qui adoptaret *Ernestius* adoptarat *Schwarzius* et qui adoptabat *Keilius* ‖ 10 exordium **R**: exortum **M** | decorarent **B V** | hanc *om.* **R** ‖ 11 collocaret **R** ‖ 12 solitum maior augustiorque **R** | contione hominum **R**: hominum concione (conc. *om.* **W**) **M** ‖ 14 fesses **R** | deposito imperio ς ‖ 17 ac] ad **R** ‖ 20 sed adoptati fuit **R**: fuit sed adoptati **M** ‖ 25 ut ·c· ne dare **B V** ut dare non ς.

Caesar, mox imperator et consors tribuniciae potestatis et omnia pariter et statim factus es, quae proxime parens uerus tantum in alterum filium contulit.

IX. Magnum hoc tuae moderationis iudicium quod non solum successor imperii sed particeps etiam sociusque placuisti. nam successor, etiamsi nolis, habendus est; non est habendus socius, nisi uelis. credentne posteri patricio et consulari et triumphali patre genitum, cum fortissimum amplissimum amantissimum sui exercitum regeret, imperatorem non ab exercitu factum? eidem, cum Germaniae praesideret, Germanici nomen hinc missum? nihil ipsum ut imperator fieret agitasse? nihil fecisse nisi quod meruit et paruit? paruisti enim, Caesar, et ad principatum obsequio peruenisti, nihilque magis a te subiecto animo factum est quam quod imperare coepisti: iam Caesar, iam imperator, iam Germanicus, absens et ignarus et post tanta nomina, quantum ad te pertinet, priuatus. magnum uideretur, si dicerem 'nescisti te imperatorem futurum': eras imperator et esse te nesciebas. ut uero ad te fortunae tuae nuntius uenit, malebas quidem hoc esse quod fueras, sed non erat liberum. an non obsequereris principi ciuis, legatus imperatori, filius patri? ubi deinde disciplina? ubi mos a maioribus traditus, quodcumque imperator munus iniungeret, aequo animo paratoque subeundi? quid enim, si prouincias ex prouinciis, ex bellis bella mandaret? *claret* eodem illum uti iure, cum ad imperium te uocet, quo sit usus, cum ad exercitum miserit, ni-

---

3 tantum] tamen **B W** | contulerit u contulitur m r ‖ 5 iudicium *ego:* indicium **M** ‖ 6 solum *om.* **W** ‖ 7 nobis **B W** ‖ 13 huic **B V** ‖ 17 subiecto animo ς: subiecti animo **M** subiecti animi *Cataneus* ‖ 18 *malim* recepisti ‖ 20 pertinebat *mauolt Keilius* | uideretur *om.* **B** uiderent **C** ‖ 23 aduenit **B** ‖ 24 non *om.* **C** ‖ 29 mandaret claret *scripsi:* mandaret **M** mandaret. apparet *Hauptius Herm. V p. 26* ‖ 30 illum *Cusp.:* illo **M** | te uocet *Baudius:* reuocet **M**.

hilque interesse ire legatum an redire principem iubeat, nisi quod maior sit obsequii gloria in eo quod quis minus uelit.

X. Augebat auctoritatem iubentis in summum discrimen auctoritas eius adducta, utque magis parendum imperanti putares efficiebatur eo quod ab aliis minus parebatur. ad hoc audiebas senatus populique consensum: non unius Neruae iudicium illud, illa electio fuit. nam qui ubique sunt homines hoc idem uotis expetebant: ille tantum iure principis occupauit primusque fecit quod facturi omnes erant. nec hercule tanto opere cunctis factum placeret, nisi placuisset ante quam fieret. at quo, di boni, temperamento potestatem tuam fortunamque moderatus es! imperator tu titulis et imaginibus et signis, ceterum modestia labore uigilantia dux et legatus et miles, cum iam tua uexilla, tuas aquilas magno gradu anteires neque aliud tibi ex illa adoptione quam filii pietatem, filii obsequium adsereres longamque huic nomini aetatem, longam gloriam precarere. iam te prouidentia deorum primum in locum prouexerat; tu adhuc in secundo resistere atque etiam senescere optabas: priuatus tibi uidebaris quam diu imperator et alius esset. audita sunt uota tua, sed in quantum optimo illi et sanctissimo seni utile fuit, quem di ideo caelo uindicauerunt ne quid post illud diuinum et immortale factum mortale faceret. deberi quippe maximo operi hanc uenerationem ut nouissimum esset, auctoremque eius statim consecrandum ut quandoque inter posteros quaereretur an illud iam deus fecisset. ita ille nullo magis nomine publicus parens quam quia

---

5 eius auctoritas B V | abducta W || 7 minus *om.* W || 9 nam] non W, *superscr.* nam *m. rec.* || 11 primus fecit W | omnes facturi C || 13 at quo dii boni w: ad quod boni V at quo boni C ad boni B || 21 iam] in C || 26 di ideo caelo *scripsi:* dii de celo M dii coelo ς *edd.* || 28 maximo operi C W: maxime competi B maximo conpeti operi V.

tuus. ingens gloria ingensque fama: cum abunde expertus esset quam bene umeris tuis sederet imperium, tibi terras, te terris reliquit; eo ipso carus omnibus ac desiderandus quod prospexerat ne desideraretur.

XI. Quem tu lacrimis primum, ita ut filium decuit, mox templis honestasti, non imitatus illos qui hoc idem, sed alia mente fecerunt. dicauit caelo Tiberius Augustum, sed ut maiestatis crimen induceret, Claudium Nero, sed ut irrideret, Vespasianum Titus, Domitianus Titum, sed ille ut dei filius, hic ut frater uideretur. tu sideribus patrem intulisti non ad metum ciuium, non in contumeliam numinum, non in honorem tuum, sed quia deum credis. minus est hoc, cum fit ab his qui et sese deos putant. sed licet illum aris puluinaribus flamine colas, non alio tamen magis deum et facis et probas quam quod ipse talis es. in principe enim qui electo successore fato concessit una eademque certissima diuinitatis fides est bonus successor. num ergo tibi ex immortalitate patris aliquid arrogantiae accessit? num hos proximos diuinitate parentum desides ac superbos potius quam illos ueteres et antiquos aemularis? qui hoc ipsum imperium *** cuius pulsi fugatique non aliud maius habebatur indicium quam quod triumpharet. ergo sustulerant animos et iugum excusserant nec iam nobiscum de sua libertate, sed de nostra seruitute certabant ac ne indutias quidem nisi aequis condicionibus inibant legesque ut acciperent dabant.

---

14 non in honorem tuum *om.* **W** ‖ 17 tamen magis ϛ: magis tamen **M**, *nisi quod* magis *om.* **B** | et facis *om.* **W** *in ras. 3 litt.* ‖ 18 enim *om.* **W** ‖ 19 eademque **w m**: idemque **M** itemque ϛ ‖ 20 non ergo **B** ‖ 23 emuleris **M**, *corr.* ϛ *et Liuineius* ‖ 24 ipsum imperium quam imp. cuius **B V** ipsum imperium qm imp cuius **W** ipsum imperium qm (quoniam **u**) cuius **C** *cum signo lacunae* ‖ 25 quam quod **B** *cod. Liuineii:* quam si **C V W** ‖ 26 triumpharetur *cod. Liuineii.*

XII. At nunc rediit omnibus terror et metus et uotum imperata faciendi. uident enim Romanum ducem unum ex illis ueteribus et priscis, quibus imperatorium nomen addebant contecti caedibus campi et infecta uictoriis maria. accipimus obsides ergo, non emimus, nec ingentibus damnis immensisque muneribus paciscimur ut uicerimus. rogant, supplicant; largimur, negamus, utrumque ex imperii maiestate: agunt gratias qui impetrauerunt; non audent queri quibus negatum est. an audeant qui sciant te adsedisse ferocissimis populis eo ipso tempore quod amicissimum illis, difficillimum nobis, cum Danuuius ripas gelu iungit duratusque glacie ingentia tergo bella transportat, cum ferae gentes non telis magis quam suo caelo, suo sidere armantur? sed ubi in proximo tu, non secus ac si mutatae temporum uices essent, illi quidem latibulis suis clausi tenebantur; nostra agmina percursare ripas et aliena occasione, si permitteres, uti ultroque hiemem suam barbaris inferre gaudebant.

XIII. Haec tibi apud hostes ueneratio. quid? apud milites quam admirationem quemadmodum comparasti? cum tecum inediam, tecum ferrent sitim; cum in illa meditatione campestri militaribus turmis imperatorium puluerem sudoremque misceres, nihil a ceteris nisi robore ac praestantia *diuersus* libero Marte nunc eminus tela uibrares nunc uibrata susciperes, alacer uirtute militum et laetus, quotiens aut cassidi tuae aut clipeo grauior ictus incideret (laudabas quippe ferientes hortabarisque ut auderent, et audebant iam); cum spectator *moderator*que in-

---

2 uident **W**: uidet **B C V** ‖ 3 imperatorum **C B** ‖ 6 indigentibus **B** | damnis **w**: damus **M** ‖ 7 paciscimur **B V**: pascimur **C W** ‖ 10 an *om.* **W**, *add. m. rec.* | absedisse **B V** ‖ 24 meditatione *corruptum;* uelitatione *Mommsenus* ‖ 26 diuersus *addidi: om.* **M** differens ς distans *Duebnerus* dispar **w** ‖ 27 cominus **M**, *corr. G. H. Schaeferus* | uibrares **m**: librares **M** | librata ς ‖ 31 spectator moderatorque ς: spectatorque **M**.

euntium certamina uirorum arma componeres, tela temptares ac, si quod durius accipienti uideretur, ipse uibrares. quid cum solacium fessis, aegris opem ferres? non tibi moris tua inire tentoria, nisi commilitonum ante lustrasses, nec requiem corpori nisi post omnes dare. haut mihi admiratione dignus imperator uideretur, si inter Fabricios et Scipiones et Camillos talis esset: tunc enim illum imitationis ardor semperque melior aliquis accenderet. postquam uero studium armorum a manibus ad oculos, ad uoluptatem a labore translatum est; postquam exercitationibus nostris non ueteranorum aliquis, cui decus muralis aut ciuica, sed Graeculus magister assistit: quam magnum est unum ex omnibus patrio more, patria uirtute laetari et sine aemulo, sine exemplo secum certare, secum contendere ac, sicut imperare solum, ita solum esse qui debeat imperare!

XIV. Non incunabula haec tibi, Caesar, et rudimenta, cum puer admodum Parthica lauro gloriam patris augeres nomenque Germanici iam tum mererere, cum ferociam superbiamque Parthorum ex proximo auditus magno terrore cohiberes Rhenumque et Euphratem admirationis tuae societate coniungeres? cum orbem terrarum non pedibus magis quam laudibus peragrares, apud eos semper maior et clarior quibus postea contigisses? et necdum imperator, necdum dei filius eras. Germaniam *Hispaniam*que cum plurimae gentes ac prope infinita uastitas interiacentis soli tum Pyrenaeus, Alpes immensique

---

5 lustrares **B V** ‖ 6 haut *scripsi:* hac **M** nec *Keilius* ‖ 7 non uideretur **w** ‖ 8 immirationis **C** ‖ 12 ueterum **W** ‖ 15 ac sine ex. **M**, ac *om.* ς ‖ 17 imperare solum ita solum *scripsi:* imperaret solus solum ita **M** imperat ς ‖ 19 non] nam *Mommsenus* ‖ 21 mererere **w**: merere **M** ‖ 22 Parthorum] barbarorum *Schwarzius* ‖ 28 Germaniam Hispaniamque *Keilius:* Germaniamque **M** Hispaniam Germaniamque *Baunius. plura intercidisse censet Dierauerus, Beitr. z. e. krit. Gesch. Traians p. 193.*

alii montes, nisi his comparentur, muniunt dirimuntque. per hoc omne spatium cum legiones duceres seu potius (tanta uelocitas erat) raperes, non uehiculum umquam, non equum respexisti. leuis hic non subsidium itineris, sed 'decus et tutamen' subsequebatur, ut cuius nullus tibi usus, nisi cum die statiuorum proximum campum alacritate discursus puluere attolleres. initium laboris mirer an finem? multum est quod perseuerasti, plus tamen quod non timuisti ne perseuerare non posses. nec dubito quin ille qui te inter illa Germaniae bella ab Hispania usque ut ualidissimum praesidium exciuerat, iners ipse alienisque uirtutibus tunc quoque inuidus imperator, cum ope earum indigeret, tantam admirationem tui non sine quodam timore conceperit quantam ille genitus Iove post saeuos labores duraque imperia regi suo indomitus semper indefessusque referebat, cum aliis super alias expeditionibus itinere illo dignus inuenireris.

XV. Tribunus uero disiunctissimas terras teneris adhuc annis uiri firmitate lustrasti, iam tunc praemonente fortuna ut diu penitusque perdisceres quae mox praecipere deberes. neque enim prospexisse castra breuemque militiam quasi transilisse contentus ita egisti tribunum ut esse dux statim posses nihilque discendum haberes tempore docendi: cognouisti per stipendia decem mores gentium, regionum situs, opportunitates locorum, et diuersam aquarum caelique temperiem ut patrios fontes patriumque sidus ferre consuesti. quotiens equos, quotiens emerita arma mutasti! ueniet ergo tempus quo posteri

---

1 compararentur **B C V** || 3 raperes **W**: rapere sed **B C V** || 5 et tutamen (τυτῦ) *scripsi*: et cum **M** et tamen **w**, *det Hauptius l. l. p. 27; cf. Verg. Aen. V 262* || 6 ut *del.* **w** || 7 discursus *scripsi*: discursu **M** || 8 mirer an ς: miser an **C** miseram **B V** miserear an **w** || 11 ad Hispaniam **W** || 18 itinere illo] munere alio *Cataneus* || 21 praemuniente *uel* praemoliente *Lipsius* || 23 prospexisti **w** || 24 transilisse *Arntzenius*: transisse **M** || 25 esse dux statim **B V**: dux esse statim **W** esse statim dux **C** || 27 regionumq; **W**.

uisere uisendumque tradere minoribus suis gestient, quis sudores tuos hauserit campus, quae refectiones tuas arbores, quae somnum saxa praetexerint, quod denique tectum magnus hospes impleueris, ut tunc ipsi tibi ingentium ducum sacra uestigia isdem in locis monstrabantur. uerum haec olim: in praesentia quidem, quisquis paulo uetustior miles, hic te commilitone censetur. quotus enim quisque cuius tu non ante commilito quam imperator? inde est quod prope omnes nomine appellas, quod singulorum fortia facta commemoras; nec habent adnumeranda tibi pro re publica uulnera, quibus statim laudator et testis contigisti.

XVI. Sed tanto magis praedicanda est moderatio tua quod innutritus bellicis laudibus pacem amas nec, quia uel pater tibi triumphalis uel adoptionis tuae die dicata Capitolino Ioui laurus, idcirco ex occasione omni quaeris triumphos. non times bella nec prouocas. magnum est, imperator Auguste, magnum est stare in Danuuii ripa, si transeas, certum triumphi, nec decertare cupere cum recusantibus; quorum alterum fortitudine, alterum moderatione efficitur. nam ut ipse nolis pugnare moderatio, fortitudo tua praestat ut neque hostes tui uelint. accipiet ergo aliquando Capitolium non mimicos currus nec falsae simulacra uictoriae, sed imperatorem ueram ac solidam gloriam reportantem tranquillitatem et tam confessa hostium obsequia ut uincendus nemo fuerit. pulcrius hoc omnibus triumphis. neque enim umquam nisi ex contemptu imperii nostri factum est ut uinceremus. quod si quis barbarus rex eo insolentiae furorisque processerit ut iram tuam in-

5 ipsi *et* sacra *om.* **W** ‖ 7 hic] hęc **C** ‖ 9. commilito *om.* **B** ‖ 11 facta *om.* **W** ‖ 12 et laudator **W** ‖ 20 certus **B V** | triumphũ **W** ‖ 23 nobis **B V** ‖ 24 accipiet et ergo **B V r** (m u ?) ‖ 25 mimicos *Liuineius:* inimicos **M** ‖ 28 tam **W**: tamen **C V** tantum **B** | obsequia ut uincendus **w**: obsequi aut incendiis **M**.

dignationemque mereatur, ne ille, siue interfuso mari seu fluminibus immensis seu praecipiti monte defenditur, omnia haec tam prona tamque cedentia uirtutibus tuis sentiet ut subsedisse montes, flumina exaruisse, interceptum mare illatasque sibi non esse classes nostras, sed terras ipsas arbitretur.

XVII. Videor iam cernere non spoliis prouinciarum et extorto sociis auro, sed hostilibus armis captorumque regum catenis triumphum grauem: uideor ingentia ducum nomina nec indecora nominibus corpora noscitare: uideor intueri immanibus ausis barbarorum onusta fercula et sua quemque facta uinctis manibus sequentem: mox ipsum te sublimem curru instantemque domitarum gentium tergo, ante currum autem clipeos quos ipse perfoderis. nec tibi opima defuerint, si quis regum uenire in manus audeat nec modo telorum tuorum, sed oculorum etiam minarumque coniectum toto campo totoque exercitu opposito perhorrescat. meruisti proxima moderatione ut, quandocumque te uel inferre uel propulsare bellum coegerit imperii dignitas, non ideo uicisse uidearis ut triumphares, sed triumphare quia uiceris.

XVIII. Aliud ex alio mihi occurrit. quam speciosum est enim quod disciplinam castrorum lapsam *et* extinctam refouisti depulso prioris saeculi malo, inertia et contumacia et dedignatione parendi? tutum est reuerentiam, tutum caritatem mereri, nec ducum quisquam aut non amari a militibus aut amari timet; exinde offensae pariter gratiaeque securi instant

---

1 premereatur **B** || 2 morte **C** || 3 defenditur ς: dependitur **M** || 4 sentiet ς: censiet **V** transiet **B** censet **W C** cernet *uel* sciet *Schwarzius* | subsidisse **M** || 8 hostibus **C** || 11 ausis — 13 manibus *om.* **C** || 12 iunctis **V W** || 13 curru instantemque *Heumannus Poecil III 45:* instantemque curru **M** || 16 defuerint m: defuerunt **M** | manibus **B** || 17 nec non modo *Gesnerus* || 20 ut quandoque **C W** || 21 uidearis] iudicaris **C** || 24 et *addidi; om.* **M** ac *add.* ς extinctamque u || 27 tutum est caritatem **W** || 29 exinde *scripsi:* et inde **M** | gratiaeque pariter **C**.

operibus, assunt exercitationibus, arma moenia uiros aptant. quippe non is princeps qui sibi imminere, sibi intendi putet quod in hostes paretur; quae persuasio fuit illorum qui hostilia, cum facerent, timebant. idem ergo torpere militaria studia nec animos modo sed et corpora ipsa languescere, gladios etiam incuria hebetari retundique gaudebant. duces porro nostri, non tam regum exterorum quam suorum principum insidias, nec tam hostium quam commilitonum manus ferrumque metuebant.

XIX. Est haec natura sideribus ut parua et exilia ualidiorum exortus obscuret: similiter imperatoris aduentu legatorum dignitas inumbratur. tu tamen maior omnibus quidem eras, sed sine ullius deminutione maior: eandem auctoritatem praesente te quisque quam absente retinebat; quin etiam plerisque ex eo reuerentia accesserat quod tu quoque illos reuerebare. itaque perinde summis atque infimis carus sic imperatorem commilitonemque miscueras ut studium omnium laboremque et tamquam exactor intenderes et tamquam particeps sociusque releuares. felices illos quorum fides et industria non per internuntios et interpretes, sed ab ipso te, nec auribus tuis sed oculis probabantur! consecuti sunt ut absens quoque de absentibus nemini magis quam tibi crederes.

XX. Iam te ciuium desideria reuocabant, amoremque castrorum superabat caritas patriae. iter inde placidum ac modestum et plane a pace redeuntis. nec uero ego in laudibus tuis ponam quod aduentum tuum non pater quisquam, non maritus expauit: affectata aliis castitas, tibi ingenita et innata interque ea quae imputare non possis. nullus in exigendis

3 parent C || 4 timebantur C || 5 tempore C || 7 retundique w: et undique M || 12 ualidorum M, *corr.* ς || 13 dignitates inumbrantur W || 14 diminutione M || 15 quisque quam absente ret. *edd.*: quisquam absente ret. B V quisquam retinebat absente ret. C quisque (*ras. 7 litt.*) ret. w || 21 reuelares C.

uehiculis tumultus, nullum circa hospitia fastidium; annona quae ceteris; ad hoc comitatus accinctus et parcus: diceres magnum aliquem ducem ac te potissimum ad exercitus ire: adeo nihil aut certe parum intererat inter imperatorem factum et futurum. quam dissimilis nuper alterius principis transitus! si tamen transitus ille, non populatio fuit, cum abactus hospitium exederet omniaque dextra laeuaque perusta et attrita, ut si uis aliqua uel ipsi illi barbari quos fugiebat inciderint. persuadendum prouinciis erat illud iter Domitiani fuisse, non principis. itaque non tam pro tua gloria quam pro utilitate communi edicto subiecisti quid in utrumque uestrum esset impensum. assuescat imperator cum imperio calculum ponere: sic exeat, sic redeat, tamquam rationem redditurus; edicat quid absumpserit. ita fiet ut non absumat quod pudeat edicere. praeterea futuri principes, uelint nolint, sciant tanti *sua itinera constare debere quanti* tuum constat, propositisque duobus exemplis meminerint perinde coniecturam de moribus suis homines esse facturos, prout hoc uel illud elegerint.

XXI. Nonne his tot tantisque meritis nouos aliquos honores, nouos titulos merebare? at tu etiam patris patriae recusabas. quam longa nobis cum modestia tua pugna! quam tarde uicimus! nomen illud, quod alii primo statim principatus die, ut imperatoris et Caesaris, receperunt, tu usque eo distulisti, donec tu quoque, beneficiorum tuorum parcissimus aesti-

---

3 parcus *Cusp.:* parens **M** || 6 nuper] imperatori **C** | transitus principis **V** || 7 hospocium **V** || 8 exederet *ego:* exerceret **W** execeret **V** exereret **B C** || 9 illi *om.* **W** uel **B** || 10 inciderent **M**, *corr. Schwarzius* incidissent *Hauptius l. l. p. 27* || 15 tamquam] quasi **C** || 16 ita fiet — 17 principes *om.* **W** *add. marg. m. rec.* || 18 sciant tanti tuum (tantum **C**) constat **M**, *suppleui.* sciant tanti iter tuum constat *Rittershusius* sciant quanti tuum constet *Gronouius* sciant tanti constare quantum constat *Mommsenus* || 19 prepositisque **C W** || 23 non his **V** || 27 imperatorum **W**.

mator, iam te mereri fatereris. itaque soli omnium contigit tibi ut pater patriae esses ante quam fieres. eras enim in animis, in iudiciis nostris, nec publicae pietatis intererat quid uocarere, nisi quod ingrata sibi uidebatur, si te imperatorem potius uocaret et Caesarem, cum patrem experiretur. quod quidem nomen qua benignitate, qua indulgentia exerces! ut cum ciuibus tuis quasi cum liberis parens uiuis! ut reuersus imperator, qui priuatus exieras, agnoscis, agnosceris! eosdem nos, eundem te putas, par omnibus et hoc tantum ceteris maior quod melior.

XXII. Ac primum quidem, qui dies ille quo expectatus desideratusque urbem tuam ingressus es! iam hoc ipsum, quomodo ingressus es, quam mirum laetumque! nam priores inuehi et importari solebant, non dico quadriiugo curru et albentibus equis, sed umeris hominum, quod arrogantius erat. tu sola corporis proceritate elatior aliis et excelsior non de patientia nostra quendam triumphum, sed de superbia principum egisti. ergo non aetas quemquam, non ualetudo, non sexus retardauit quo minus oculos insolito spectaculo impleret. te paruuli noscere, ostentare iuuenes, mirari senes; aegri quoque neglecto medentium imperio ad conspectum tui quasi ad salutem sanitatemque prorepere. inde alii se satis uixisse te uiso, te recepto, alii nunc magis esse uiuendum praedicabant. feminas etiam tunc fecunditatis suae maxima uoluptas subiit, cum cernerent cui principi ciues, cui imperatori milites peperissent. uideres referta tecta ac laborantia ac ne eum quidem uacantem locum qui non nisi suspensum et instabile uestigium caperet, oppletas undique uias angustum-

---

4 uocarere **W**: uocare **B C V** || 11 quod *Liuineius:* quo **M** || 12 quidem qui *Schwarzius:* quid̄ **W** quid **B C** qui **V** || 13 iam h. i. q. ingressus es *om.* **C** || 14 quomodo *scripsi:* quod **M** || 15 nam ς: num **M** || 20 non *prius* **W**: noua **C** nulla **B V** || 25 sanitatem **B** || 27 tuae **B**, *et* **V** *ex* sue *corr.* || 32 angustum **B**.

que tramitem relictum tibi, alacrem hinc atque inde populum, ubique par gaudium paremque clamorem. tam aequalis ab omnibus ex aduentu tuo laetitia percepta est quam omnibus uenisti: quae tamen ipsa cum ingressu tuo creuit ac prope in singulos gradus adaucta est.

XXIII. Gratum erat cunctis quod senatum osculo exciperes, ut dimissus osculo fueras, gratum quod equestris ordinis decora honore nominum sine monitore signares, gratum quod tantum *non* ultro clientibus salutatis quasdam familiaritatis notas adderes; gratius tamen quod sensim et placide et quantum respectantium turba pateretur incederes, quod occursantium populus te quoque, te immo maxime artaret, quod primo statim die latus tuum crederes omnibus. neque enim stipatus satellitum manu, sed circumfusus undique nunc senatus nunc equestris ordinis flore, prout alterutrum frequentiae genus inualuisset, silentes quietosque lictores tuos subsequebare: nam milites nihil a plebe habitu tranquillitate modestia differebant. ubi uero coepisti Capitolium ascendere, quam laeta omnibus adoptionis tuae recordatio! quam peculiare gaudium eorum qui te primi eodem loco salutauerant imperatorem! quin etiam deum ipsum *patrem* tuum praecipuam uoluptatem operis sui percepisse crediderim. utque dein isdem uestigiis institisti quibus parens tuus ingens illud deorum prolaturus arcanum, quae circumstantium gaudia! quam recens clamor! quam similis illi dies qui hunc ge-

1 hinc atque inde *om.* **B** ‖ 8 ut dim. osc. fueras *om.* **B V** ‖ 10 tantum non *Lipsius:* tantum **M** tantum tum non *Liuineius* | clientibus] dicentibus **C** ‖ 12 quo tum **W** ‖ 13 accursantium **W** ‖ 14 te uno max. **V** | artaret *Behrius:* astaret **M** ‖ 15 statim] quoque **C** ‖ 19 nam] iam *N. Heinsius* ‖ 22 omnibus *om.* **W** ‖ 23 eodem loco *om.* **C** ‖ 24 salutauerant ς *Liuineius:* salutauerint **B V** salutauerunt **C w** ‖ 25 patrem *add. Beroaldus: om.* **M** deum ipsum tum *Liuineius* ‖ 26 utque dein *scripsi:* ut quidem **M** | institutis **B V** ‖ 29 genuit *scripsi:* genuit diem **M** illi diei qui h. g. dies *Liuineius* illi qui h. g. dies *Hauptius l. l.*

nuit! ut plena altaribus, angusta uictimis cuncta! ut in unius salutem collata omnium uota! cum sibi se ac liberis suis intellegerent precari quae pro te precarentur. inde tu in palatium quidem, sed eo uultu, ea moderatione, ut si priuatam domum peteres; ceteri ad penates suos quisque iteraturus gaudii fidem, ubi nulla necessitas gaudendi est.

XXIV. Onerasset alium eius modi introitus; tu cotidie admirabilior et melior, talis denique quales alii principes futuros se tantum pollicentur. solum ergo te commendat augetque temporis spatium. iunxisti enim ac miscuisti res diuersissimas, securitatem olim imperantis et incipientis pudorem. non tu ciuium amplexus ad pedes tuos deprimis nec osculum manu reddis: manet imperatori quoque prior oris humanitas: incedebas pedibus; incedis: laetabaris labore; laetaris: eadem illa quae omnia circa te nihil ipsum te fortuna mutauit. liberum est ingrediente per publicum principe subsistere occurrere, comitari praeterire: ambulas inter nos, non quasi *non* contingas, et copiam tui, non ut imputes, facis. haeret lateri tuo quisquis accessit, finemque sermonis suus cuique pudor, non tua superbia facit. regimur quidem a te et subiecti tibi, sed quemadmodum legibus sumus. nam et illae cupiditates nostras libidinesque moderantur, nobiscum tamen et inter nos uersantur. emines, excellis, ut honor, ut potestas, quae super homines quidem, hominum sunt tamen. ante te principes fastidio nostri et quodam aequalitatis metu usum pedum amiserant. illos ergo umeri ceruicesque seruorum super ora nostra, te fama, te gloria, te ciuium pietas, te libertas super priores principes

---

2 salute M ‖ 7 ubi] tibi B V ‖ 15 quoque *scripsi:* quae *uel* que M ‖ 17 eadem illa quae omnia *scripsi:* eademque illa omnia B V W eademque omnia illa C | ipsum *Liuineius:* ipso M in ipso *Lipsius* ‖ 19 principe *om.* W ‖ 20 non *addidi* ‖ 22 sermoni M, *correxi* ‖ 28 at ante te principes nostri fastidio w ‖ 32 priores *scripsi:* ipsos M omnes ς.

uehunt; te ad sidera tollit humus ista communis et confusa principis uestigia.

XXV. Nec uereor, patres conscripti, ne longior uidear, cum sit maxime optandum ut ea pro quibus aguntur principi gratiae multa sint: quae quidem reuerentius fuerit integra inlibataque cogitationibus uestris reseruari quam carptim breuiterque perstringi, quia fere sequitur ut illa quidem de quibus taceas *haut* tanta quanta sunt esse uideantur: nisi uero leuiter attingi placet locupletatas tribus datumque congiarium populo et datum totum, cum donatiui partem milites accepissent. an mediocris animi est his potius repraesentare quibus magis negari potest? quamquam in hac quoque diuersitate aequalitatis ratio seruata est. aequati sunt enim populo milites eo quod partem, sed priores, populus militibus quod posterior, sed totum statim accepit. enimuero quanta benignitate diuisum est! quantaeque curae tibi fuit ne quis expers liberalitatis tuae fieret! datum est his qui post edictum tuum in locum erasorum subditi fuerant, aequatique sunt ceteris illi etiam quibus non erat promissum. negotiis aliquis, ualetudine alius, hic mari, ille fluminibus distinebatur: expectatus est, prouisumque ne quis aeger, ne quis occupatus, ne quis denique longe fuisset: ueniret quisque, cum uellet, ueniret quisque, cum posset. magnificum, Caesar, et tuum disiunctissimas terras munificentiae ingenio uelut admouere immensaque spatia liberalitate contrahere, intercedere casibus, occursare fortunae atque omni ope adniti ne quis e plebe Romana dante congiarium te hominem se magis sentiret fuisse quam ciuem.

---

1 ista ς: ita **M** || 2 conf. priuatis uest. *Freinshemius* conf. plebis ac principis uest. *Schwarzius* conf. priuatis principis uest. *Mommsenus* conf. ista ciuium et principis uest. *Keilius* || 5 quae quodque **V W** || 8 ut] et **B V** | haut *addidi: om.* **M** || 10 locupletas **C** || 16 priores ς: prior est **M** || 17 quanta **B**: quaqua **C V** q^a **W** || 23 expectatum **C** || 27 tuum] illud **w** || 28 admonere **W** || 31 se *om.* **C**.

XXVI. Aduentante congiarii die obseruare principis egressum in publicum, insidere uias examina infantium futurusque populus solebat. labor parentibus erat ostentare paruulos impositosque ceruicibus adulantia uerba blandasque uoces edocere: reddebant illi quae monebantur. atqui plerique irritis precibus surdas principis aures obstrepebant ignarique quid rogassent, quid non impetrassent, donec plane scirent, differebantur. tu ne rogari quidem sustinuisti et, quamquam laetissimum oculis tuis esset conspectu Romanae sobolis impleri, omnes tamen, antequam te uiderent adirentue, recipi incidi iussisti, ut iam inde ab infantia parentem publicum munere educationis experirentur, crescerent de tuo qui crescerent tibi alimentisque tuis ad stipendia tua peruenirent tantumque omnes uni tibi quantum parentibus suis quisque deberet. recte, Caesar, quod spem Romani nominis sumptibus tuis suscipis. nullum est enim magno principe immortalitatemque merituro impendii genus dignius quam quod erogatur in posteros. locupletes ad tollendos liberos ingentia praemia et pares poenae cohortantur; pauperibus educandi una ratio est bonus princeps. hic fiducia sui procreatos nisi larga manu fouet auget amplectitur, occasum imperii, occasum rei publicae accelerat frustraque proceres plebe neglecta, ut desectum corpore caput nutaturumque instabili pondere, tuetur. facile est coniectare quod perceperis gaudium, cum te parentum liberorum senum infantium puerorum clamor exciperet. haec prima paruulorum ciuium uox aures tuas imbuit, quibus tu daturus alimenta hoc maxi-

---

1 aduentante antea *G. H. Schaeferus* ante te aduentante *Keilius. equidem ante* congiarii *intercidisse putauerim* condam || 2 uias *om.* **C** || 6 atqui *scripsi:* ac **M** at *Gesnerus* || 7 obstrepebant **w**: adstrepebant **M** || 9 differebant **C** || 12 incidi *om.* **W** || 13 parentum **M**, *corr.* ς | munus **B w** || 22 abhortantur **W** coartantur **B** | educandis **M** || 26 desectum **C**: defectum **B V W** || 31 imbuit **W**: imbutus **B C V**.

mum praestitisti ne rogarent. super omnia est tamen quod talis es ut sub te liberos tollere libeat expediat.

XXVII. Nemo iam parens filio nisi fragilitatis humanae uices horret, nec inter insanabiles morbos principis ira numeratur. magnum quidem est educandi incitamentum tollere liberos in spem alimentorum, in spem congiariorum; maius tamen in spem libertatis, in spem securitatis. atque adeo nihil largiatur princeps, dum nihil auferat; non alat, dum non occidat: nec deerunt qui filios concupiscant. contra largiatur et auferat, alat et occidat: ne ille mihi iam breui tempore effecerit ut omnes non posterorum modo sed sui parentumque paeniteat. quocirca nihil magis in tua tuta liberalitate laudauerim quam quod congiarium das de tuo, alimenta de tuo, neque a te liberi ciuium, ut ferarum catuli, sanguine et caedibus nutriuntur; quodque gratissimum est accipientibus, sciunt dari sibi quod nemini est ereptum, locupletatisque tam multis pauperiorem esse factum principem tantum, quamquam ne hunc quidem. nam cuius est quicquid est omnium, tantum ipse quantum omnes habet.

XXVIII. Alio me uocat numerosa gloria tua. alio autem? quasi uero iam satis ueneratus miratusque sim quod tantam pecuniam profudisti, non ut flagitii tibi conscius ab insectatione eius auerteres famam nec ut tristes hominum maestosque sermones laetiore materia detineres. nullam congiario culpam, nullam alimentis crudelitatem redemisti, nec tibi bene faciendi fuit causa ut quae male feceras impune fecisses. amor impendio isto, non uenia quaesita est,

---

7 in spem alimentorum *om.* W ‖ 11 nec deerunt — 12 occidat *om.* C ‖ 12 $\overset{i}{\text{m}}$ iam *ego:* in tam C W uitam B V inquam *Liuineius* tum in *Gronouius* etiam *Schwarzius* iam *Gesnerus* ‖ 15 tuta *scripsi:* tota M ‖ 16 alimenta de tuo *om.* W ‖ 21 ne u: nec M | hunc] hoc W.

populusque Romanus obligatus a tribunali tuo, non exoratus recessit. obtulisti enim congiarium gaudentibus gaudens securusque securis; quodque antea principes ad odium sui leniendum tumentibus plebis animis obiectabant, id tu tam innocens populo dedisti quam populus accepit. paulo minus, patres conscripti, quinque milia ingenuorum fuerunt quae liberalitas principis nostri conquisiuit, inuenit, adsciuit. hi subsidium bellorum, ornamentum pacis publicis sumptibus aluntur patriamque non ut patriam tantum uerum ut altricem amare condiscunt. ex his castra, ex his tribus replebuntur, ex his quandoque nascentur quibus alimentis opus non sit. dent tibi, Caesar, aetatem di quam mereris seruentque animum quem dederunt: et quanto maiorem infantium turbam iterum atque iterum iubebis incidi! augetur enim cotidie et crescit, non quia cariores parentibus liberi, sed quia principi ciues. dabis congiaria, si uoles; praestabis alimenta, si uoles: illi tamen propter te nascuntur.

XXIX. Instar ego perpetui congiarii reor affluentiam annonae. huius aliquando cura Pompeio non minus addidit gloriae quam pulsus ambitus campo, exactus hostis mari, oriens triumphis occidensque lustratus. nec uero ille ciuilius quam parens noster auctoritate consilio fide reclusit uias, portus patefecit, itinera terris, litoribus mare, litora mari reddidit diuersasque gentes ita commercio miscuit ut, quod genitum esset usquam, id apud omnes natum esse uideretur. nonne cernere datur ut sine ullius iniuria omnis usibus nostris annus exuberet? quippe non ut ex hostico raptae perituraeque in horreis messes nequicquam quiritantibus sociis auferuntur. deuehunt ipsi

4 principes **W** r: princeps **u V** *et* **B m**, *sed in his corr.* ‖ 5 iam **W** | innocentius **w** ‖ 16 iubebis **B V**: uidebis **C W** uidebis iubebis *Cusp.* ‖ 19 praestabis alimenta si uoles *om.* **C** ‖ 26 itineribus terras, itinera terris *Mommsenus* ‖ 31 amnis **C V** ‖ 31 exuberetur **C** ‖ 33 queritantibus **M**, *corr.* ς.

quod terra genuit, quod sidus aluit, quod annus tulit, nec nouis indictionibus pressi ad uetera tributa deficiunt. emit fiscus quidquid uidetur emere. inde copiae, inde annona de qua inter licentem uendentemque conueniat, inde hic satietas nec fames usquam.

XXX. Aegyptus alendis augendisque seminibus ita gloriata est ut nihil imbribus caeloque deberet; siquidem proprio semper amne perfusa nec alio genere aquarum solita pinguescere quam quas ipsa deuexerat tantis segetibus induebatur ut cum feracissimis terris quasi numquam cessura certaret. haec inopina siccitate usque in iniuriam sterilitatis exaruit, quia piger Nilus cunctanter alueo sese ac languide extulerat, ingentibus ille quidem tunc quoque fluminibus, fluminibus tamen conferendus. hinc pars magna terrarum mergi repararique amne consueta alto puluere incanduit. frustra tunc Aegyptus nubila optauit caelumque respexit, cum ipse fecunditatis parens contractior et exilior isdem ubertatem eius angustiis quibus abundantiam suam cohibuisset. neque enim solum uagus ille, *cum* expandatur, amnis intra usurpata semper uallium substiterat atque haeserat, sed supino etiam ac non detinenti solo placido se mollique lapsu refugus abstulerat necdum satis umentes terras addiderat arentibus. igitur inundatione indeque ubertate regio fraudata sic opem Caesaris inuocauit ut solet amnem suum: nec longius illi aduersorum fuit spatium quam dum nuntiat. tam uelox, Caesar, potentia tua est tamque in omnia

---

3 emere; *malim* ei e re ‖ 9 ipsa *Lipsius:* ipse **M** ‖ 11 inopia **B V m** ‖ 14 ille quidem tunc quoque *Keilius:* quidem tunc quoque ille **B V** quidem quoque tunc ille **C** quoque tu ne quidem nille (nile ς) **w** ‖ 16 mergi reparari que ς: mergere pararique (parique **m u**) **M** mergi palanti ς ‖ 19 ubertatem eius ang. *scripsi:* ubertatis eius ang. **M** ubertatis eius anni ang. ς ubertatem eius anni ang. *edd.* ‖ 21 cum *add.* **w**: *om.* **M** | expanditur **w** ‖ 22 uallium *scripsi:* collium **M** ‖ 23 non detinenti solo *scripsi:* detinenti solo non **M** ‖ 24 refugum **M**, *correxi* ‖ 26 indeque *scripsi:* id est **M** idem **w** | regionis **B**.

pariter intenta bonitas et accincta ut tristius aliquid saeculo tuo passis ad remedium salutemque sufficiat ut scias.

XXXI. Omnibus equidem gentibus fertiles annos gratasque terras precor: crediderim tamen per hunc Aegypti statum tuas fortunam uires experiri tuamque uigilantiam spectare uoluisse. nam cum omnia ubique secunda merearis, nonne manifestum est, si quid aduersi cadat, tuis laudibus tuisque uirtutibus materiam campumque praesterni, cum secunda felices, aduersa magnos probent? percrebuerat antiquitus urbem nostram nisi opibus Aegypti ali sustentarique non posse. superbiebat uentosa et insolens natio quod uictorem quidem populum pasceret tamen quodque in suo flumine, in suis nauibus uel abundantia nostra uel fames esset. refudimus Nilo suas copias: recepit frumenta quae miserat deportatasque messes reuexit. discat igitur Aegyptus credatque experimento non alimenta se nobis sed tributa praestare: sciat se non esse populo Romano necessariam et tamen seruiat. post haec, si uolet, Nilus amet alueum suum et fluminis modum seruet: nihil hoc ad urbem ac ne ad Aegyptum quidem, nisi ut inde nauigia inania et uacua et similia redeuntibus, hinc plena et onusta et qualia solent uenire mittantur conuersoque munere maris hinc potius uenti ferentes et breuis cursus optentur. mirum, Caesar, uideretur, si desidem Aegyptum cessantemque Nilum non sensisset urbis annona; quae tuis opibus, tua cura usque illuc redundauit ut simul probaretur et nos Aegypto posse et nobis Aegyptum carere non posse. actum erat de fecundissima gente, si libera fuisset: pudebat sterilitatis insolitae, nec minus erubescebat fame quam torquebatur, cum pariter a te necessi-

7 spectare ς: expectare **M** ‖ 8 secunda ubique **W** ‖ 10 praesterni *Lipsius:* prosterni **M** ‖ 15 nauibus **w**: manibus **M** ‖ 16 uestra **B V** ‖ 21 nolet **W** ‖ 31 uobis **V** ‖ 32 facundissima ‖ 34 quam **B V**: qua **C W**.

tatibus eius pudorique subuentum est. stupebant agricolae plena horrea quae non ipsi refersissent, quibus de campis illa subuecta messis quaue in Aegypti parte alius amnis. ita beneficio tuo nec maligna tellus et obsequens Nilus: *is* Aegypto quidem saepe, sed gloriae nostrae numquam largior fluxit.

XXXII. Quam nunc iuuat prouincias omnes in fidem nostram dicionemque uenisse, postquam contigit princeps qui terrarum fecunditatem nunc huc nunc illuc, ut tempus et necessitas posceret, transferret referretque, qui diremptam mari gentem ut partem aliquam populi plebisque Romanae aleret ac tueretur! et caelo quidem numquam benignitas tanta ut omnes simul terras ubertet foueatque: hic omnibus pariter, si non sterilitatem, at mala sterilitatis exturbat: hic, si non fecunditatem, at bona fecunditatis importat: hic alternis commeatibus orientem occidentemque conectit, ut, quae ferunt quaeque exportant orae, inuicem capiant gentes discant*que* quanto libertati discordi seruientibus sit utilius unum esse cui seruiant. quippe discretis quidem bonis omnium sua cuiusque ad singulos mala; sociatis autem atque permixtis singulorum mala ad neminem, ad omnes omnium bona pertinent. sed siue terris diuinitas quaedam siue aliquis amnibus genius, et solum illud et flumen ipsum precor ut hac principis benignitate contentum molli gremio semina recondat, multiplicata restituat. non quidem reposcimus fenus: putet tamen esse soluendum fallacemque unius

---

4 amnis **W** r: annus **B C m u** (*sed in* u *corr. ex* amnus) || 5 is *addidi* || 7 quam] quoniam **C** || 9 terrarum qui **C** || 11 direptam **M**, *corr.* ς || 13 et] e **W** || 14 uberet **M**, *corr.* ς || 15 at **C W**: atque **B V** || 16 at] sed **w** || 17 alternis *Lipsius:* aeternis **M** || 18 quae ferunt quaeque expetunt opes gentes discant inuicem capiant **M**, *ego correxi.* quae seruntur (*ita Liuineius*) quaeque emetuntur omnes (*ita uulgo*) inuicem capiant gentes discantque *Hauptius l. l. p. 28* || 20 libertate **M**, *corr. Gesnerus* || 21 esse unum **C** || 24 omnium *Liuineius:* omnia **M**.

anni fidem omnibus annis omnibusque postea saeculis tanto magis quia non exigimus excuset.

XXXIII. Satis factum qua ciuium qua sociorum utilitatibus. uisum est spectaculum inde non enerue nec fluxum nec quod animos uirorum molliret et frangeret, sed quod ad pulcra uulnera contemptumque mortis accenderet, cum in seruorum etiam noxiorumque corporibus amor laudis et cupido uictoriae cerneretur. quam deinde in edendo liberalitatem, quam iustitiam exhibuit omni affectione aut intactus aut maior! impetratum est quod postulabatur, oblatum quod non postulabatur. institit ultro et ut concupisceremus admonuit, ac sic quoque plura inopinata, plura subita. iam quam libera spectantium studia, quam securus fauor! nemini impietas, ut solebat, obiecta quod odisset gladiatorem: nemo e spectatore spectaculum factus miseras uoluptates unco et ignibus expiauit. demens ille uerique honoris ignarus qui crimina maiestatis in harena colligebat ac se despici et contemni, nisi etiam gladiatores eius ueneraremur, sibi male dici in illis, suam diuinitatem, suum numen uiolari interpretabatur, cumque se idem quod deos, idem gladiatores quod se putabat.

XXXIV. At tu, Caesar, quam pulcrum spectaculum pro illo nobis execrabili reddidisti! uidimus delatorum iudicium quasi grassatorum, quasi latronum. non solitudinem illi, non iter, sed templum, sed forum insederant: nulla iam testamenta secura, nullius status certus: non orbitas, non liberi proderant. auxerat hoc malum partim auaritia * * * aduertisti oculos atque ut ante castris ita postea pacem foro reddidisti: excidisti intestinum malum et prouida

3 qua soc. — eneruе *om.* **W**, *add.* **w** *marg.* ‖ 5 nec *alt. om.* **W**, *add. m. rec.* ‖ 11 quod *om.* **B V** ‖ 13 si quoque **W m** ‖ 16 e spectatore spectaculum *Liuineius:* expectator expectaculum **M** et spect. et spect. **w** ‖ 19 harena ς: hac re **B V W u** hare **m r** ‖ 26 iudicium] inductum **W** ‖ 27 non iter *Cusp.:* nouiter **M** ‖ 28 nullius *idem:* nullus **M** ‖ 30 partim] principum *edd.; lacunam signif. Keilius.*

seueritate cauisti ne fundata legibus ciuitas euersa legibus uideretur. licet ergo cum fortuna tum liberalitas tua uisenda nobis praebuerit, ut praebuit, nunc ingentia robora uirorum et pares animos, nunc immanitatem ferarum nunc mansuetudinem incognitam, nunc secretas illas et arcanas ac sub te primum communes opes; nihil tamen gratius, nihil saeculo dignius quam quod contigit desuper intueri delatorum supina ora retortasque ceruices. agnoscebamus et fruebamur, cum uelut piaculares publicae sollicitudinis uictimae supra sanguinem noxiorum ad lenta supplicia grauioresque poenas ducerentur. congesti sunt in nauigia raptim conquisita ac tempestatibus dediti: abirent, fugerent uastatas delationibus terras; ac si quem fluctus ac procellae scopulis reseruassent, hic nuda saxa et inhospitale litus incoleret, ageret duram et anxiam uitam relictaque post tergum totius generis humani securitate maereret.

XXXV. Memoranda facies, delatorum classis permissa omnibus uentis coactaque uela tempestatibus pandere iratosque fluctus sequi, quoscumque in scopulos detulissent. iuuabat prospectare statim a portu sparsa nauigia et apud illud ipsum mare agere principi gratias qui clementia sua salua ultionem hominum terrarumque dis maris commendasset. quantum diuersitas temporum posset tum maxime cognitum est, cum isdem quibus antea cautibus innocentissimus quisque tunc nocentissimus adfigeretur cumque insulas omnes, quas modo senatorum, iam delatorum turba compleret; quos quidem non in praesens tantum sed in aeternum repressisti mille poenarum indagine inclusos. ereptum alienas pecunias eunt; perdant quas habent: expellere penatibus gestiunt; suis exturbentur neque, ut antea, exan-

---

10 peculiares **W** || 14 uastas **W**, *corr. m. rec.* || 23 illud **w**: illum **M** || 27 quibus *om.* **W**; cautibus *post* isdem *traiecerim* || 28 nunc **W** || 31 mille] in illa **w** || 34 ut antea] utantur eis **W**.

guem illam et ferream frontem nequicquam conuulnerandam praebeant punctis et notas suas rideant, sed expectent paria praemio damna nec maiores spes quam metus habeant timeantque quantum timebantur. ingenti quidem animo diuus Titus securitati nostrae ultionique prospexerat ideoque numinibus aequatus est: sed quanto tu quandoque dignior caelo, qui tot res illis adiecisti propter quas illum deum fecimus! id hoc magis arduum fuit quod imperator Nerua te filio, te successore dignissimus perquam magna quaedam edicto Titi adstruxerat nihilque reliquisse nisi tibi uidebatur, qui tam multa excogitasti, ut si ante te nihil esset inuentum. quae singula quantum tibi gratiae dispensata adiecissent! at tu simul omnia profudisti, ut sol et dies non parte aliqua sed statim totus, nec uni aut alteri sed omnibus in commune profertur.

XXXVI. Quam iuuat cernere aerarium silens et quietum et quale ante delatores erat! nunc templum illud, nunc uere aedes, non spoliarium ciuium cruentarumque praedarum saeuum receptaculum ac toto in orbe terrarum adhuc locus unus in quo optimo principe boni malis impares essent. manet tamen honor legum, nihilque ex publica utilitate conuulsum, nec poena cuiquam remissa, sed addita est ultio, solumque mutatum quod iam non delatores, sed leges timentur. at fortasse non eadem seueritate fiscum qua aerarium cohibes: immo tanto maiore quanto plus tibi licere de tuo quam de publico credis. dicitur actori atque etiam procuratori tuo 'in ius ueni, sequere ad tribunal'. nam tribunal quoque excogitatum principatui est par ceteris, nisi illud litigatoris amplitudine metiaris. sors et urna fisco iudicem as-

3 expectent *Schwarzius:* spectent **M** | praemia ac damna **w** || 8 illis *Lipsius:* illi **M** | illum **w**: alium **M** || 10 per quem **C W** || 15 perfudisti **M**, *corr.* ς | sol *deleuerim* || 20 aedes *Gronouius obs. IV 16:* deus **M** || 24 nihil ex **W** || 32 principatui *Lipsius:* cruciatui **C** cruciatum **B V W** || 33 urna] irena **B V**.

signat: licet reicere, licet exclamare 'hunc nolo, timidus est et bona saeculi parum intellegit: illum uolo qui Caesarem fortiter amat'. eodem foro utuntur principatus et libertas, quaeque praecipua tua gloria est, saepius uincitur fiscus; cuius mala causa numquam est nisi sub bono principe. ingens hoc meritum: maius illud quod eos procuratores habes ut plerumque ciues tui non alios iudices malint. liberum est autem discriminis 'nolo eum eligere'. neque enim ullam necessitatem muneribus tuis addis, ut qui scias hanc esse beneficiorum principalium summam, si illis et non uti licet.

XXXVII. Onera imperii pleraque uectigalia institui ut pro utilitate communi ita singulorum *cum* iniuriis coegere. in his uicesima reperta est, tributum tolerabile et facile heredibus dumtaxat extraneis, domesticis graue. itaque illis irrogatum est, his remissum; uidelicet quod manifestum erat quanto cum dolore laturi seu potius non laturi homines essent destringi aliquid et abradi bonis quae sanguine, gentilitate, sacrorum denique societate meruissent quaeque numquam ut aliena et speranda, sed ut sua semperque possessa ac deinceps proximo cuique transmittenda cepissent. haec mansuetudo legis ueteribus ciuibus seruabatur: noui, seu per Latium in ciuitatem seu beneficio principis uenissent, nisi simul cognationis iura impetrassent, alienissimi habebantur quibus coniunctissimi fuerant. ita maximum beneficium uertebatur in grauissimam iniuriam, ciuitasque Romana instar erat odii et discordiae et orbitatis, cum carissima pignora salua ipsorum pietate distraheret. inueniebantur tamen quibus tantus amor

---

3 uolo] nolo **B V u r** | quia **C** || 4 quaeque *Lipsius:* quae **M** || 9 discriminis] disceptanti dicere *Catanaeus* | nolo **C:** uolo **B V W** || 11 beneficium **C** || 14 cum *addidi: om.* **M** || 15 coegere. in his *scripsi:* cogerent his **B V** cogerentur his **C W** coegerunt. his (in his *Keilius*) *Catanaeus* || 21 sacroque den. **W** || 25 ciuibus *om.* **W** || 32 tamen] inde **B**.

nominis nostri inesset ut Romanam ciuitatem non uicesimae modo uerum etiam affinitatum damno bene compensari putarent; sed his maxime debebat gratuita contingere a quibus tam magno aestimabatur. igitur pater tuus sanxit ut quod ex matris ad liberos, ex liberorum bonis peruenisset ad matrem, etiamsi cognationum iura non recepissent, cum ciuitatem adipiscerentur, eius uicesimam ne darent. eandem immunitatem in paternis bonis filio tribuit, si modo reductus esset in patris potestatem, ratus improbe et insolenter ac paene impie his nominibus inseri publicanum nec sine piaculo quodam sanctissimas necessitudines uelut intercedente uicesima scindi; nullum tanti esse uectigal quod liberos ac parentes faceret extraneos.

XXXVIII. Hactenus ille: parcius fortasse quam decuit optimum principem, sed non parcius quam optimum patrem, qui *optimum* adoptaturus hoc quoque parentis indulgentissimi fecit quod delibasse quaedam seu potius demonstrasse contentus largam ac prope intactam bene faciendi materiam filio reseruauit. statim ergo muneri eius liberalitas tua astruxit ut, quemadmodum in patris filius, sic in hereditate filii pater esset immunis nec eodem momento quo pater esse desisset hoc quoque amitteret quod fuisset. egregie, Caesar, quod lacrimas parentum uectigales esse non pateris. bona filii pater sine deminutione possideat nec socium hereditatis accipiat qui non habet luctus: nemo recentem et attonitam orbitatem ad computationem uocet cogatque patrem quid reliquerit filius scire. augeo, patres conscripti, principis munus, cum ostendo liberalitati

1 inesset *om.* **W** ‖ 3 debebat *om.* **W** *in ras. 3 litt.* ‖ 4 gratuito **C** ‖ 10 redactus *Cuiacius obs. X 23,* relictus e. i. p. potestate *Liuineius* ‖ 14 esse tanti **C** ‖ 18 optimum *add. Catanaeus: om.* **M** ‖ 19 delibasse *Beroaldus:* deliberasse **M** ‖ 22 ergo] igitur **W** | numeri **B** ‖ 25 desisset **w**: dedisset **M** ‖ 28 diminutione **M** ‖ 29 quem non habet *Lipsius*

eius inesse rationem. ambitio enim et iactantia et effusio et quiduis potius quam liberalitas existimanda est cui ratio non constat. dignum ergo, imperator, mansuetudine tua minuere orbitatis iniurias nec pati quemquam filio amisso insuper affici alio dolore. sic quoque abunde misera res est pater filio solus heres: quid, si coheredem non a filio accipiat? adde quod, cum diuus Nerua sanxisset ut in paternis bonis liberi necessitate uicesimae soluerentur, congruens erat eandem immunitatem parentes in liberorum bonis obtinere. cur enim posteris amplior honor quam maioribus haberetur curue non retro quoque recurreret aequitas? *an* non eadem? tu quidem, Caesar, illam exceptionem remouisti 'si modo filius in potestate patris fuisset', intuitus, opinor, uim legemque naturae, quae semper in dicione parentum esse liberos iussit nec uti inter pecudes sic inter homines potestatem et imperium ualentioribus dedit.

XXXIX. Nec uero contentus primum cognationis gradum abstulisse uicesimae secundum quoque exemit cauitque ut in sororis bonis frater et contra in fratris soror, utque auus *et* auia in neptis nepotisque et inuicem illi seruarentur immunes. his quoque quibus per Latium ciuitas Romana patuisset idem indulsit omnibusque inter se cognationum iura commisit simul et pariter et more naturae, quae priores principes a singulis rogari gestiebant non tam praestandi animo quam negandi. ex quo intellegi potest quantae benignitatis, quanti spiritus fuerit sparsas atque, ut ita dicam, laceras gentilitates colligere atque conectere et quasi renasci iubere; deferre quod negabatur atque id praestare cunctis quod saepe singuli non impetrassent; postremo ipsum sibi

---

2 et quiduis **C**: quiduis **B V W** | quam *deleuerim* ‖ 11 cur enim *edd.*: cur ei in **M** ‖ 13 an *addidi*: *om.* **M** recurreret aequitas eadem, *om.* non, *edd.* ‖ 23 et *add.* ς: *om.* **M** ‖ 26 permisit *Schwarzius;* concessit *Keilius* ‖ 27 simul] semel **W**

eripere tot beneficiorum occasiones, tam numerosam obligandi imputandique materiam. indignum credo ei uisum ab homine peti quod *dei* dedissent. soror estis et frater, auus et nepotes: quid est ergo cur rogetis ut sitis? uobis adest is qui pro cetera sua moderatione non minus inuidiosum putat dare hereditatem quam auferre. laeti ergo adite honores, capessite ciuitatem: neminem hoc necessitudinis abruptum uelut truncum amputatumque destituet: isdem omnes quibus ante pignoribus, sed honestiores perfruentur. ac ne remoti quidem iamque deficientis affinitatis gradus a qualibet quantitate uicesimam inferre cogentur. statuit enim communis omnium parens summam quae publicanum pati posset.

XL. Carebit onere uicesimae parua et exilis hereditas et, si ita gratus heres uolet, tota sepulcro, tota funeri seruiet: nemo obseruator, nemo castigator adsistet. cuicumque modica pecunia ex hereditate alicuius obuenerit, securus habeat quietusque possideat. ea lex uicesimae dicta est ut ad periculum eius perueniri nisi opibus non possit. conuersa est iniquitas in gratulationem, iniuria in uotum: optat heres ut uicesimam debeat. additum est ut qui eiusmodi ex causis in diem edicti uicesimam deberent, nondum tamen intulissent, non inferrent. at in praeteritum subuenire ne di quidem possunt: tu tamen subuenisti cauistique ut desineret quisque debere quod *non* esset postea debiturus, id est, effecisti ne malos principes habuissemus. quo ingenio, si

3 dii *add.* **w**: *om.* **C W** non **B** natura **V**, *qui et* dedisset | soror *Liuineius:* sorores **M** || 4 et *ante* auus *add.* **B V** || 5 rogetis **B V**: egetis **W** regitis **C** | adest is *scripsi:* estis **M** || 11 remoti *scripsi:* remotius **M** remotus *edd.* || 13 cogentur **B V u r**: cogetur **m** cogeretur **w** || 14 posset ς: possit **M** || 15 carebit honore onere **V** || 16 *et* 17 totam **w** || 17 seruiet *Sichardus:* seruet **M** || 18 cuicumque *Schwarzius:* cuiuscumque **M** | modica **W**: modi ea **B V C** || 19 securus **C W**: serus **B V** || 24 in idem **C** || 28 non *om.* **M** | id est *Liuineius:* idem **M**

natura pateretur, quam libenter tot spoliatis, tot trucidatis sanguinem et bona refudisses! uetuisti exigi quod deberi non tuo saeculo coeperat. alius ut contumacibus irasceretur tarditatemque soluendi dupli uel etiam quadrupli irrogatione multaret: tu nihil referre iniquitatis existimas, exigas quod deberi non oportuerit an constituas ut debeatur.

XLI. Feres, Caesar, curam et sollicitudinem consularem. nam mihi cogitanti eundem te collationes remisisse, donatiuum reddidisse, congiarium obtulisse, delatores abegisse, uectigalia temperasse, interrogandus uideris satisne computaueris imperii reditus. an tantas uires habet frugalitas principis ut tot impendiis, tot erogationibus sola sufficiat? nam quid est causae cur aliis quidem, cum omnia raperent et rapta retinerent, ut si nihil rapuissent, defuerint omnia, tibi, cum tam multa largiaris et nihil auferas, ut si nihil largiaris et auferas *omnia*, omnia supersint? numquam principibus defuerunt qui fronte tristi et graui supercilio utilitatibus fisci contumaciter adessent. et erant principes ipsi sua sponte auidi et rapaces et qui magistris non egerent; plura tamen semper a nobis contra nos didicerunt. sed ad tuas aures cum ceteris omnibus tum uel maxime auaris adulationibus obstructus est aditus. silent ergo et quiescunt, et, postquam non est cui suadeatur, qui suadeant non sunt. quo euenit ut, cum plurimum tibi pro tuis, plus tamen pro nostris moribus debeamus.

XLII. Locupletabant et fiscum et aerarium non tam Uoconiae et Iuliae leges quam maiestatis singulare

---

2 sanguine **C** ‖ 5 uel etiam *edd.*: uel et **M** uel *siue* et ς ‖ 8 fers **B** ‖ 13 frugalitas **w**: fragilitas **M** ‖ 16 *post* rapuissent *edd. addunt* nihil detinuissent (retinuissent *Liuineius*) ‖ 17 et nihil **B V**: et **C** nec **w** ‖ 18 ut si nihil largiaris et auferas **B V**: *om.* **C W** *causa aperta* | omnia, omnia *scripsi:* omnia **M** ‖ 20 graui et tristi **C** ‖ 21 ipsi *om.* **W** ‖ 28 tibi cum plurimum **C**

et unicum crimen eorum qui crimine uacarent. huius tu metum penitus sustulisti contentus magnitudine, qua nulli magis caruerunt quam qui sibi maiestatem uindicabant. reddita est amicis fides, liberis pietas, obsequium seruis: uerentur et parent et dominos habent. non enim iam serui nostri principis amici, sed nos sumus, nec pater patriae alienis se mancipiis cariorem quam ciuibus suis credit. omnis accusatore domestico liberasti unoque salutis publicae signo illud, ut sic dixerim, seruile bellum sustulisti. in quo non minus seruis quam dominis praestitisti: nos enim securos, illos bonos fecisti. non uis in te ea laudari, nec fortasse laudanda sint: grata tamen sunt recordantibus principem illum in capita dominorum seruos subornantem monstrantemque crimina quae tamquam delata puniret: magnum et ineuitabile ac totiens cuique experiendum malum quotiens quisque similes principi seruos haberet.

XLIII. In eodem genere ponendum est quod testamenta nostra secura sunt, nec unus omnium, nunc quia scriptus, nunc quia non scriptus, heres. non tu falsis, non tu iniquis tabulis aduocaris. nullius ad te iracundia, nullius impietas, nullius furor confugit; nec quia offendit alius, nuncuparis, sed quia ipse meruisti. scriberis ab amicis, ab ignotis praeteriris, nihilque inter priuatum et principem interest, nisi quod nunc a pluribus amaris: nam et plures amas. tene, Caesar, hunc cursum et probetur experimento sitne feracius et uberius non ad laudem modo sed ad pecuniam principi, si herede illo homines mori uelint quam si cogantur. donauit pater tuus multa,

1 crimini **C W** ‖ 6 principis nostri **C** ‖ 9 omnes **W** | accusator e **C B** ‖ 10 ut] ait **C** ‖ 12 hos enim ς *edd.* ‖ 13 in te ea *Keilius:* interea **B V w** in terra **C** ‖ 14 tamen sunt **B V**: sunt tamen **C W** ‖ 21 nunc quia non scriptus *om.* **C** | heres es *Liuineius* ‖ 23 contigit **C** ‖ 26 nihil inter **W** ‖ 28 tunc **C** | probetur **B V**: probiter **C W** probatur ς probabitur *edd.*

multa et ipse donasti. cesserint parum gratis: manent tamen digni bonis eis, nihilque ex illis ad te nisi gloria redit. nam liberalitatem iucundiorem debitor gratus, clariorem ingratus facit. sed quis ante te laudem istam pecuniae praetulit? quotus quisque principum ne id quidem in patrimoniis nostris suum duxit quod esset de suo? nonne ut regum ita Caesarum munera illitos cibis hamos, opertos praeda laqueos aemulabantur, cum priuatis facultatibus uelut *fautores* aucta et multiplicata retro secum, quicquid attigerant, referrent?

XLIV. Quam utile est ad usum secundorum per aduersa uenisse! uixisti nobiscum, periclitatus es, timuisti, quae tunc erat innocentium uita. scis et expertus es quantopere detestentur malos principes etiam qui malos faciunt. meministi quae optare nobiscum, quae sis queri solitus. nam priuati iudicio principem geris, meliorem immo te praestas quam tibi alium precabare. itaque sic imbuti sumus ut, quibus erat summa uotorum melior pessimo princeps, iam non possimus nisi optimum ferre. nemo est ergo tam tui, tam ignarus sui ut locum istum post te concupiscat. facilius est ut esse aliquis successor tuus possit quam ut uelit. quis enim curae tuae molem sponte subeat? quis comparari tibi non reformidet? expertus et ipse es quam sit onerosum succedere bono principi, et afferebas excusationem adoptati. an parua pronaque sunt ad aemulandum quod nemo incolumitatem turpitudine rependit? salua est omnibus uita et dignitas uitae, nec iam consideratus ac

---

1 multa *add. Ernestius: om.* **M** | cesserint p. gratis *Liuineius:* cesserit p. gratus **M** ceperit p. gratus *Lipsius* cesserit p. grate *Keilius* ‖ 2 digni *scripsi:* hi qui **M** | eis *Lipsius:* eius **M** tuis *Liuin.* ‖ 6 dixit **B** *puto* nostris non suum duxit ‖ 9 fautores *addidi: om.* **M** ‖ 10 aucta *Liuineius:* hausta **M** | amplificata *Gruterus* ‖ 12 usus **W** ‖ 17 priuati *Lipsius:* priuato **M** ‖ 21 possumus **M**, *corr.* ς ‖ 22 istum *Liuineius:* ipsum **M** ‖ 24 moles **w** ‖ 27 efferebas **C** ‖ 28 prona paruaque **C**

sapiens qui aetatem in tenebris agit. eadem quippe sub principe uirtutibus praemia quae in libertate, nec bene factis tantum ex conscientia merces. amas constantiam ciuium rectosque ac uiuidos animos non, ut alii, contundis ac deprimis, sed foues et attollis. prodest bonos esse, cum sit satis abundeque, si non nocet: his honores, his sacerdotia, his prouincias offers: hi amicitia tua, hi iudicio florent. acuuntur isto integritatis et industriae pretio similes, dissimiles alliciuntur: nam praemia bonorum [malorumque] bonos ec malis faciunt. pauci adeo ingenio ualent ut non turpe honestumque, prout bene aut secus cessit, expetant fugiantue; ceteri, ubi laboris inertiae, uigilantiae somni, frugalitatis luxuriae merces datur, eadem ista quibus alios artibus assecutos uident consectantur: qualesque sunt illi, tales esse et uideri uolunt et, dum uolunt, fiunt.

XLV. Et priores quidem principes, excepto patre tuo, praeterea uno aut altero (nec nimis dixi), uitiis potius ciuium quam uirtutibus laetabantur: primum quod in alio sua quemque natura delectat, deinde quod patientiores seruitutis arbitrabantur quos non deceret esse nisi seruos. horum in sinum omnia congerebant, bonos autem otio ac situ abstrusos et quasi sepultos non nisi delationibus et periculis in lucem ac diem proferebant. tu amicos ex optimis *sumis;* et hercule aequum est esse eos carissimos bono principi qui inuisi malo fuerint. scis, ut sunt

---

2 praem. uirtut. **W** ‖ 4 rectos **W** erectosque *Wassius* | uiuidos ς: inuidos **B C V** mundos **W** ‖ 8 acuuntur **B C**: acciuntur **V W** ‖ 9 isto *Lipsius:* isti **M** ‖ 10 malorumque *seclusi* ‖ 11 ec malis *scripsi:* ac malos **M** ‖ 12 aut *Bentleius in Hor. sat. II, 1, 31:* ac **M** ‖ 14 somno **M**, *correxi* | frugalitati **w** ‖ 19 nec *scripsi:* et **M** ‖ 20 primum quod — 22 arbitrabantur *om.* **B V** ‖ 21 deinde quod *Aldus:* denique quos **C W** ‖ 24 ac *Ernestius:* aut **M** ‖ 26 ac] et **W** ‖ 27 sumis *add. Keilius: om.* **M** legis *edd.* ‖ 28 inuisi malo *edd.:* inuisi in malo **C** inmus si in malo **V** immunes in malo **B** formidolosi in malo **w** | sunt ς *Liuineius:* sint **W** sicut **B C V**

diuersa natura dominatio et principatus, ita non aliis esse principem gratiorem quam qui maxime dominum grauentur. hos ergo prouehis et ostentas quasi specimen et exemplar, quae tibi secta uitae, quod hominum genus placeat; et ideo non censuram adhuc, non praefecturam morum recepisti, quia tibi beneficiis potius quam remediis ingenia nostra experiri placet. et alioquin nescio an plus moribus conferat princeps qui bonos esse patitur quam qui cogit. flexibiles quamcumque in partem ducimur a principe atque, ut ita dicam, sequaces sumus: huic enim cari, huic probati esse cupimus, quod frustra sperauerint dissimiles; eoque obsequii continuatione peruenimus ut prope omnes hominis unius moribus uiuamus. porro non tam sinistre constitutum est ut, qui malum principem possumus, bonum non possimus imitari. perge modo, Caesar, et uim effectumque censurae tuum propositum, tui actus obtinebunt. nam uita principis censura est eaque perpetua: ad hanc dirigimur, ad hanc conuertimur, nec tam imperio nobis opus est quam exemplo. quippe infidelis recti magister est metus. melius homines exemplis docentur, quae in primis hoc in se boni habent quod approbant quae praecipiunt fieri posse.

XLVI. Et quis terror ualuisset efficere quod reuerentia tui effecit? obtinuit aliquis ut spectaculum pantomimorum populus Romanus tolli pateretur, sed non obtinuit ut uellet: rogatus es tu quod cogebat alius, coepitque esse beneficium quod necessitas fuerat. neque enim a te minore concentu ut tolleres pantomimos quam a patre tuo ut restitueret exactum est. utrumque recte: nam et restitui oportebat quos sustulerat malus princeps et tolli restitutos. in his enim quae a malis bene fiunt hic tenendus est mo-

3 dominio **w** || 7 potius] prius **B V** || 10 cogit] tegit **C** | patrem **W** || 13 sperauerunt **M**, *corr.* ς || 14 hominis *scripsi:* homines **M**, *delet G. H. Schaeferus* || 17 possimus **C w**: possumus **B V** || 24 praecipiuntur ς *Heumannus*

dus ut appareat auctorem displicuisse, non factum. idem ergo populus ille, aliquando scaenici imperatoris spectator et applausor, nunc in pantomimis quoque auersatur et damnat effeminatas artes et indecora saeculo studia. ex quo manifestum est principum disciplinam capere etiam uulgus, cum rem, si a bono fiat, seuerissimam fecerint omnes. macte hac grauitatis gloria, Caesar, qua consecutus es ut quod antea uis et imperium nunc mores uocarentur. castigauerunt uitia sua ipsi qui castigari merebantur, idemque emendatores qui emendandi fuerunt. itaque nemo de seueritate tua queritur, et liberum est queri. sed cum ita comparatum sit ut de nullo minus principe querantur homines quam de quo maxime licet, tuo in saeculo nihil est quo non omne hominum genus laetetur et gaudeat. boni prouehuntur, mali, qui est tranquillissimus status ciuitatis, nec timent nec timentur. mederis erroribus, sed implorantibus, omnibusque quos bonos facis hanc astruis laudem ne coegisse uidearis.

XLVII. Quid? uitam, quid? mores iuuentutis quam principaliter formas! quem honorem dicendi magistris, quam dignationem sapientiae doctoribus habes! ut sub te spiritum et sanguinem et patriam receperunt studia! quae priorum temporum immanitas exiliis puniebat, cum sibi uitiorum omnium conscius princeps inimicas uitiis artes non odio magis quam reuerentia relegaret. at tu easdem artes in complexu oculis auribus habes. praestas enim quaecumque praecipiunt tantumque eas diligis quantum ab illis probaris. an quisquam studia humanitatis professus non cum omnia tua tum uel in primis laudibus ferat admissionum tuarum facilitatem? magno quidem

---

1 auct. non displ. factum **C** ‖ 3 plausor **W** ‖ 4 auersatur *Beroaldus:* aduersatur **M** ‖ 7 a bono *ego:* ab uno **M** | fecerunt **W** ‖ 9 uis] ius **V** ‖ 10 castigare **M** ‖ 15 tuo ς: tum **M** ‖ 17 quia est **BV** | status *om.* **B** ‖ 18 *post* timentur *Cusp.* uitiorum poenitentiam expectas *add.* ‖ 19 sed implorantium *Schwarzius* ‖ 25 ex illis **B**

animo parens tuus hanc ante uos principes arcem publicarum aedium nomine inscripserat; frustra tamen, nisi adoptasset qui habitare ut in publicis posset. quam bene cum titulo isto moribus tuis conuenit, quamque omnia sic facis, tamquam non alius inscripserit! quod enim forum, quae templa tam reserata? non Capitolium ipsaque illa adoptionis tuae sedes magis publica, magis omnium. nullae obices, nulli contumeliarum gradus superatisque iam mille liminibus ultra semper aliqua dura et obstantia. magna ante te, magna post te, iuxta te tamen maxima quies: tantum ubique silentium, tam altus pudor ut ad paruos penates et larem angustum ex domo principis modestiae et tranquillitatis exempla referantur.

XLVIII. Ipse autem ut excipis omnes! ut expectas! ut magnam partem dierum inter tot imperii curas quasi per otium transigis! itaque non anxii et attoniti nec ut periculum capitis adituri tardi ad te, sed securi et hilares *et* cum commodum est conuenimus. sin admittente principe interdum est aliquid quod nos domi quasi magis necessarium teneat, excusati semper tibi nec umquam excusandi sumus. scis enim sibi quemque praestare quod te uideat, quod frequentet; ac tanto liberalius ac diutius uoluptatis huius copiam praebes. nec salutationes tuas fuga et uastitas sequitur: remoramur, resistimus ut in communi domo, quam nuper illa immanissima belua plurimo terrore munierat, cum uelut quodam specu inclusa nunc propinquorum sanguinem lamberet, nunc se ad clarissimorum ciuium strages caedesque proferret. obuersabantur foribus horror et minae et par metus admissis et exclusis: ad hoc

---

1 ante nos **C** ‖ 8 nulli obices **w** ‖ 18 anxii *(uel* pallidi*) Keilius:* alii **M** non ut alias attoniti *Catanaeus* | nec attoniti **w** ‖ 19 tardi ad te *Lipsius:* tarditate **M** ‖ 20 secure **B V** | et *add. Keilius: om.* **M** ‖ 21 sin *scripsi:* et **M** ‖ 23 umquam magis excusandi **C** ‖ 25 quod te frequentet **C** ‖ 27 ut *om.* **W**

ipse occursu quoque uisuque terribilis: superbia in fronte, ira in oculis, femineus pallor in corpore, in ore impudentia multo rubore suffusa. non adire quisquam, non alloqui audebat tenebras semper secretumque captantem nec umquam ex solitudine sua prodeuntem, nisi ut solitudinem faceret.

XLIX. Ille tamen quibus sibi parietibus et muris salutem suam tueri uidebatur, dolum secum et insidias et ultorem scelerum deum inclusit. dimouit perfregitque custodias poena angustosque per aditus et obstructos non secus ac per apertas fores et inuitantia limina irrupit; longeque tunc illi diuinitas sua, longe arcana illa cubilia saeuique secessus, in quos timore et superbia et odio hominum agebatur. quanto nunc tutior, quanto securior eadem domus, postquam erus non crudelitatis sed amoris excubiis, non solitudine et claustris sed ciuium celebritate defenditur! ecquid ergo discimus experimento fidissimam esse custodiam principis ipsius innocentiam? haec arx inaccessa, hoc inexpugnabile munimentum, munimento non egere. frustra se terrore succinxerit qui saeptus caritate non fuerit: armis enim arma irritantur. num autem serias tantum partes dierum in oculis nostris coetuque consumis? non remissionibus tuis eadem frequentia eademque illa socialitas interest? non tibi semper in medio cibus semperque mensa communis? non ex conuictu nostro mutua uoluptas? non prouocas reddisque sermones? non ipsum tempus epularum tuarum, cum frugalitas contrahat, extendit humanitas? non enim ante medium diem distentus solitaria cena spectator adno-

1 concursu **W** *corr. m. rec.* ‖ 3 imprudentia **C** ‖ 4 audeat **C** ‖ 10 poena **C**: pene **B V** penas **W** ‖ 14 angebatur **W** ‖ 15 nunc **W B**: tunc **C V** ‖ 16 postquam *Catanaeus:* post **M** | erus (*uel* erus eius) *scripsi:* eius **M** aditus eius *Liuineius* dominus eius *Lipsius* ‖ 17 sed ciuium celebritate *om.* **C** ‖ 18 ecquid *Liuineius:* et quid **M** ‖ 21 non eget **w** ‖ 23 num **C W**: non **B V** ‖ 27 num ex **w** ‖ 28 num prou. **w** ‖ 29 num ips. **w**

tatorque conuiuis tuis immines nec ieiunis et inanibus plenus ipse et ructans non tam apponis quam obicis cibos quos dedigneris attingere aegreque perpessus superbam illam conuictus simulationem rursus te ad clandestinam ganeam occultumque luxum refers. ergo non aurum nec argentum nec exquisita ingenia cenarum, sed suauitatem tuam iucunditatemque miramur, quibus nulla satietas adest, quando sincera omnia et uera et ornata grauitate. neque enim aut peregrinae superstitionis ministeria aut obscaena petulantia mensis principis oberrat, sed benigna inuitatio et liberales ioci et studiorum honor. inde tibi parcus et breuis somnus nullumque amore nostri tempus angustius quam quod sine nobis agis.

L. Sed cum rebus tuis ut participes perfruamur, quae habemus ipsi quam propria, quam nostra sunt! non enim exturbatis prioribus dominis omne stagnum, omnem lacum, omnem etiam saltum immensa possessione circumuenis, nec unius oculis flumina fontes maria deseruiunt. est quod Caesar non suum uideat, tandemque imperium principis quam patrimonium maius est. multa enim ex patrimonio refert in imperium quae priores principes occupabant, non ut ipsi fruerentur, sed ne quis alius. ergo in uestigia sedesque nobilium immigrant pares domini, nec iam clarissimorum uirorum receptacula habitatore seruo teruntur aut foeda uastitate procumbunt. datur intueri pulcherrimas aedes deterso situ auctas ac uigentes. magnum hoc tuum non erga homines modo sed erga tecta ipsa meritum, sistere ruinas, solitudinem pellere, ingentia opera eodem quo extructa sunt animo ab interitu uindicare. muta quidem illa et anima carentia, sentire

2 et ructans *Liuineius:* eructans **M** || 10 misteria **C** || 11 oberrant **w** || 21 est quod **w**: et quod **M** || 22 suum non **B** || 23 est maius **W** || 28 seruo] suo **C** || 30 auctas] auectas **C** lautas *Lipsius*.

tamen et laetari uidentur quod niteant, quod frequententur, quod aliquando coeperint esse domini scientis. circumfertur sub nomine Caesaris tabula ingens rerum uenalium; quo fit detestanda auaritia illius qui tam multa concupiscebat, cum haberet superuacua tam multa. tum exitialis erat apud principem huic latior domus, illi amoenior uilla; nunc princeps in haec eadem dominos quaerit, ipse inducit: ipsos illos magni aliquando imperatoris hortos, illud numquam nisi Caesaris suburbanum licemur, emimus, implemus. tanta benignitas principis, tanta securitas temporum est ut ille nos principalibus rebus existimet dignos, nos non timeamus, quod esse digni uidemur. nec uero emendi tantum ciuibus tuis copiam praebes, sed amoenissima quaeque largiris et donas; ista, inquam, donas in quae electus, in quae adoptatus es: transfers quod iudicio accepisti ac nihil magis tuum credis quam quod per amicos habes.

LI. Idem tam parcus in aedificando quam diligens in tuendo. itaque non, ut ante, immanium transuectione saxorum urbis tecta quatiuntur. stant securae domus nec iam templa nutantia: satis est tibi nimiumque, cum successeris frugalissimo principi. magnum *uero*, recidere aliquid et amputare ex his quae princeps tamquam necessaria reliquit. praeterea pater tuus usibus suis detrahebat quae fortuna imperii dederat, tu tuis quae pater. at quam magnificus in publicum es! hinc porticus, inde delubra occulta celeritate properantur, ut non consummata sed tantum commutata uideantur. hinc immensum

3 scientis] *cf. Gronouius obs. IV 16* non seruientis *Catanaeus* fruentis *Lipsius* || 4 quo fit *Perizonius:* quod sit **M** || 7 latior *scripsi:* laxior **M** || 11 eminus **C** || 13 digni esse **C** || 16 ista *Liuineius:* ita **M** || 20 tam parcus es *Liuineius* || 21 immanium **w**: inanium **C** in auium **B V** || 25 uero *addidi: om.* **M** | recidere *Gronouius obs. IV 16:* reicere **M** || 26 *malim* princeps tam astrictus tamquam || 28 tutiusque pater **C**

latus circi templorum pulcritudinem prouocat, digna populo uictore gentium sedes nec minus ipsa uisenda quam quae ex illa spectabuntur: uisenda autem cum cetera specie, tum quod aequatus plebis ac principis locus; siquidem per omne spatium una facies, omnia continua et paria, nec magis proprius spectanti Caesari suggestus quam propria quae spectet. licebit ergo *tibi* et ciuibus tuis inuicem contueri: dabitur non cubiculum principis sed ipsum principem cernere in publico, in populo sedentem, populo, cui locorum quinque milia adiecisti. auxeras enim numerum eius congiarii facilitate maioremque in posterum suscipi liberalitatis tuae fide iusseras.

LII. Horum unum si praestitisset alius, iam dudum illi radiatum caput et media inter deos sedes auro staret aut ebore augustioribusque aris et grandioribus uictimis inuocaretur. tu delubra non nisi adoraturus intras, tibi maximus honor excubare pro templis postibusque praetexi. sic fit ut dei *tibi* summum inter homines fastigium seruent, cum deorum ipse non adpetas. itaque tuam statuam in uestibulo Iouis optimi maximi unam alteramue et hanc aeream cernimus. at paulo ante aditus omnes, omnes gradus totaque area hinc auro, hinc argento relucebat seu potius polluebatur, cum incesti principis statuis permixta deorum simulacra sorderent. ergo istae quidem aereae et paucae manent manebuntque quam diu templum ipsum; illae autem *aureae* et innumerabiles strage ac ruina publico gaudio litauerunt. iuuabat illidere solo superbissimos uultus, instare

---

2 sedis **C V** ‖ 7 spectanti Caesari *Gesnerus:* spectandi Caesaris **M** ‖ 8 tibi et ciuibus tuis *scripsi:* te ciuibus tuis **B C W** ciuibus tuis **V** ‖ 11 quinquaginta milia *Lipsius* ‖ 16 illi iam dudum **C** ‖ 17 angustioribus **C V** ‖ 18 innocaret **C** ‖ 20 tibi *add. Keilius: om.* **M** ‖ 22 non appetas *Liuineius:* non adeptus **M** non sis adeptus **w** non adoptes *Lipsius* ‖ 29 aureae *add. Catanaeus: om.* **M** | strage ac **B V**: strage et **C W**

ferro, saeuire securibus, ut si singulos ictus sanguis dolorque sequeretur. nemo tam temperans gaudii seraeque laetitiae quin instar ultionis uideretur cernere laceros artus, truncata membra, postremo truces horrendasque imagines obiectas flammis excoctasque ut ex illo terrore et minis in usum hominum ac uoluptates ignibus mutarentur. simili reuerentia, Caesar, non apud genium tuum bonitati tuae gratias agi, sed apud numen Iouis optimi maximi pateris; illi debere nos quicquid tibi debeamus, illius quod bene facias muneris esse qui te dedit. ante quidem ingentes hostiarum greges per Capitolinum iter, magna sui parte uelut intercepti, devertere uia cogebantur, cum saeuissimi domini atrocissima effigies tanto uictimarum cruore coleretur quantum ipse humani sanguinis profundebat.

LIII. Omnia, patres conscripti, quae de aliis principibus a me aut dicuntur aut dicta sunt eo pertinent ut ostendam quam longa consuetudine corruptos deprauatosque mores principatus parens noster reformet et corrigat. *et* alioquin nihil non parum grate sine comparatione laudatur. praeterea hoc primum erga optimum imperatorem piorum ciuium officium est, insequi dissimiles. neque enim satis amarit bonos principes qui malos satis non oderit. adice quod imperatoris nostri non aliud amplius ac diffusius meritum est quam quod insectari malos principes tutum est. an excidit dolori nostro modo uindicatus Nero? permitteret, credo, famam uitamque eius carpi qui mortem ulciscebatur nec ut in se dicta interpretaretur quae de simillimo dice-

---

1 ferro] foro **C** ‖ 5 flammis excoctasque *Keilius:* excoctasque flammis **M** ‖ 10 tibi *om.* **B** ‖ 12 Capitolinum ς: capitolium **M** ‖ 13 deuertere ς: diuertere **M** ‖ 16 profundebant **B V** ‖ 20 deprauatosque] dampnatosque **W** ‖ 21 et *add. Liuineius: om.* **M** ‖ 29 permitterent **B** permitteretur **V** ‖ 31 interpretarentur **M**, *corr.* **w**

rentur. quare ego *in* te, Caesar, muneribus tuis omnibus comparo, multis antepono quod licet nobis et in praeteritum de malis imperatoribus cotidie uindicari et futuros sub exemplo praemonere nullum locum, nullum esse tempus quo funestorum principum manes a posterorum execrationibus conquiescant. quo constantius, patres conscripti, et dolores nostros et gaudia proferamus: *laetemur his quibus fruimur,* ingemiscamus illis quae patiebamur. simul utrumque faciendum est sub bono principe. hoc secreta nostra, hoc sermones, hoc ipsae gratiarum actiones agant meminerintque sic maxime laudari incolumem imperatorem, si priores secus meriti reprehendantur. nam cum malos principes posteri tacent, manifestum est eadem facere praesentem.

LIV. Et quis iam locus miserae adulationis manebat ignarus, cum laudes imperatorum ludis etiam et commissionibus celebrarentur saltarenturque atque in omne ludibrium effeminatis uocibus modis gestibus frangerentur? sed illud indignum quod eodem tempore in senatu et in scaena, ab histrione et a consule laudabantur. tu procul a tui cultu ludicras artes remouisti. seria ergo te carmina honorque aeternus annalium, non haec breuis et pudenda praedicatio colit: quin etiam tanto maiore consensu in uenerationem tui theatra ipsa consurgent quanto magis de te scaenae silebunt. sed quid ego istud admiror, cum eos quoque honores qui tibi a nobis offeruntur aut delibare parcissime aut omnino soleas recusare? nihil ante tam uulgare, tam paruum in

---

1 ego **w**: ergo **M** | in te *scripsi:* te **M** uero *Keilius* | mun. tuis omnibus **w**: mun. omnibus tuis omnibus **M** ‖ 4 promonere **B V** ‖ 8 laetemur his quibus fruimur *om.* **M**, *add. Cusp.* ‖ 10 bono] uno **W** ‖ 13 secus *edd.:* secum **M** ‖ 14 malos principes *scripsi:* malo principe **M** de malo principe **w** ‖ 16 ecquis *Cusp.* ‖ 17 ignarus ς: gnarus **M** ‖ 18 commissionibus *Liuineius:* commessationibus **M** | saltarentur **B V W** saltarentque **C**, *unde* saltarenturque *recte edd.* ‖ 30 ante] autem **C**

senatu agebatur ut non laudibus principum immorarentur quibuscumque censendi necessitas accidisset. de ampliando numero gladiatorum aut de instituendo collegio fabrorum consulebamur et quasi prolatis imperii finibus nunc ingentes arcus excessurosque templorum fastigium titulos, nunc menses etiam nec hos singulos nomini Caesarum dicabamus. patiebantur illi et, quasi meruissent, laetabantur. at nunc quis nostrum, tamquam oblitus eius de quo refertur, censendi officium principis honore consumit? tuae moderationis laus haec constantia nostra est: tibi obsequimur quod in curiam non ad certamen adulationum, sed ad usum munusque iustitiae conuenimus, hanc simplicitati tuae ueritatique gratiam relaturi ut te quae uis uelle, quae non uis nolle credamus. incipimus inde, desinimus ibi, a quo incipi, in quo desini sub alio principe non posset. nam plerosque ex decretis honoribus et alii non receperunt; nemo ante *te* tantus fuit ut crederetur noluisse decerni. quod ego titulis omnibus speciosius reor, quando non trabibus aut saxis nomen tuum sed monumentis aeternae laudis inciditur.

LV. Ibit in saecula fuisse principem cui florenti et incolumi numquam nisi modici honores, saepius nulli decernerentur. et sane, si uelimus cum priorum temporum necessitate certare, uincemur: ingeniosior est enim ad excogitandum simulatio ueritate, seruitus libertate, metus amore. simul, cum iam pridem nouitas omnis adulatione consumpta sit, non alius erga te nouus honor superest quam si aliquando de te tacere audeamus. age, si quando pietas nostra silentium rupit et uerecundiam tuam uicit, quae qualiaque aut decernimus nos aut tu non recusas!

6 nec] non **B V** ‖ 7 dicabamus ς: dicebamus **M** ‖ 11 laus haec *Gesnerus:* haec laus **M** | est *idem:* et **M** ‖ 19 ante te *Lipsius:* ante **M** ‖ 26 nec. uinceremur certare. ing **C** ‖ 27 enim *om.* **C** ‖ 29 *malim* adulationi ‖ 33 qualiaque aut dec. **W**: qualiaque dec. **C** qualia quod aut dec. **B V**

ut appareat non superbia et fastidio te amplissimos honores repudiare, qui minores non dedigneris. pulcrius hoc, Caesar, quam si recusares omnes: nam recusare omnes ambitionis, moderationis est eligere parcissimos. quo temperamento et nobis et *aerario consulis: nobis quidem quod omni liberas suspicione;* aerario autem quod sumptibus eius adhibes modum, ut qui exhaustum non sis innocentium bonis repleturus. stant igitur effigies tuae, quales olim ob egregia in rem publicam merita priuatis dicabantur. uisuntur eadem e materia Caesaris statuae qua Brutorum, qua Camillorum. nec discrepat causa. illi enim reges hostemque uictorem moenibus depulerunt: hic regnum ipsum, quaeque alia captiuitas gignit, arcet ac submouet sedemque obtinet principis ne sit domino locus. ac mihi intuenti sapientiam tuam minus mirum uidetur quod mortales istos caducosque titulos aut depreceris aut temperes. scis enim ubi uera principis, ubi sempiterna sit gloria. hi sinceri honores in quos nihil flammis, nihil senectuti, nihil successoribus liceat. arcus enim et statuas, aras etiam templaque demolitur et obscurat obliuio, neglegit carpitque posteritas: contra contemptor ambitionis et infinitae potestatis domitor ac frenator animus ipsa uetustate florescit nec ab ullis magis laudatur quam quibus minime necesse est. non ergo perpetua principi fama quae inuita eum manet, sed bona concupiscenda est: ea porro non imaginibus et statuis, sed uirtute ac meritis prorogatur. quin etiam leuiora haec, formam principis figuramque, non aurum melius uel argentum quam fauor homi-

---

4 moderationis est **V**: moderationis **B** moderatio est **C W** ‖ 5 aerario consulis — suspitione *om.* **M**, *add.* **w** ‖ 10 dicabantur ς: dicebantur **M** ‖ 19 principis *om.* **W** ‖ 20 hi] ubi *edd.* | sinceri *ego:* sint **B V W** sunt **C** ‖ 24 ac] et **W** ‖ 26 *post* necesse est *Cusp.* *addit* praeterea ut quisque factus est princeps exemplo (extemplo *Keilius*) fama eius incertum bona an mala, ceterum aeterna est ‖ 27 inuita eum *ego:* inuitum **V W** in uitium **B C**

num exprimat teneatque. quod quidem prolixe tibi cumulateque contingit, cuius laetissima facies et amabilis uultus in omnium ciuium ore oculis animo sedet.

LVI. Adnotasse uos credo, patres conscripti, iam dudum me non eligere quae referam. propositum est enim mihi principem laudare, non principis facta. nam laudabilia multa etiam mali faciunt, ipse laudari nisi optimus non potest. quare non alia maior, imperator auguste, gloria tua quam quod agentibus tibi gratias nihil uelandum est, nihil omittendum. ecquid est enim in principatu tuo quod cuiusquam praedicatio uel transilire uel praeteruehi debeat? quod momentum, quod immo temporis punctum aut beneficio sterile aut uacuum laude? non omnia eius modi ut is optime te laudasse uideatur qui narrauerit fidelissime? quo fit ut prope in immensum diffundatur oratio mea, et necdum de biennio loquor. quam multa dixi de moderatione, et quanto plura adhuc restant! ut illud quod secundum consulatum recepisti, quia princeps et pater deferebat. at postquam ad te imperii summam et cum omnium rerum tum etiam tui potestatem di transtulerunt, tertium consulatum recusasti, cum agere tam bonum consulem posses. magnum est differre honorem, gloriam maius. gestum consulatum mirer an non receptum? gestum non in hoc urbis otio et intimo sinu pacis, sed iuxta barbaras gentes, ut illi solebant quibus erat moris paludamento mutare praetextam ignotasque terras uictoria sequi. pulcrum imperio, gloriosum tibi, cum te socii atque amici sua in patria, suis in sedibus adierunt. decora facies, consulis multa post saecula tribunal uiridi caespite extructum

---

12 ecquid *Liuineius:* est quid C V W quid, *om.* est, B omittendum est. quid *edd.* || 13 praedicatione uel transiliri B || 22 cum] tum C || 23 transtulerunt ς: transtulerint C V W transtulerit B || 24 agere tamen tam B V || 27 gestus M, *corr.* ς || 32 decora] de quo W

nec fascium tantum sed pilorum signorumque honore circumdatum. augebant maiestatem praesidentis diuersi postulantium habitus ac dissonae uoces raraque sine interprete oratio. magnificum est ciuibus iura, quid hostibus reddere? speciosum certam fori pacem, quid immanes campos sella curuli uictorisque uestigio premere, imminere minacibus ripis tutum quietumque, spernere barbaros fremitus hostilemque terrorem non armorum magis quam togarum ostentatione compescere? itaque non te apud imagines, sed ipsum praesentem audientemque consalutabant imperatorem, nomenque; quod alii domitis hostibus, tu contemptis merebare.

LVII. Haec laus acti consulatus; illa dilati quod adhuc initio principatus, ut iam excuratus honoribus et expletus, consulatum recusasti, quem noui imperatores destinatum aliis in se transferebant. fuit etiam qui in principatus sui fine consulatum, quem dederat ipse, magna ex parte iam gestum extorqueret et raperet. hoc ergo honore, quem et incipientes principes et desinentes adeo concupiscunt ut auferant, tu otioso ac uacante priuatis cessisti. inuidiosusne erat aut tibi tertius consulatus aut principi primus? nam secundum imperator quidem, sub imperatore tamen inisti, nihilque imputari in eo uel honori potest uel exemplo nisi obsequium. ita uero, quae ciuitas quinquies atque etiam sexies consules uidit, non illos qui expirante iam libertate per uim ac tumultum creabantur, sed quibus sepositis et absentibus in rura sua consulatus ferebantur, in hac ciuitate tertium consulatum princeps generis humani ut praegrauem recusasti? tantone Papiriis etiam et Quintiis moderatior Augustus et Caesar et pater

5 fore **B V** ‖ 6 pacem] partem *P. Faber* ‖ 11 consultabant **C** ‖ 15 excuratus *scripsi:* excusatus **M** exsatiatus *Cusp.* ‖ 17 fuerit **B** ‖ 25 tamen inisti] tenuisti **w** ‖ 26 potest **w**: potes **M** ‖ 32 praegrauem **V W**: pergrauem **C B** | papirius etiam (etiam *om.* **W** *in ras. 4 litt.*) et quintus **M**, *corr.* **w** ‖ 33 moderator **C**

patriae? at illos res publica ciebat. quid? te non eadem res publica? non senatus? non consulatus ipse, qui sibi tuis umeris attolli et augescere uidetur?

LVIII. Non te ad exemplar eius uoco qui continuis consulatibus fecerat longum quendam et sine discrimine annum: his te confero quos certum est, quotiens consules fuerunt, non sibi praestitisse. erat in senatu ter consul, cum tu tertium consulatum recusabas. onerosum nescio quid uerecundiae tuae consensus noster indixerat ut princeps totiens consul esses quotiens senator tuus: nimia modestia istud etiam priuatus recusasses. an consularis uiri triumphalisque filius, cum tertio consul creatur, ascendit? non debitum hoc illi? non uel sola generis claritate promeritum? contigit ergo priuatis aperire annum fastosque reserare, et hoc quoque redditae libertatis indicium fuit quod consul alius quam Caesar esset. sic exactis regibus coepit liber annus: sic olim seruitus pulsa priuata fastis nomina induxit. miseros ambitionis qui ita consules semper ut semper principes erant! quamquam non *tam* ambitio quam liuor et malignitas uideri potest omnes annos possidere summumque illud purpurae decus non nisi praecerptum praefloratumque transmittere. tuam uero magnanimitatem an modestiam an benignitatem prius mirer? magnanimitatis fuit expetito semper honore abstinere, modestiae cedere, benignitatis per alios frui.

LIX. Sed iam tempus est te ipsi consulatui praestare ut maiorem eum suscipiendo gerendoque facias.

---

1 ad illos **B C V** | ciebat — 2 respublica *om.* **B V** | num ead. resp. num sen. num cons. **w** || 5 non **W**: num **B C V** || 7 his te] hisce **C** || 14 creator **B V** || 15 ascenditur **C** | num d. h. i. num uel **w** || 16 promeritum **w**: premeritum **M** || 18 fuerit **B V** || 22 non tam ambitio ς: non ambitio **M** non ambitio magis **w** || 24 possidere] obsidere *Gronouius* || 25 praeceptum **W** || 26 benignitatem an modestiam **B V** || 27 magnanimitas fuit **M**, *corr.* ς || 28 benignitas **C**

nam saepius recusare ambiguam ac potius illam interpretationem habet, tamquam minorem putes. tu quidem ut maximum recusasti; sed hoc persuadere nemini poteris, nisi aliquando et non recusaueris. cum arcus, cum trophaea, cum statuas deprecaris, tribuenda est uerecundiae tuae uenia: illa enim sane tibi dicantur. nunc uero postulamus ut futuros principes doceas inertiae renuntiare, paulisper delicias differre, paulisper et saltem ad breuissimum tempus ex illo felicitatis somno uelut excitari, induere praetextam quam, cum dare possent, occuparint, ascendere curulem quam detineant, esse denique quod concupierint nec ideo tantum uelle consules fieri ut fuerint. gessisti alterum consulatum, scio: illum exercitibus, illum prouinciis, illum etiam exteris gentibus poteris imputare, non potes nobis. audimus quidem te omne munus consulis obisse, sed audimus: diceris iustissimus humanissimus patientissimus fuisse, sed diceris. aequum est aliquando nos iudicio nostro, oculis nostris, non famae semper et rumoribus credere. quousque absentes de absente gaudebimus? liceat experiri an aliquid superbiae tibi ille ipse secundus consulatus attulerit: multum in commutandis moribus hominum medius annus ualet, in principum plus. didicimus quidem, cui uirtus aliqua contingat, omnes inesse: cupimus tamen experiri an nunc quoque una eademque res sit bonus consul et bonus princeps. nam praeter id quod est arduum duas simul capere potestates easque summas, tum inest utrique non nulla diuersitas, cum principem quam

---

7 nunc uero *Lipsius:* cum uero **M** enimuero *Liuineius* || 8 paulisper delicias differre *om.* **B V** || 10 excitari *Liuineius:* excitati **M** excitatos ς || 11 quam dare possint cum occuparint *G. H. Schaeferus;* quam ut dare possent occuparint *Gierigius* q. c. d. possint occupent *Ernestius* || 12 esse] omne **C** || 13 concupierunt **M**, *corr.* ς || 15 caeteris **C** || 17 odisse **C** || 22 experiri — 26 cupimus tamen *om.* **B V** || 25 dicimus **M**, *corr. Cusp.* || cum uirtutis aliqua contingant **C** || 28 duas easque si. ca. pot. summas **M**, *transposui.* duas easque summas si. ca. pot. *Cusp.*

simillimum esse priuato, consulem quam dissimillimum deceat.

LX. Atque ego uideo proximo anno consulatus recusandi hanc praecipuam fuisse rationem quod eum absens gerere non poteras. sed iam urbi uotisque publicis redditus quid est in quo magis sis approbaturus quae quantaque fuerint quae desiderabamus? parum est ut in curiam uenias, nisi et conuocas; ut intersis senatui, nisi et praesides; ut censentes audias, nisi et perrogas. uis illud augustissimum consulum tribunal aliquando maiestati suae reddere? ascende. uis constare reuerentiam magistratibus, legibus auctoritatem, modestiam postulatibus? adside. quod enim interesset rei publicae, si priuatus esses, consulem te haberet tantum an et senatorem, hoc nunc scito interesse principem te habeat tantum an et consulem. his tot tantisque rationibus quamquam multum reluctata uerecundia principis nostri tandem tamen cessit. at quemadmodum cessit? non se ut priuatis, sed ut priuatos sibi pares faceret. recepit enim tertium consulatum ut daret. nouerat moderationem hominum, nouerat pudorem, qui non sustinerent tertio consules esse nisi cum ter consule. bellorum istud sociis olim *ut* periculorum consortibus, parce tamen, tribuebatur quod tu singularibus uiris ac de te quidem bene ac fortiter, sed in toga meritis praestitisti. utriusque cura, utriusque uigilantia obstrictus es, Caesar. sed in principe rarum ac prope insolitum est ut se putet obligatum

---

1 simillimum esse priuato consulem quam *add. Cusp.: om.* **M** ‖ 8 conuoces, 9 praesideas, 10 perroges **w** ‖ 11 tribunal aliquando *Keilius:* aliquando tribunal **M** ‖ 13 postulatibus *scripsi:* postulantibus **M** | adside *scripsi:* adire **M** audi *Lipsius* adi *edd.* ‖ 14 quid **B** | interesset *edd.:* interest **M** ‖ 15 consulem hab. te an tantum senatorem *Liuineius* senatorem te hab. tantum an et consulem *Schwarzius* ‖ 20 pares sibi **C** ‖ 24 sociis *edd.:* ociis **M** | ut *addidi: om.* **M** ‖ 26 quidem] quodque **B V** ‖ 27 praestitisti in toga meritis **M**, *transp. Liuineius*

aut, si putet, amet. debes ergo, Caesar, et soluis et, cum ter consules facis, non tibi magnus princeps, sed non ingratus amicus uideris. quin etiam perquam modica quaedam ciuium merita fortunae tuae uiribus in maius extollis. efficis enim ut tantum tibi quisque praestitisse uideatur quantum a te recepit. quid isti benignitati precer? nisi ut semper obliges, obligeris incertumque facias utrum magis expediat ciuibus tuis debere tibi an praestitisse.

LXI. Equidem illum antiquum senatum contueri uidebar, cum ter consule assidente tertio consulem designatum rogari sententiam cernerem. quanti tunc illi quantusque tu! accidit quidem ut corpora quamlibet ardua et excelsa procerioribus admota decrescant; item ut altissimae ciuium dignitates collatione fastigii tui quasi deprimantur quantoque propius ad magnitudinem tuam ascenderint tantum etiam a sua descendisse uideantur. illos tamen tu, quamquam non potuisti tibi aequare, cum uelles, adeo in edito collocasti ut tantum super ceteros quantum infra te cernerentur. si unius tertium consulatum eundem in annum in quem tuum contulisses, ingentis animi specimen haberetur. ut enim felicitatis est quantum uelis posse, sic magnitudinis uelle quantum possis. laudandus quidem et ille qui consulatum tertium meruit, sed magis sub quo meruit: magnus memorandusque qui tantum praemium cepit, sed maior qui capienti dedit. quid, quod duos pariter tertio consulatu, duos collegii tui sanctitate decorasti? ut sit nemini dubium hanc tibi praecipuam causam fuisse extendendi consulatus tui ut duorum consulatus amplecteretur te collegam. quem

---

2 et cum *Gruterus:* sed cum **M** || 5 in manus **B V** || 6 recepit ς: recipit **M** || 13 quantique **C** | quidem] enim **C** || 15 ut] uel **B V** || 23 animi] anni **C** || 26 tertium consulatum **C** || 29 collegii *Lipsius:* collegas **M**; *an* duos collegas tuae sanctitatis societate decorasti? || 32 *sq.* amplecteretur et collegam quae (collegamque **C**) te non uni daret uterque **M**, *correxi et suppleui*

te non uni *dare licuisse* claret: uterque nuper consulatum alterum gesserat a patre tuo (id est quanto minus quam a te!) datum; utriusque adhuc oculis paulo ante dimissi fasces oberrabant, utriusque sollemnis ille lictorum et praenuntius clamor auribus insederat, cum rursus curulis rursusque purpura; ut olim, cum hostis in proximo et in summum discrimen adducta res publica expertum honoribus uirum posceret, non consulatus hominibus isdem, sed idem homines consulatibus reddebantur. tanta tibi bene faciendi uis ut indulgentia tua necessitates aemuletur. modo praetextas exuerant; resumant: modo lictores abire iusserant; reuocent: modo gratulantes amici recesserant; reuertantur. hominisne istud ingenium est, hominis potestas, renouare gaudia, redintegrare laetitiam nullamque requiem gratulationibus dare neque alia repetendis consulatibus interualla permittere, nisi dum finiuntur? facias ista semper, nec umquam in hoc opere aut animus tuus aut fortuna lassetur. des quam plurimis tertios consulatus, et, cum plurimis tertios consulatus dederis, semper tamen plures quibus debeas dare supersint.

LXII. Omnium quidem beneficiorum quae merentibus tribuuntur non ad ipsos gaudium maius quam ad similes redundat: praecipue tamen ex horum consulatu non ad partem aliquam senatus, sed ad totum senatum tanta laetitia peruenit ut eundem honorem omnes sibi et dedisse et accepisse uideantur. nempe enim hi sunt quos senatus, cum publicis sumptibus minuendis optimum quemque praeficeret, elegit, et quidem primos. hoc est igitur, hoc est quod penitus illos animo Caesaris insinuauit. an parum saepe experti sumus hanc esse rerum con-

11 necessitas **C** ‖ 16 nullam requiem **W** | gratulationis **C** ‖ 19 tua **W** ‖ 21 et cum plur. tert. consulatus *om.* **W** ‖ 30 quemque **W**: quem **B C V** | perficeret **C** ‖ 31 et quidem *Liuineius*: equidem **M** ‖ 33 experti sumus **C w**: expertissimus **V** expertissimis **B**

dicionem ut senatus fauor apud principem haut prosit, at noceat? nonne paulo ante nihil magis exitiale erat quam illa principis cogitatio 'hunc senatus probat, hic senatui carus est'? oderat quos nos amaremus, sed et nos quos ille. nunc inter principem senatumque dignissimi cuiusque caritate certatur. demonstramus inuicem, credimus inuicem, quodque maximum amoris mutui signum est, eosdem amamus. proinde, patres conscripti, fauete aperte, diligite constanter. non iam dissimulandus est amor ne noceat; non premendum odium ne prosit: eadem Caesar quae senatus probat improbatque. uos ille praesentes, uos etiam absentes in consilio habet. tertio consules fecit quos uos elegeratis, et fecit hoc ordine quo electi a uobis erant. magnus uterque honor uester, siue eosdem maxime diligit quos scit uobis esse carissimos siue illis neminem praefert, quamuis aliquem magis amet: proposita sunt senioribus praemia, iuuenibus exempla; adeant, frequentent securas tandem ac patentes domos: quisquis probatos senatui uiros suspicit, hic maxime principem promeretur. sibi enim accrescere putat quod cuique adstruatur nullamque in eo gloriam ponit quod sit omnibus maior, nisi maximi fuerint quibus maior est. persta, Caesar, in ista ratione propositi talesque nos crede qualis fama cuiusque est. huic aures, huic oculos intende: ne respexeris clandestinas existimationes nullisque magis quam audientibus insidiantes susurros. melius omnibus quam singulis creditur. singuli enim decipere et decipi possunt: nemo omnes, neminem omnes fefellerint.

---

1 aut prosit aut noceat **M**, *correxi* || 4 nos am. **w**: non am. **M** || 5 principes **W** || 9 fouete **C** || 16 utique *Lipsius* | honor *om.* **C** || 17 nobis **C** || 18 proposita **B W**: preposita **C V** || 20 frequenter **C** || 21 suspicit *Liuineius:* suscipit **M** || 22 accersere **C** || 27 huc aures huc oculos *Liuineius* || 31 fefellerint *Schwarzius:* fefellerunt **M**

LXIII. Praeuertor iam ad consulatum tuum, etsi sunt quaedam ad consulatum quidem pertinentia, ante consulatum tamen; in primis quod comitiis tuis interfuisti candidatus non consulatus tantum sed immortalitatis etiam gloriae et exempli, quod sequerentur principes boni, mali mirarentur. uidit te populus Romanus in illa uetere potestatis suae sede: perpessus es longum illud carmen comitiorum nec iam irridendam moram consulque sic factus es ut unus ex nobis quos facis consules. quotus quisque principum antecedentium honorem istum aut consulatui habuit aut populo? non alii marcidi somno hesternaque cena redundantes comitiorum suorum nuntios opperiebantur, alii sane peruigiles et insomnes, sed intra cubilia sua illis ipsis consulibus a quibus consules renuntiabantur exilia et caedes machinabantur. o praua et inscia uerae maiestatis ambitio, concupiscere honorem quem dedigneris, dedignari quem concupieris, cumque ex proximis hortis campum et comitia prospectes, sic ab illis abesse, tamquam Danuuio Rhenoque dirimare! auerseris tu honori tuo sperata suffragia renuntiarique te consulem iussisse contentus liberae ciuitatis ne simulationem quidem serues? abstineas denique comitiis abstrusus atque abditus, quasi illic tibi non consulatus detur, sed abrogetur imperium? haec persuasio superbissimis dominis erat ut sibi uiderentur principes esse desinere, si quid facerent tamquam senatores. plerique tamen non tam superbia quam metu quodam submouebantur. an stuprorum sibi incestarumque noctium conscii auspicia polluere sacratumque campum nefario auderent contaminare

1 reuertor **w** ‖ 5 etiam *scripsi:* et **M** etiam et *Keilius* | *alterum* et *om.* **B** ‖ 12 non] nam **w** ‖ 13 redundantes] *malim* ructantes ‖ 16 renuntiabant **C** | caedem **M**, *correxi* ‖ 17 parua **W** ‖ 20 perspectes **W** ‖ 21 dirimente *Cusp.* dirimerere *Liuineius* ‖ 23 consulem **W**: consule **B C V** | ciuitatis **W**: ciuitati **B C V** ‖ 27 sibi] si **V** ‖ 28 desinerent **B V**

uestigio? non adeo deos hominesque contempserant ut in illa speciosissima sede hominum deorumque coniectos in se oculos ferre ac perpeti possent. tibi contra et moderatio tua suasit et sanctitas ut te et religioni deorum et iudiciis hominum exhiberes.

LXIV. Alii consulatum ante quam acciperent, tu et dum accipis meruisti. peracta erant sollemnia comitiorum, si principem cogitares, iamque se omnis turba commouerat, cum tu mirantibus cunctis accedis ad consulis sellam, adigendum te praebes in uerba principibus ignota, nisi cum iurare cogerent alios. uides quam necessarium fuerit consulatum non recusare. non putassemus istud te facturum fuisse, si recusasses. stupeo, patres conscripti, necdum satis aut oculis meis aut auribus credo atque identidem me an audierim, an uiderim interrogo. imperator ergo et Caesar et Augustus *et* pontifex maximus stetit ante gremium consulis, seditque consul principe ante se stante, et sedit inturbatus, interritus et tamquam ita fieri soleret. quin etiam *stanti* sedens praeiuit ius iurandum, et ille iurauit, expressit explanauitque uerba quibus caput suum, domum suam, si sciens fefellisset, deorum irae consecraret. ingens, Caesar, et par gloria tua, siue fecerint istud postea principes siue non fecerint. ullane satis digna praedicatio est idem tertio consulem fecisse quod primo, idem principem quod priuatum, idem imperatorem quod sub imperatore? nescio iam, nescio pulcriusne sit illud quod praeeunte nullo an hoc quod alio praeeunte iurasti.

LXV. In rostris quoque simili religione ipse te

---

2 spaciosissima **C** ‖ 3 oculos *om.* **B V** ‖ 12 fuerit ς: fuit **M** ‖ 13 facturum te **C** ‖ 14 necdumque **C** ‖ 16 an uid. ς: aut uid. **M** ‖ 17 et pontifex *Liuineius:* pontifex **M** ‖ 20 etiam sedens stanti praeiuit *Gronouius obs. IIII 16:* etiam sedens prebuit **M** etiam stanti praeiit *ed. Lugdunensis a. 1531* ‖ 23 sciens *Liuineius:* scienter **M** ‖ 24 tua *om.* **W** ‖ 26 praedicatio digna **C** ‖ 29 illud **V W**: istud **B C**

legibus subiecisti, legibus, Caesar, quas nemo principi scripsit. sed tu nihil amplius uis tibi licere quam nobis: sic fit ut nos tibi plus uelimus. quod ego nunc primum audio, nunc primum disco: non est princeps supra leges, sed leges supra principem, idemque Caesari consuli quod ceteris non licet. iurat in leges attendentibus dis (nam cui magis quam Caesari attendant?), iurat obseruantibus his quibus idem iurandum est, non ignarus alioquin nemini religiosius quod iurauerit custodiendum quam cuius maxime interest non peierari. itaque et abiturus consulatu iurasti te nihil contra leges fecisse. magnum hoc erat, cum promitteres; maius, postquam praestitisti. iam totiens procedere in rostra inascensumque illum superbiae principum locum terere, hic suscipere, hic ponere magistratus, quam dignum te quamque diuersum consuetudini illorum qui pauculis diebus gestum consulatum, immo non gestum abiciebant per edictum! hoc pro contione, pro rostris, pro iure iurando; scilicet ut primis extrema congruerent utque hoc solo intellegerentur ipsi consules fuisse quod alii non fuissent.

LXVI. Non transiliui, patres conscripti, principis nostri consulatum, sed eundem in locum contuli quicquid de iure iurando dicendum erat. neque enim, ut in sterili ieiunaque materia, eandem speciem laudis diducere ac spargere atque identidem tractare debemus. illuxerat primus consulatus tui dies, quo tu curiam ingressus nunc singulos nunc uniuersos adhortatus es resumere libertatem, capessere quasi communis imperii curas, inuigilare publicis

4 nunc primum audio *om.* **W** ‖ 5 supra leg. *edd.:* super leg. **M** | super pr. **C** ‖ 7 leges *Lipsius:* legem **M** | cui **w**: cum **M** ‖ 9 idem ius iurandum **W** ‖ 11 peierari *Lipsius:* peierare **M** ‖ 14 inascensum illum **W** ‖ 17 consuetudini *scripsi:* consuetudine **M** ‖ 23 transiliui **B C**: transilui **V** transilii **w** ‖ 27 diducere *Liuineius:* deducere **M** ‖ 28 debeamus **B V** ‖ 31 quas **C**

utilitatibus et insurgere. omnes ante te eadem ista dixerunt, nemini tamen ante te creditum est. erant sub oculis naufragia multorum, quos insidiosa tranquillitate prouectos improuisus turbo perculerat. quod enim tam infidum mare quam blanditiae principum illorum, quibus tanta leuitas, tanta fraus ut securius esset iratos quam propitios habere? te uero securi et alacres quo uocas sequimur. iubes esse liberos: erimus; iubes quae sentimus promere in medium: proferemus. neque enim adhuc ignauia quadam et insito torpore cessauimus: terror et metus et misera illa ex periculis facta prudentia monebat ut a re publica (aberat autem omnino res publica) oculos aures animos auerteremus. at nunc tua dextera tuisque promissis freti et innixi obsaepta diutina seruitute ora reseramus frenatamque tot malis linguam resoluimus. uis enim tales esse nos quales iubes, nihilque exhortationibus tuis fucatum, nihil subdolum, *nihil* denique quod credentem fallere paret non sine periculo fallentis. neque enim umquam deceptus est princeps nisi qui prius ipse decepit.

LXVII. Equidem hunc parentis publici sensum cum ex oratione eius tum pronuntiatione ipsa perspexisse uideor. quae enim illa grauitas sententiarum! quam inaffectata ueritas uerborum! tum quae adseueratio in uoce! quae affirmatio in uultu! quanta in oculis, habitu, gestu, toto denique corpore fides! tenebit ergo semper quid suaserit scietque nos, quotiens libertatem quam dedit experiemur, sibi parere. nec uerendum est ne incautos putet, si fidelitate

---

2 te *om.* **B W** || 4 profectos *Cusp.* || 7 securius *ego:* facilius **M** felicius *Lipsius* || 10 proferimus **w** promemus *Rittershusius* || 12 facta *del. Ernestius; malim* nata || 13 aberat *scripsi:* erat **M** nulla autem erat ς erat autem omnino nulla *edd.* || 15 obsepta] obsuta *N. Heinsius* obserata *Ernestius* || 19 nihil *add. Keilius: om.* **M**, *post* denique *add.* ς || 23 ex oratione *Lipsius:* exhortatione **M** | tum e pron. *G. H. Schaeferus* | perspexisse *Sichardus:* respexisse **M** || 25 uerborū tum quae *scripsi:* uerbo rerum quae *uel* rerumque **M**

temporum constanter utamur, quos meminit sub malo principe aliter uixisse. nuncupare uota et pro aeternitate imperii et pro salute principum, immo pro salute principum ac propter illos pro aeternitate imperii solebamus. haec pro imperatore nostro in quae sint uerba suscepta operae pretium est adnotare: 'si bene rem publicam et ex utilitate omnium * *' digna uota quae semper suscipiantur semperque soluantur. egit cum dis ipso te auctore, Caesar, res publica ut te sospitem incolumemque praestarent, si tu ceteros praestitisses; si contra, illi quoque a custodia tui capitis oculos dimouerent teque relinquerent uotis quae non palam susciperentur. alii se superstites rei publicae optabant faciebantque: tibi salus tua inuisa est, si non sit cum rei publicae salute coniuncta. nihil pro te pateris optari, nisi expediat optantibus, omnibusque annis in consilium de te deos mittis exigisque ut sententiam suam mutent, si tu talis esse desieris qualis electus es, et ingenti conscientia, Caesar, quasi pacisceris cum dis ut te, si merueris, seruent, cum scias an merearis neminem magis quam deos scire. nonne uobis, patres conscripti, haec diebus ac noctibus agitare secum uidetur: 'ego quidem in me, si omnium utilitas ita posceret, etiam praefecti manum armaui: sed ne deorum quidem aut iram aut neglegentiam deprecor; quaeso immo et obtestor ne umquam pro me uota res publica inuita suscipiat aut, si susceperit inuita, ne debeat'?

LXVIII. Capis ergo, Caesar, salutis tuae gloriosissimum fructum ex consensu deorum. nam cum excipias ut ita demum te dei seruent, si bene rem

---

3 immo pro salute principum **u r**: *om.* **B V W m** || 5 imperatore *Perizonius:* imperio **M** | in quo **B V** | sunt **C** || 7 rexeris (rexerit *mauolt Keil.*) *supplent edd.* || 12 capitis] corporis **C** | demouerent **V W** || 17 concilium **W** || 19 tu talis esse *scripsi:* tulisse **M** tu esse **w** talis esse **ς** | et *ego:* sed **M** || 20 quasi *scripsi:* qua **B C V**, *om.* **W** *edd.* || 21 merueris *Keilius:* mereberis **M** merearis *Sichardus*

publicam et ex utilitate omnium rexeris, certus es bene te rem publicam regere, cum seruent. itaque securus tibi et laetus dies exit, qui principes alios cura et metu distinebat, cum suspensi et attoniti parumque confisi patientia nostra hinc atque inde publicae seruitutis nuntios expectarent. ac si forte aliquos flumina niues uenti praepedissent, statim hoc illud esse credebant quod uerebantur; nec erat discrimen ullum pauoris, propterea quod, cum a malo principe tamquam successor timeatur quisquis est dignior, cum sit nemo non dignior, omnes timentur. tuam securitatem non mora nuntiorum, non litterarum tarditas differt. scis tibi ubique iurari, cum ipse iuraueris omnibus: nemo hoc non sibi praestat. amamus quidem te in quantum mereris; istud tamen non tui facimus amore sed nostri, nec umquam illucescat dies quo pro te nuncupet uota non utilitas nostra sed fides, Caesar. turpis tutela principis cui potest imputari. queri libet quod in secreta nostra non inquirant principes nisi quos odimus. nam si eadem cura bonis ac malis esset, quam ubique admirationem tui, quod gaudium exultationemque deprehenderes! quos omnium cum coniugibus ac liberis, quos etiam cum domesticis aris focisque sermones! scires mollissimis istis auribus parci. et alioquin cum sint odium amorque contraria, hoc perquam simile habent quod ibi intemperantius amamus bonos principes, ubi liberius malos odimus.

LXIX. Cepisti tamen et affectus nostri et iudicii experimentum, quantum maximum praesens capere potuisti, illo die quo sollicitudini pudorique

---

1 et ex utilitate — 2 rem publicam *om.* **B V** || 2 te bene **C** | regere *G. H. Schaeferus:* gerere **M** | cum seruent **C W**: conseruent **B V** || 8 merebantur **M**, *correxi* || 10 quisquis ς: quisque **M** || 14 sibi non **W** || 21 ac **B W**: et **C V** || 23 deprehendentes **B V** || 26 cum *om.* **C** || 27 temperantius **C** || 28 liberius *edd.:* liberalius **M** || 32 ideo illo die **W**

candidatorum ita consuluisti ne ullius gaudium alterius tristitia turbaret. alii cum laetitia, alii cum spe recesserunt: multis gratulandum, nemo consolandus fuit. nec ideo segnius iuuenes nostros exhortatus es senatum circumirent, senatui supplicarent atque ita a principe sperarent honores, si a senatu petissent. quo quidem in loco, si quibus opus exemplo, adiecisti ut te imitarentur. arduum, Caesar, exemplum et quod imitari non magis quisquam candidatorum quam principum possit. quis enim uel uno die reuerentior senatus candidatus quam tu cum omni uita tum illo ipso tempore quo iudicas de candidatis? an aliud a te quam senatus reuerentia obtinuit ut iuuenibus clarissime genitis debitum generi honorem, et antequam deberetur, offerres? tandem ergo nobilitas non obscuratur, sed illustratur a principe: tandem illos ingentium uirorum nepotes, illos posteros libertatis nec terret Caesar nec pauet; quin immo festinatis honoribus amplificat atque auget et maioribus suis reddit. si quid usquam stirpis antiquae, si quid residuae claritatis, hoc amplexatur et refouet et in usum rei publicae promit. sunt in honore hominum et in ore famae magna nomina ex tenebris obliuionis indulgentia Caesaris *asserta*, cuius haec *uis* ut nobiles et conseruet et efficiat.

LXX. Praefuerat prouinciae quaestor unus ex candidatis inque ea ciuitatis amplissimae reditus egregia constitutione fundauerat. hoc senatui allegandum putasti. cur enim te principe, qui generis tui claritatem uirtute superasti, deterior esset con-

3 consolandus ς: consulendus **M** ‖ 5 senatu **C** | circumiret **M**, *corr.* ς ‖ 9 magis non quisque cand. **C** ‖ 11 senatui **w** ‖ 13 an aliud a te sen. reu. obt. quam ut **w** ‖ 14 clarissime genitis *Liuineius:* clarissimae gentis **M** ‖ 15 et *ego:* sed **M** ‖ 23 ore *Liuin.:* honore **M** | magna] magis **B V** ‖ 24 asserta *addidi: om.* **M** extracta *Lipsius* excitata ex tenebris *Keilius* ‖ 25 uis *add. Keilius: om.* **M** ‖ 27 inque ea ciuitatis amplissimae *Lipsius:* in quem ea ciuitas amplissima **M** | redditus **M**

dicio eorum qui posteros habere nobiles mererentur quam eorum qui parentes habuissent? o te dignum qui de magistratibus nostris semper haec nunties nec poenis malorum sed bonorum praemiis bonos facias! accensa est iuuentus erexitque animos ad aemulandum quod laudari uidebat, nec fuit quisquam quem non haec cogitatio subiret [cum sciret], quicquid a quoque in prouinciis bene fieret, omnia te scire. utile est, Caesar, et salutare praesidibus prouinciarum hanc habere fiduciam, paratum esse sanctitati suae, industriae suae maximum praemium, iudicium principis, suffragium principis. adhuc autem quamlibet sincera rectaque ingenia, etsi non detorquebat, hebetabat tamen misera sed uera reputatio: 'cui rest? num, si quid bene fecero, sciet Caesar? aut si scierit, testimonium reddet?' ita eadem illa seu neglegentia seu malignitas principum, cum male consultis impunitatem, recte factis nullum praemium polliceretur, nec illos a crimine et hos deterrebat a laude. at nunc, si bene aliquis prouinciam rexerit, huic quaesita uirtute dignitas offertur. patet enim omnibus honoris et gloriae campus: ex hoc quisque quod cupit petat et assecutus sibi debeat. prouinciis quoque in posterum et iniuriarum metum et accusandi necessitatem remisisti. nam si profuerint quibus gratias egerint, de nullo queri cogentur * * et alioquin nihil magis prodesse candidato ad sequentes honores quam peractos. optime magistratus magistratu, honore honor petitur. uolo ego, qui prouinciam rexerit, non tantum codicillos amicorum

---

1 meruerunt **C** || 7 cum sciret *seclusi.* cum scires *Keilius* || 9 te *om.* **C** || 10 paratum **B W**: paratam **C V** || 11 sanctitati suae *scripsi:* sanctitati tuae **B V** sanctitati **C W** sanctitati et ς *edd.* || 15 cui rest num *scripsi:* uides enim **M** uidelicet *Gesnerus* quid est enim *Keilius* || 23 cupit **C**: cupiit **B V W** || 26 *lacunam sign. Keilius.* decet alioqui *Duebnerus* et liquebit nihil *Lipsius* et alioqui liquet nihil *Schwarzius* || 28 quam peractos — 29 honore *om.* **B V**

nec urbana coniuratione eblanditas preces, sed decreta coloniarum, decreta ciuitatum alleget. bene suffragiis consularium uirorum urbes populi gentes inseruntur. efficacissimum pro candidato genus est rogandi gratias agere.

LXXI. Iam quo assensu senatus, quo gaudio exceptum est, cum candidatis, ut quemque nominaueras, osculo occurreres, deuexus quidem in planum et quasi unus ex gratulantibus! te mirer magis an improbem illos qui effecerunt ut istud magnum uideretur, cum uelut adfixi curulibus suis manum tantum et hanc cunctanter et pigre et imputantibus similes promerent? contigit ergo oculis nostris *inuisa* ante facies, princeps candidatis aequatus et similis sectantis; *licuit* intueri parem accipientibus qui honorem dabat. quod factum tuum a cuncto senatu quam uera acclamatione celebratum est: 'tanto maior, tanto augustior'! nam cui nihil ad augendum fastigium superest, hic uno modo crescere potest, si se ipse submittat securus magnitudinis suae. neque enim ab ullo periculo fortuna principum longius abest quam humilitatis. mihi quidem non tam humanitas tua quam intentio eius admirabilis uidebatur. quippe cum orationi oculos uocem manum commodares, ut si alii eadem ista mandasses, omnes comitatis numeros obibas. atque etiam, cum suffragatorum nomina honore quo solent exciperentur, tu quoque inter excipientes eras, et ex ore principis ille senatorius assensus audiebatur, quodque apud principem perhibere testimonium merentibus gaudebamus, per-

2 bene *Lipsius:* ne **M** || 3 consiliarium **W** clarissimorum *Lipsius* || 8 occurreris **W** | et deuexus *Lipsius* || 11 magnum **W** || 12 hanc m: hunc **M** || 13 promererent **W** | inuisa *addidi: om.* **M** insolita *edd.* || 14 princeps aequatus candidatis *Schwarzius:* princeps candidatus equitus **B C V** princeps equitus candidatus **W** | similis sectantis *scripsi:* simul stantis **M** simul stans *Schwarzius* || 15 licuit *addidi: om.* **M**, contigit *Schwarzius* | qui honorem *Liuineius:* honorem qui **M** || 24 cum *om.* **C** | uocem] necesse **C** | commendares **W**

hibebatur a principe. faciebas ergo, cum diceres optimos: nec ipsorum modo uita a te, sed iudicium senatus comprobabatur, qui ornari se, non illos magis quos laudabas, laetabatur.

LXXII. Iam quod precatus es ut illa ipsa ordinatio comitiorum bene ac feliciter eueniret nobis, rei publicae, tibi, nonne tale est ut nos hunc ordinem uotorum conuertere debeamus deosque enixe obsecrare ut omnia quae facis quaeque facies prospere cedant tibi, rei publicae, nobis? uel si breuius sit optandum, ut uni tibi, in quo et res publica et nos sumus? fuit tempus, ac nimium diu fuit, quo alia aduersa, alia secunda principi et nobis: nunc communia tibi nobiscum tam laeta quam tristia, nec magis sine te nos esse felices quam tu sine nobis potes. an, si posses, in fine uotorum adiecisses ut ita precibus tuis di annuerent, si iudicium nostrum mereri perseuerasses? adeo nihil tibi amore ciuium antiquius ut ante a nobis, deinde a dis atque ita ab illis amari uelis, si a nobis ameris. et sane priorum principum exitus docuit ne a dis quidem amari nisi quos homines ament. arduum erat has precationes tuas laudibus adaequare: adaequauimus tamen. qui amoris ardor, qui stimuli, quae faces illas nobis exclamationes subiecerunt! non nostri, Caesar, ingenii, sed tuae uirtutis tuorumque meritorum uoces fuerunt, quas nulla umquam adulatio inuenit, nullus cuiusquam terror expressit. quem sic timuimus ut haec fingeremus? quem sic amauimus ut haec fateremur? nosti necessitatem seruitutis: ecquando simile aliquid audisti? ecquando dixisti? multa quidem excogitat metus, sed quae appareant quaesita ab inuitis: aliud sollicitudinis, aliud securitatis ingenium est; alia tristium inuentio, alia gaudentium: neutrum simula-

---

3 qui ornari *Schwarzius:* ornarique **M** ‖ 5 iam *Tho. Heurnius:* nam **M** ‖ 7 nonne tibi **C** ‖ 8 deosq. enixe *ego:* deos denique **B W** eos denique **V C** eosdemque ς ‖ 12 diuersa **B** ‖ 30, 31 ecquando *Liuineius:* et quando **M** *utroque loco* ‖ 31 audiuisti **C**

tiones expresserint. habent sua uerba miseri, sua uerba felices: atqui iam maxime eadem ab utrisque dicuntur.

LXXIII. Testis ipse es quae in omnium ore laetitia. non amictus cuiquam, non habitus quem domo extulerat. inde resultantia uocibus tecta nihilque tantis clamoribus satis clausum. quis tunc non e uestigio suo exiluit? quis exiluisse sensit? multa fecimus sponte, plura instinctu quodam et imperio: nam gaudio quoque cogendi uis inest. num ergo modum ei tua saltim modestia imposuit? non, quanto magis a te reprimebatur, exarsimus? non contumacia, Caesar; sed ut in tua potestate est an gaudeamus, ita in quantum nec in nostra. comprobasti et ipse acclamationum nostrarum fidem lacrimarum tuarum ueritate. uidimus humescentes oculos tuos demissumque gaudio uultum tantumque sanguinis in ore quantum in animo pudoris. atque hoc magis incensi sumus ut precaremur ne quando tibi non eadem causa lacrimarum, utque numquam frontem tuam * *. hoc ipsum has sedes nos quasi responsuras interrogemus, uiderintne umquam principis lacrimas: at senatus saepe uiderunt. onerasti futuros principes, sed et posteros nostros. nam et hi a principibus suis exigent ut eadem audire mereantur et illi quod non audiant indignabuntur.

LXXIV. Nihil magis possum pro re dicere quam quod dictum est a cuncto senatu 'o te felicem!' quod cum diceremus, non opes tuas sed animum mirabamur. est enim *haec* demum uera felicitas

---

1 misera C V || 2 atqui iam maxime *scripsi:* utque (ut quae C) iam maxime M ut quam maxime *Gruterus* | eadem *om.* C || 3 dicuntur *scripsi:* dicantur aliter dicuntur M || 4 in] non W || 6 domo *Lipsius:* modo M || 8 exiluisse V w: ex siluis se C exiluisse se B || 11 non] num w || 17 dimissumque M, *corr.* ς remissumque *Lipsius* || 21 abstergeres *add. Catanaeus,* contraheres *Gierigius* | ipsum] templum *Lipsius* | responsuris C || 22 ne umquam — uiderunt *om.* W || 25 mereantur w: merentur M || 27 pro re *scripsi:* proprie M || 30 haec *addidi: om.* M

felicitate dignum uideri. sed cum multa illo die dicta sunt sapienter et grauiter, tum uel in primis 'crede nobis, crede tibi'. magna hoc fiducia nostri, maiore tamen tui diximus. alius enim fortasse alium, ipsum se nemo deceperit. introspiciat modo uitam seque quid mereatur interroget. proinde dabat uocibus nostris fidem apud optimum principem quod apud malos detrahebat. quamuis enim faceremus quae amantes solent, illi tamen non amari se credebant sibi. super haec precati sumus ut sic te amarent di quemadmodum tu nos. quis hoc aut de se aut principi diceret mediocriter amanti? pro nobis ipsis quidem haec fuit summa uotorum ut nos sic amarent di quo modo tu. estne uerum quod inter ista clamauimus 'o nos felices'? quid enim felicius nobis, quibus non iam illud optandum est ut nos diligat princeps, sed *ut* di quemadmodum princeps? ciuitas religionibus dedita semperque deorum indulgentiam pietate merita nihil felicitati suae putat astrui posse nisi ut di Caesarem imitentur.

LXXV. Sed quid singula consector et colligo? quasi uero aut oratione complecti aut memoria consequi possim quae uos, patres conscripti, ne qua interciperet obliuio, et in publica acta mittenda et incidenda in aere censuistis. ante orationes principum tantum eius modi genere monumentorum mandari aeternitati solebant: acclamationes quidem nostrae parietibus curiae claudebantur. erant enim quibus nec senatus gloriari nec principes possent. has uero et in uulgus exire et posteris prodi cum ex utilitate tum ex dignitate publica fuit: primum ut orbis terrarum pietatis nostrae adhiberetur testis et conscius; deinde ut manifestum esset audere nos

---

6 quid] quod **C** ‖ 10 sic] si **C** ‖ 11 quis ς: qui **M** ‖ 13 ipsius **B V** ‖ 17 ut *add. Keilius: om.* **M** ‖ 19 indulgentia **B V** | pietate *Lipsius:* pie **M** | felicitati **W**: felicitatis **B C V** ‖ 25 ante te *Keilius* ‖ 27 quidem *om.* **W** ‖ 29 principes **w**: princeps **M** ‖ 30 uulgus] singulis **C** ‖ 33 audire **W**

de bonis malisque principibus non tantum post ipsos iudicare; postremo ut experimento cognosceretur et ante nos gratos, sed miseros *eos* fuisse quibus esse nos gratos probare antea non licuit. at qua contentione, quo nixu, quibus clamoribus expostulatum est ne affectus nostros, ne tua merita supprimeres, denique ut in posterum exemplo prouideres! discant et principes acclamationes ueras falsasque discernere habeantque muneris tui quod iam decipi non poterunt. non instruendum illis iter ad bonam famam, sed non deserendum, non submouenda adulatio, sed non reducenda est. certum est et quae facere et quae debeant audire, si faciant. quid nunc ego super ea quae sum cum toto senatu precatus pro senatu precer, nisi ut haereat animo tuo gaudium quod tunc oculis protulisti, ames illum diem et tamen uincas, noua merearis, noua audias? eadem enim dici nisi facta *noua assunt* non possunt.

LXXVI. Iam quam antiquum, quam consulare quod triduum totum senatus sub exemplo tui sedit, cum interea nihil praeter consulem ageres! interrogatus orauit quisque quod placuit: *licuit* dissentire, discedere et copiam iudicii sui rei publicae facere: consulti omnes atque etiam dinumerati sumus, uicitque sententia non prima sed melior. at quis antea loqui, quis hiscere audebat praeter miseros illos qui primi interrogabantur? ceteri quidem defixi et attoniti ipsam illam mutam ac sedentariam assentiendi necessitatem quo cum dolore animi, quo cum totius corporis horrore perpetiebantur! unus solusque cen-

---

3 eos *addidi: om.* **M** | quibus] quia *Keilius* || 10 ad] sed **C** || 11 deserendum **B W**: deserundum **C V** || 16 praetulisti *Liuineius; malim* prodidisti || 18 noua assunt *addidi: om.* **M** nisi ob eadem facta *Catanaeus* nisi facta sint eadem *Keilius* || 20 tui **C W**: tuo **B V** patientiae tuae *Cusp.* || 21 interrogatus orauit *scripsi:* interrogauit **M** || 22 licuit *addidi: om.* **M** | interrogatus quisque q. pl. sentiebat; licuit diss. *Keilius* || 25 at] aut **C**

sebat quod sequerentur omnes et omnes improbarent, in primis ipse qui censuerat. adeo nulla magis omnibus displicent quam quae sic fiunt tamquam omnibus placeant. fortasse imperator in senatu ad reuerentiam eius componebatur: ceterum egressus statim se recipiebat in principem omniaque consularia officia abicere, neglegere, contemnere solebat. ille uero ita consul, ut si tantum consul foret, nihil infra se putabat nisi quod infra consulem esset. ac primum ita domo progrediebatur ut illum nullus apparatus arrogantiae principalis, nullus praecursorum tumultus detineret. una erat in limine mora, consultare aues reuererique numinum monitus. nemo proturbabatur, nemo submouebatur: tanta uiatoribus quies, tantus pudor fascibus ut plerumque aliena turba subsistere et consulem et principem cogeret. ipsius quidem officium *tam* modicum, tam temperatum ut antiquus aliquis magnusque consul sub bono principe incedere uideretur. iter illi saepius in forum, frequenter tamen et in campum.

LXXVII. Nam comitia consulum obibat ipse: tantum ex renuntiatione eorum uoluptatis quantum prius ex destinatione capiebat. stabant candidati ante curulem principis, ut ipse ante consulis steterat, adigebanturque in uerba in quae paulo ante ipse iurauerat princeps, qui tantum putat esse in iure iurando ut illud et ab aliis exigat. reliqua pars diei tribunali dabatur. ibi uero quanta religio aequitatis! quanta legum reuerentia! adibat aliquis ut principem: respondebat se consulem esse. nullius ab eo magistratus ius, nullius auctoritas imminuta est, aucta etiam; siquidem pleraque ad praetores remittebat atque ita ut collegas uocaret, non quia

---

7 abicere *Liuineius:* abigere **M** ‖ 8 ut si tantum consul *om.* **W** ‖ 9 consulem *Catanaeus:* eos **M** ‖ 11 percussorum **C** ‖ 14 perturbabatur **M**, *corr. Liuineius* ‖ 17 *prius* tam *om.* **M**, *add.* **w** ‖ 19 intercedere **C** | illi **w**: illis **M** ‖ 22 et tantum *Lipsius* | quantum] quam **C** ‖ 27 illud] id **C**

popülare gratumque audientibus, sed quia ita sentiebat. tantum dignationis in ipso honore ponebat ut non amplius esse censeret quod aliquis collega appellaretur a principe quam quod praetor esset. ad hoc tam assiduus in tribunali ut labore refici ac reparari uideretur. quis nostrum idem curae, idem sudoris insumit? quis adeo expetitis honoribus aut deseruit aut sufficit? et sane aequum est tantum ceteris praestare consulibus ipsum qui consules facit: quippe etiam fortuna uidebatur indignum, si posset honores dare qui gerere non posset. facturus consules doceat accepturisque amplissimum honorem persuadeat scire se quid sit quod dabit: sic fit ut illi quoque sciant quid acceperint.

LXXVIII. Quo iustius senatus ut susciperes quartum consulatum et rogauit et iussit. imperii hoc uerbum, non adulationis esse obsequio tuo crede, quod non alia in re magis aut senatus exigere a te aut *tu* praestare senatui debes. ut enim ceterorum hominum ita principum, illorum etiam qui di sibi uidentur, aeuum omne et breue et fragile est. itaque optimum quemque niti et contendere decet ut post se quoque rei publicae prosit, moderationis scilicet iustitiaeque monimentis, quae plurima statuere consul potest. haec nempe intentio tua ut libertatem reuoces ac reducas. quem ergo honorem magis amare, quod nomen usurpare saepius debes quam quod primum inuenit recuperata libertas? non est minus ciuile et principem esse pariter et consulem quam tantum consulem. habe etiam rationem uerecundiae collegarum tuorum, collegarum inquam: ita enim et ipse loqueris et nos

10 etiam] omne **C** ‖ 11 possit *priore loco* **M**, *corr.* ς ‖ 12 accepturusque **M**, *corr. Catanaeus* ‖ 19 tu *add. Sichardus: om.* **M** ‖ 21 aeuum *Catanaeus:* aequum **M** ‖ 25 plurima *Gesnerus:* prima **M** | potes *Lipsius* ‖ 30 tantum consul **C** | habe *Liuineius:* habes **M** ‖ 31 *uerba* uerecundiae — 75, 12 principis atque *habet* **R**

loqui uis. onerosa erit modestiae illorum tertii consulatus sui recordatio, donec te saepius consulem uideant. neque enim potest non nimium esse priuatis quod principi satis est. adnuas, Caesar, optantibus, quibusque apud deos adesse consuesti, quorum potes ipse uotorum compotes facias.

LXXIX. Tibi fortasse sufficiat tertius consulatus: sed nobis tanto minus sufficit. ille nos instituit et induxit ut te iterum iterumque consulem habere cupiamus. remissius istud contenderemus, si adhuc nesciremus qualis esses futurus: tolerabilius fuit experimentum tui nobis quam usum negari. dabiturne rursus uidere consulem illum? audiet, reddet quas proxime uoces praestabitque gaudium quantum ipse percipiet? praesidebit laetitiae publicae, auctor eius et causa, temptabitque affectus nostros, ut solet, cohibere? non poterit; *erit* pietati certe senatus cum modestia principis felix speciosumque certamen, seu fuerit uicta seu uicerit. equidem incognitam quandam proximaque maiorem praesumo laetitiam. quis enim est tam imbecilli ingenio qui non tanto meliorem consulem speret quanto saepius fuerit? alius se a continuo labore, etsi non desidiae ac uoluptati dedisset, otio tamen et quiete recreasset: hic consularibus curis exsolutus principales resumpsit, tam diligens temperamenti ut nec consulis officium princeps nec principis consul adpeteret. uidemus ut prouinciarum desideriis, ut sin-

---

1 terti consul **R** || 2 saepius] saep. . . **R**: *om.* **M** || 5 adesse] esse **C** | quorum] hos quibus **R** || 6 ip . . uotorum (*uel* ueterum) copotes **R** || 7 tibi **R**: *om.* **M** || 8 institu induxit **R** iterumque *om.* **W** || 11 nesciremus **R**: non sciremus **M** || 12 nobis *om.* **W** || 14 reddet*que* **R** || 17 non **R**: nec **M** | erit *Lipsius*: *om.* **RM** | certe **R**: *om.* **M** || 20 quondam proximamque maiorum **R** || 21 est] ex **R** | imbecilli *edd.*: modicilli **M** modicello **w** docili **R** indocili ς | qui *om.* **R** || 23 alius se a continuo labore *etsi* non **R**: alius sibi non continuos labores **B V** alius labores si non continuos **C W** | desidia ac uoluntatibus **R** || 24 utio **R** || 26 nec] ne **R** || 28 uideamus **R**

gularum etiam ciuitatium precibus occurrat. nulla in audiendo difficultas, nulla in respondendo mora: adeunt statim, dimittuntur statim; tandemque principis fores exclusa legationum turba non obsidet.

LXXX. Quid? in omnibus cognitionibus quam mitis seueritas, quam non dissoluta clementia! non tu locupletando fisco operatus sedes, nec aliud tibi sententiae tuae pretium quam bene iudicasse. stant ante te litigatores non de fortunis suis, sed de tua existimatione solliciti, nec tam uerentur quid de causa sua quam quid de moribus sentias. o ueras principis atque etiam dei curas reconciliare aemulas ciuitates tumentesque populos non imperio magis quam ratione compescere, intercedere iniquitatibus magistratuum infectumque reddere quicquid fieri non oportuerit, postremo uelocissimi sideris more omnia inuisere, omnia audire et undecumque inuocatum statim uelut *numen* adesse et assistere! talia esse crediderim quae ipse mundi parens temperat nutu, siquando oculos demisit in terras et fata mortalium inter diuina opera numerare dignatus est: qua nunc parte liber solutusque tantum caelo uacat, postquam te dedit qui erga omne hominum genus uice sua fungereris. fungeris enim sufficisque mandanti, cum tibi dies omnis summa cum utilitate nostra, summa cum tua laude condatur.

LXXXI. Quodsi quando cum influentibus negotiis paria fecisti, instar refectionis existimas muta-

---

1 ciuitatum **M** | praecibus **R**: presidiis **M** | occurrit **W** || 6 quam *om.* **R** | clementia cui **R** clementia. quam tu non *Haasius misc. phil. II 19.* || 7 tu *et* operatus **R**: *om.* **M** || 10 existimatione **R**: extimatione **M** || 11 sentias **R** ς: sententies **M** | o ueras (*uel* uerus) **R**: o uere **M** || 12 atque] *hic desinit* **R** | dei curas *Keilius:* decoras **W** decoris **B C V** consulis. *Catanaeus* || 13 tumentesque **B W**: timentesque **C V** || 17 adire *Liuineius* || 18 numen *add. edd.: om.* **M** || 20 terram **W** || 24 fungeris fung. **B** fungens fung. **w** || 29 imationem **C**

tionem laboris. quae enim remissio tibi nisi lustrare saltus, excutere cubilibus feras, superare immensa montium iuga et horrentibus scopulis gradum inferre, nullius manu, nullius uestigio adiutum, atque inter haec pia mente adire lucos et occursare numinibus? olim haec experientia iuuentutis, haec uoluptas erat, his artibus futuri duces imbuebantur, certare cum fugacibus feris cursu, cum audacibus robore, cum callidis astu; nec mediocre pacis decus habebatur submota campis irruptio ferarum et obsidione quadam liberatus agrestium labor. usurpabant gloriam istam illi quoque principes qui obire non poterant: usurpabant autem *ita* ut domitas fractasque claustris feras ac deinde in ipsorum quidem ludibrium emissas mentita sagacitate colligerent. huic par capiendi quaerendique sudor summusque et idem gratissimus labor inuenire. enimuero, si quando placuit idem corporis robur in maria proferre, non ille fluitantia uela aut oculis sequitur aut manibus, sed nunc gubernaculis assidet, nunc cum ualentissimo quoque sodalium certat frangere fluctus, domitare uentos reluctantes remisque transnare obstantia freta.

LXXXII. Quantum dissimilis illi qui non Albani lacus otium Baianique torporem et silentium ferre, non pulsum saltim fragoremque remorum perpeti poterat quin ad singulos ictus turpi formidine horresceret! itaque procul ab omni sono inconcussus ipse et iam inmotus religato reuinctoque nauigio non secus ac piaculum aliquod trahebatur. foeda facies, cum populi Romani imperator alienum cursum alienumque rectorem uelut capta naue sequeretur. nec

---

6 experimenta *Lipsius* ‖ 13 ita *add. Cusp.: om.* **M** ‖ 14 quidem ς: quidni **M** ‖ 16 huic *Catanaeus:* his **M** nunc *Lipsius* ‖ 19 manibus] nauibus *Liuineius* ‖ 22 transnare *scripsi:* transferre **M** transfretare *Catanaeus* transire *Lipsius* transilire *Keilius* ‖ 25 teporem ς ‖ 29 etiam motus **M**, *correxi.* et immotus *edd.* | relegato reuin. **B V w**: relegatore uin. **C**

deformitate ista *extera* saltim flumina carebant; atqui etiam Danuuius ac Rhenus ostentum illum nostri dedecoris uehere gaudebant, non minore cum pudore imperii quod haec Romanae aquilae, Romana signa, Romana denique ripa quam quod hostium *turba* prospectaret, hostium, quibus moris est eadem illa nunc rigentia gelu flumina aut campis superfusa, nunc liquida ac deferentia *plaustris* lustrare, nauigiis nandoque superare. nec uero laudauerim per se magnopere duritiam corporis ac lacertorum: sed si his ualidior toto corpore animus imperitet, quem non fortunae indulgentia molliat, non copiae principales ad segnitiem luxumque detorqueant, tunc ego, seu montibus seu mari exerceatur, et laetum opere corpus et crescentia laboribus membra mirabor. uideo enim iam inde antiquitus maritos dearum ac deum liberos * * nec dignitate nuptiarum magis quam his artibus inclaruisse. simul cogito cuius sint ista ludus et auocamentum. huius * * illae seriae et intentae et a quibus se in tale otium recipit. uoluptates sunt enim, uoluptates, quibus optime de cuiusque grauitate sanctitate temperantia creditur. nam quis adeo dissolutus cuius non occupationibus aliqua species seueritatis insideat? otio prodimur. an non plerique principes hoc idem tempus in aleam stupra luxum conferebant, cum seriarum laxamenta curarum uitiorum contentione supplerent?

LXXXIII. Habet hoc priuum magna fortuna quod nihil tectum, nihil occultum esse patitur: principum

---

1 extera *ego: om.* M | atqui *scripsi:* atque M || 2 ostentum illum *ego:* tantum illud M || 4 haec W: hae BCV || 5 turba *addidi: om.* M, exercitus *add.* w || 7 superflua C || 8 deserentia *Catanaeus* deferuentia *Lipsius* | plaustris *addidi: om.* M || 11 fortunae indulgentia ς: fortuna indulgentie W fortunae indulgentiae B C V || 12 molliant C || 16 nec natalibus *Liuineius* nec generis praestantia *Gesnerus addunt* || 18 claruisse w | cuius *scripsi:* cum M || 19 *suppleuerim:* scilicet, cuius curae. *uulgo* huius quae quantaeque sint illae *eqs.* || 24 insideat ς: insidat B V W non insidat C | an w: at M || 28 priuum (*uel* proprium) *Rittershusius:* primum M

uero non modo domus sed cubicula ipsa intimosque secessus recludit omniaque arcana noscenda famae proponit atque explicat. sed tibi, Caesar, nihil accommodatius fuerit ad gloriam quam penitus inspici. sunt quidem praeclara quae in publicum profers, sed non minora ea quae limine tenes: est magnificum quod te ab omni contagione uitiorum reprimis ac reuocas, sed magnificentius quod tuos. quanto enim magis arduum est alios praestare quam se, tanto laudabilius quod, cum ipse sis optimus, omnes circa te similes tui effecisti. multis illustribus dedecori fuit aut inconsultius uxor assumpta aut retenta patientius: ita foris claros domestica destruebat infamia, et ne maximi ciues haberentur hoc efficiebat quod mariti minores erant. tibi uxor in decus et gloriam cedit. quid enim illa sanctius? quid antiquius? nonne, si pontifici maximo eligenda sit coniunx, aut hanc aut similem (ubi est autem similis?) elegerit? quam illa nihil sibi ex fortuna tua nisi gaudium uindicat! quam constanter non potentiam tuam, sed ipsum te reueretur! idem estis inuicem quod fuistis, probati ex aequo, nihilque uobis felicitas addidit, nisi quod scire coepistis quam bene uterque uestrum felicitatem ferat. eadem quam modica cultu! quam parca comitatu! quam ciuilis incessu! mariti hoc opus, qui ita imbuit, ita instituit: nam uxori sufficit obsequii gloria. an, cum uideat quam te nullus terror, nulla comitetur ambitio, non et ipsa cum silentio incedat ingredientemque pedibus maritum, in quantum patitur sexus, imitetur? decuerit hoc illam, etiamsi diuersa tu facias. sub hac uero modestia uiri quantam debet uerecundiam uxor marito, femina sibi!

LXXXIV. Soror autem tua ut se sororem esse meminit! ut in illa tua simplicitas, tua ueritas, tuus

---

1 domos ς ‖ 2 recessus ς ‖ 22 probati *Perizonius:* probatis M idem probatis *Gierigius*

candor agnoscitur! ut, si quis eam uxori tuae conferat, dubitare cogatur utrum sit efficacius ad recte uiuendum, bene institui an feliciter nasci. nihil est tam pronum ad simultates quam aemulatio, in feminis praesertim: ea porro maxime nascitur ex coniunctione, alitur aequalitate, exardescit inuidia, cuius finis est odium. quo quidem admirabilius existimandum est quod mulieribus duabus in una domo parique fortuna nullum certamen, nulla contentio est. suspiciunt inuicem, inuicem cedunt; cumque te utraque effusissime diligat, nihil sua putant interesse utram tu magis ames. idem utrique propositum, idem tenor uitae, nihilque ex quo sentias duas esse. te enim imitari, te subsequi student: ideo utraque mores eosdem quia utraque tuos habet. inde moderatio, inde etiam perpetua securitas. neque enim umquam periclitabuntur esse priuatae quae non desierunt. obtulerat illis senatus cognomen Augustarum, quod certatim deprecatae sunt quam diu appellationem patris patriae tu recusasses, uel quod plus esse in eo iudicabant, si uxor et soror tua quam si Augustae dicerentur. sed quaecumque illis ratio tantam modestiam suasit, hoc magis dignae sunt quae in animis nostris et sint et habeantur augustae, quia non uocantur. quid enim laudabilius feminis quam si uerum honorem non in splendore titulorum, sed in iudiciis hominum reponant magnisque nominibus pares se faciant, et dum recusant?

LXXXV. Iam et in priuatorum animis exoleuerat priscum mortalium bonum, amicitia, cuius in locum migrauerant adsentationes, blanditiae et peior odio amoris simulatio. etenim in principum domo nomen

3 an ς: aut **M** ‖ 6 exardescit *edd.:* et ardescit **C V W** ardescit **B** ‖ 12 idem ς: idemque **M**. *an* idem quippe? ‖ 17 umquam] inique **C** ‖ 20 uel *scripsi:* seu **M** ‖ 22 seu quaecumque *C. F. W. Mueller mus. Rhen. XX p. 156. Keilius lacunam statuit ante* sed ‖ 24 habentur **W** ‖ 29 iam et *Liuineius:* iam etiam et **M** ‖ 31 odio **w**: ordo **M** ‖ 32 nomen] non **C**

tantum amicitiae, inane scilicet irrisumque, remanebat. nam qui poterat esse inter eos amicitia, quorum sibi domini alii, alii serui uidebantur? tu hanc pulsam et errantem reduxisti: habes amicos, quia amicus ipse es. neque enim ut alia subiectis ita amor imperatur, neque est ullus affectus tam erectus et liber et dominationis impatiens nec qui magis uices exigat. potest princeps fortasse inique, [potest] tamen odio esse non nullis, etiamsi ipse non oderit: amari, nisi ipse amet, non potest. diligis ergo, cum diligaris, et in eo quod utrimque honestissimum est tota gloria tua est; qui superior factus descendis in omnia familiaritatis officia et in amicum ex imperatore submitteris; immo tunc maxime imperatorem, cum amicum agis. etenim cum plurimis amicitiis fortuna principum indigeat, praecipuum est principis opus amicos parare. placeat tibi semper haec secta, et cum reliquas uirtutes tuas tum hanc constantissime teneas, nec umquam tibi persuadeatur humile esse principi nisi odisse. iucundissimum est in rebus humanis amari, sed non minus amare. quorum utroque ita frueris ut, cum ipse ardentissime diligas, adhuc tamen ardentius diligaris: primum quia facilius est unum amare quam multos; deinde quia tibi amicos tuos obligandi adest facultas tanta ut nemo te possit nisi ingratus non magis amare.

LXXXVI. Operae pretium est referre quod tormentum tibi iniunxeris ne quid amico negares. dimisisti optimum uirum tibique carissimum inuitus et tristis et quasi retinere non posses, quantumque

---

3 dom. alii **W**: alii dom. **B C V** ‖ 6 ullus alius adfectus *G. H. Schaeferus* ‖ 8 fortasse princeps **M**, *transpos. Keilius* | potest *alterum seclusi* ‖ 11 utrunque **W** ‖ 12 quia **w** | factus ς: facis **W** fatis **B C V** ‖ 14 imperatorem *Keilius:* imperator **M** imperator es *Liuineius* ‖ 17 amicos — 81, 26 et ille quidem *habet* **R** | parere **R** ‖ 18 reliquas **R**: alias **M** | tunc **R** ‖ 19 tibi **R**: *om.* **M** ‖ 20 principis **R** ‖ 23 ardentius *om.* **W** | diligares **R** ‖ 25 tanta facultas inest **R** ‖ 26 possit te **C** ‖ 28 tibi] sibi **R** ‖ 29 rarissimum **R** ‖ 30 quautumque **R**: quantum **M**

amares eum desiderio expertus es, distractus separatusque, dum cedis et uinceris. ita, quod fando inauditum, cum princeps et principis amicus diuersa uelletis, id potius factum est quod amicus uolebat. o rem memoriae litterisque mandandam! praefectum praetorio non ex ingerentibus se, sed ex subtrahentibus legere eundemque otio quod pertinaciter amet reddere, cumque sis ipse distentus imperii curis, non quietis gratiam cuiquam inuidere. intellegimus, Caesar, quantum tibi pro laboriosa ista statione et exercita debeamus, cum otium a te tamquam res optima et petatur et detur. quam ego audio confusionem tuam fuisse, cum digredientem prosequereris! prosecutus es enim nec temperasti tibi quo minus exeunti in litore amplexus, osculum ferres. stetit Caesar in illa amicitiae specula, stetit precatusque est abeunti prona maria celeremque, si tamen ipse uoluisset, recursum nec sustinuit recedentem non etiam atque etiam uotis, lacrimis sequi. nam de liberalitate taceo. quibus enim muneribus aequari haec cura principis, haec patientia potest, qua meruisti ut ille sibi nimium fortis ac prope durus uideretur? nec dubito quin agitauerit secum an gubernacula retorqueret, et fecisset, nisi quod paene ipso contubernio principis felicius iucundiusque est desiderare principem desiderantem. et ille quidem ut maximo fructu suscepti ita maiore depositi officii gloria fruitur, tu autem facilitate ista consecutus es ne quem retinere uidearis inuitum.

3 inauditum est quod cum **R** | principis] principes **R** || 4 tactum est **R** || 5 o *et* que *om.* **R** || 6 praetorio **R**: praetorii **M** | se **R**: *om.* **M** | ex **R**: e **M** || 7 quod **R**: quem **M** || 8 imperii curis] in periculis **R** | non quietis *bis* **R** || 9 gratiam *scripsi:* gloriam **M**, *et ita uel* gloriaam **R** || 10 et *om.* **R** || 11 exercitatione **w B** || 14 es **R** *in ras.: om.* **M** | temperasti **R**: te imperasti **M** || 15 in litore amplexus in litore osculum **R** || 16 amiciae **R** | stetit *alterum om.* **M**, *add.* **R** || 17 est abeunti prona *om.* **M**, *add.* **R** || 19 atque . . uotis et lacrimis **R** || 23 uidetur **R** || 24 quod **R B V w**: quo **C** | paene] nene **R** bene **B** || 26 et ille qui *desinit* **R** || 27 fructu **ς**: fructus **M**

LXXXVII. Ciuile hoc erat et parenti publico conuenientissimum, nihil cogere semperque meminisse nullam tantam potestatem cuiquam dari posse ut non sit gratior potestate libertas. dignus es, Caesar, qui officia mandes deponere optantibus; qui petentibus uacationem inuitus quidem, sed tamen tribuas; qui ab amicis orantibus requiem non te relinqui putes; qui semper inuenias et quos ex otio reuoces et quos otio reddas. uos quoque, quos parens noster familiariter inspicere dignatur, fouete iudicium eius quod de uobis habet: hic uester labor est. princeps enim, cum in uno probauit amare se scire, uacat culpa, si alios minus amat. ipsum quidem quis mediocriter diligat, cum leges amandi non det sed accipiat? hic praesens, ille mauult absens amari: uterque amatur ut mauult: nemo in taedium praesentia, nemo in obliuionem absentia uenit. tenet quisque locum quem semel meruit, faciliusque est ut oculis eius uultus absentis quam ut animo caritas excidat.

LXXXVIII. Plerique principes, cum essent ciuium domini, libertorum erant serui: horum consiliis, horum nutu regebantur, per hos audiebant, per hos loquebantur, per hos praeturae etiam et sacerdotia et consulatus, immo et ab his petebantur. tu libertis tuis summum quidem honorem, sed tamquam libertis habes abundeque sufficere his credis, si probi et frugi existimentur. scis enim praecipuum esse indicium non magni principis magnos libertos. ac primum neminem in usu habes nisi aut tibi aut patri tuo aut optimo cuique principum dilectum spectatumque cotidie; hos ipsos deinde ita formas ut se non tua fortuna, sed sua metiantur: et tanto magis digni quibus honor omnis praestetur a nobis, quia non

10 fouete ς: fouet **M** || 16 amatur *G. H. Schaeferus:* ametur **M** || 17 uenit ς: ueniat **M** | quisque **B V**: quis **C W** || 18 semel] semper **C** || 30 cuiquam **B C V** | spectatumque *Gesnerus:* statimque **M** aestimatumque *Gruterus* || 31 cotidie; hos ipsos *ego:* hos ipsos cotidie **M** || 32 et *del. Liuineius*

est necesse. iustisne de causis senatus populusque Romanus optimi tibi cognomen adiecit? paratum id quidem et in medio positum, nouum tamen. scias neminem ante meruisse, quod non erat excogitandum, si quis meruisset. an satius fuit felicem uocare? quod non moribus, sed fortunae datum est: satius magnum? cui plus inuidiae quam pulcritudinis inest. adoptauit te optimus princeps in suum, senatus in optimi nomen. hoc tibi tam proprium quam paternum; nec magis distincte definiteque designat qui Traianum quam qui optimum appellat, ut olim frugalitate Pisones, sapientia Laelii, pietate Metelli monstrabantur. quae simul omnia uno isto nomine continentur. nec uideri potest optimus nisi qui est omnibus optimis in sua cuiusque laude praestantior. merito tibi ergo post ceteras appellationes haec est addita ut maior. minus est enim imperatorem et Caesarem et Augustum quam omnibus imperatoribus et Caesaribus et Augustis esse meliorem. ideoque ille parens hominum deorumque optimi prius, deinde maximi nomine colitur. quo praeclarior laus tua, quem non minus constat optimum esse quam maximum. assecutus es nomen quod ad alium transire non possit, nisi ut appareat in bono principe alienum, in malo falsum, quod licet omnes postea usurpent, semper tamen agnoscetur ut tuum. etenim ut nomine Augusti admonemur eius cui primum dicatum est, ita haec optimi appellatio numquam memoriae hominum sine te recurret, quotiensque posteri nostri optimum aliquem uocare cogentur, totiens recordabuntur quis meruerit uocari.

LXXXIX. Quanto nunc, diue Nerua, gaudio frueris, cum uides et esse optimum et dici quem tamquam optimum elegisti! quam laetum tibi quod comparatus filio tuo uinceris! neque enim alio magis approbatur

4 ante te mer. ς ‖ 10 diffiniteque M ‖ 14 nisi qui est omnibus optimis C: nisi qui est optimus W, *om.* B V ‖ 33 dici tanquam optimum quem el. C

animi tui magnitudo quam quod optimus ipse non timuisti eligere meliorem. sed et tu, pater Traiane, (nam tu quoque, si non sidera, proximam tamen sideribus obtines sedem) quantam percipis uoluptatem, cum illum tribunum, illum militem tuum tantum imperatorem, tantum principem cernis, cumque eo qui adoptauit amicissime contendis pulcrius fuerit genuisse talem an elegisse! macte uterque ingenti in rem publicam merito, cui hoc tantum boni contulistis! licet alteri uestrum filii uirtus triumphalia, caelum alteri dederit, non minor tamen uestra laus quod ista per filium quam si ipsi meruissetis.

XC. Scio, patres conscripti, cum ceteros ciues tum praecipue consules oportere sic affici ut se publice magis quam priuatim obligatos putent. ut enim malos principes rectius pulcriusque est ex communibus iniuriis odisse quam propriis, ita boni speciosius amantur ob ea quae generi humano quam quae hominibus praestant. quia tamen in consuetudinem uertit ut consules publica gratiarum actione perlata suo quoque nomine quantum debeant principi profiteantur, concedite me non pro me magis munere isto quam pro collega meo Cornuto Tertullo, clarissimo uiro, fungi. · cur enim non pro illo quoque gratias agam, pro quo non minus debeo? praesertim cum indulgentissimus imperator in concordia nostra ea praestiterit ambobus quae, si tantum in alterum contulisset, ambos tamen aequaliter obligasset. utrumque nostrum ille optimi cuiusque spoliator et carnifex stragibus amicorum et in proximum iacto fulmine adflauerat. isdem enim amicis gloriabamur, eosdem amissos lugebamus, ac sicut *nunc* spes gaudiumque, ita tunc communis nobis dolor et metus erat. habuerat hunc honorem periculis nostris diuus

3 nam et tu quoque **C** ‖ 7 fuerit *Liuineius:* fuisse **M** ‖ 11 non miror **C** ‖ 12 quod] quam **C** ‖ 20 perlata] peracta *Ernestius. malim* perorata ‖ 23 tertulo **m r** ‖ 25 non *om.* **C** ‖ 29 illi **C** ‖ 30 flumine **C** ‖ 32 nunc ς: *om.* **M**

Nerua ut nos, etsi minus ut bonos, promouere uellet, quia mutati saeculi signum et hoc esset quod florerent quorum praecipuum uotum ante fuerat ut memoriae principis elaberentur.

XCI. Nondum biennium compleueramus in officio laboriosissimo et maximo, cum tu nobis, optime principum, fortissime imperatorum, consulatum obtulisti, ut ad summum honorem gratia celeritatis accederet: tantum inter te et illos principes interest qui beneficiis suis commendationem ex difficultate captabant gratioresque accipientibus honores arbitrabantur, si prius illos desperatio in taedium et similis repulsae mora in notam quandam pudoremque uertisset. obstat uerecundia quo minus percenseamus quo utrumque nostrum testimonio ornaris, ut amore recti, amore rei publicae priscis illis consulibus aequaueris. merito necne, neutram in partem decernere audeamus, quia nec fas est affirmationi tuae derogare et onerosum confiteri uera esse quae de nobis, praesertim tam magnifica, dixisti. tu tamen dignus es qui eos consules facias de quibus ista possis praedicare. tribuas ueniam quod inter haec beneficia tua gratissimum est nobis quod nos rursus collegas esse uoluisti. ita caritas mutua, ita congruens tenor uitae, ita una eademque ratio propositi postulabat, cuius ea uis ut morum similitudo concordiae nostrae gloriam minuat ac perinde sit mirum, si alter nostrum a collega, ac si a se ipse dissentiat. non ergo temporarium et subitum est quod uterque collegae consulatu tamquam iterum suo gaudet; nisi quod tamen qui rursus consules fiunt bis quidem, sed temporibus diuersis obligantur, nos duos consu-

---

1 etsi minus notos ut bonos tamen promouere *Lipsius* || 3 quorum] quo **C** || 4 elaberemur **M**, *corr.* ς || 8 gratia *scripsi:* gloria **M** || 9 tantum enim inter **W** || 12 illos] illis *Schwarzius* | in *ego:* et **M** || 14 uertisset **B V**: uertissent **C W** || 22 possis ista **C** || 23 nos *om.* **W** || 26 postulat **W** || 27 nostra **C** || 28 ipso *Catanaeus*

latus accepimus simul, simul gerimus, alterque in altero consules iterum et pariter sumus.

XCII. Illud uero quam insigne quod nobis praefectis aerario consulatum ante quam successorem dedisti! aucta est dignitas dignitate, nec continuatus tantum sed geminatus est honor, finemque potestatis alterius, tamquam parum esset excipere, *altera* praeuenit. tanta tibi integritatis nostrae fiducia fuit ut non dubitares te salua diligentiae tuae ratione facturum, si nos post maximum officium priuatos esse non sineres. quid, quod eundem in annum consulatum *tuum et* nostrum contulisti? ergo non alia nos pagina quam *quae* te consulem accipiet, et nostra quoque nomina addentur fastis quibus ipse praescriberis: tu comitiis nostris praesidere, tu nobis sanctissimum illud carmen praeire dignatus es, tuo iudicio consules facti, tua uoce renuntiati sumus, ut idem honoribus nostris suffragator in curia, in campo declarator existeres. iam quod ei nos potissimum mensi attribuisti quem tuus natalis exornat, quam pulcrum nobis! quibus edicto, quibus spectaculo celebrare continget diem illum triplici gaudio laetum, qui principem abstulit pessimum, dedit optimum, meliorem optimo genuit. nos sub oculis tuis augustior solito currus accipiet, nos inter secunda omina et uota certantia, quae praesenti tibi conferentur, uehemur alacres et incerti ex utra parte maior auribus nostris accidat clamor.

XCIII. Super omnia tamen praedicandum uidetur quod pateris consules esse quos fecisti. quippe nullum periculum, nullus ex principe metus consulares

---

1 consulatus — 2 altero *om.* **B V** | accipimus *edd.* ‖ 2 consules **B V**: consul sed **C W** ‖ 7 altera *add. Liuineius: om.* **M** | praeuenit **W**: peruenit **B C V** ‖ 12 tuum et *addidi: om.* **M** consulatus tui consulatum nostrum *Onuphrius Panuinius fast. I p.* 7 ‖ 13 quae ς: *om.* **M** ‖ 14 perscriberis **M**, *corr. Catanaeus* ‖ 19 iam *Keilius:* nam **M** | ei nos *Schwarzius:* eos **M** ei **w** ‖ 25 omina ς: omnia **M**

animos debilitat et frangit, nihil inuitis audiendum, nihil coactis decernendum erit. manet manebitque honori ueneratio sua, nec securitatem auctoritate perdemus. ac si quid forte ex consulatus fastigio fuerit diminutum, nostra haec erit culpa, non saeculi. licet enim, quantum ad principem, licet tales consules agere quales ante principes erant. ullamne tibi pro beneficiis referre gratiam parem possumus? nisi tamen illam ut semper nos meminerimus consules fuisse et consules tuos, ea sentiamus, ea censeamus quae consularibus digna sunt, ita uersemur in re publica ut credamus esse rem publicam, non consilium nostrum, non operam subtrahamus nec defunctos nos et quasi dimissos consulatu, sed quasi astrictos et deuinctos putemus eundemque locum laboris et curae quem reuerentiae dignitatisque teneamus.'

XCIV. In fine orationis praesides custodesque imperii diuos ego consul pro rebus humanis ac te praecipue, Capitoline Iuppiter, precor ut beneficiis tuis faueas tantisque muneribus addas perpetuitatem. audisti quae malo principi precabamur, exaudi quae pro dissimillimo optamus. non te distringimus uotis. non enim pacem, non concordiam, non securitatem, non opes oramus, non honores: simplex cunctaque ista complexum omnium uotum est, salus principis. nec uero noua tibi iniungimus. tu enim iam tunc illum in tutelam recepisti, cum praedonis auidissimi faucibus eripuisti. neque enim sine auxilio tuo, cum altissima quaeque quaterentur, hic qui omnibus excelsior erat inconcussus stetit: praeteritus est a

9 tamen] tum C || 12 ut cred. esse rem p. *om.* W || 14 defunctos] disiunctos *edd.* deiunctos *Duebnerus* || 19 diuos] deos *edd.* | consul w: consules M || 22 principi *edd.*: principe M pro malo principe w || 26 unum omnium *Catanaeus* || 26 uotu C || 27 noua w: nouam M | iam *om.* C || 31 praeteritus ς: perterritus M

pessimo principe qui praeteriri ab optimo non poterat. tu clara iudicii tui signa misisti, cum proficiscenti ad exercitum tuo nomine, tuo honore cessisti. tu uoce imperatoris quid sentires locutus filium illi, nobis parentem, tibi pontificem maximum elegisti. quo maiore fiducia isdem illis uotis quae ipse pro se nuncupari iubet oro et obtestor, si bene rem publicam, si ex utilitate omnium regit, primum ut illum nepotibus nostris ac pronepotibus serues, deinde ut quandoque successorem ei tribuas quem genuerit, quem formauerit similemque fecerit adoptato, aut, si hoc fato negatur, in consilio sis eligenti monstresque aliquem quem adoptari in Capitolio deceat.

XCV. Uobis, patres conscripti, quantum debeam publicis etiam monimentis continetur. uos mihi in tribunatu quietis, in praetura modestiae, uos in istis officiis etiam quae ex studiis nostris circa tuendos socios iniunxeratis cum *fidei* tum constantiae antiquissimum testimonium perhibuistis. uos proxime destinationem consulatus mei his acclamationibus approbauistis ut intellegam etiam atque etiam enitendum mihi ut hunc consensum uestrum complectar et teneam et in dies augeam. etenim memini tunc uerissime iudicari, meruerit quis honorem necne, cum adeptus est. uos modo fauete huic proposito et credite, si cursu quodam prouectus ab illo insidiosissimo principe antequam profiteretur odium bonorum, postquam professus est, substiti; *si*, cum uiderem quae ad honores compendia paterent, longius iter malui; si malis temporibus inter maestos

---

1 praeteriri ς: perterri **C W** perterreri **B V** | poterat ς: poterit **M** potuit *edd.* ‖ 10 ut *om.* **B V** ‖ 12 sis eligenti *edd.*: si legenti **M** sibi legenti **w** ‖ 17 quae ex *scripsi:* quae et e **M** | officiis et studiis nostrisque circa **w** ‖ 18 cum fidei tum *Keilius:* cum tum **V W m** cum tu **B** tum cum **u** cum tamen **r** ‖ 23 tunc *om.* **C** ‖ 26 quodam ς: quondam **M** | ab] sub *Gierigius* ‖ 28 si *add. Heumannus: om.* **M** ‖ 30 malui **W**: maluit **B C V**

et pauentes, bonis inter securos gaudentesque numeror; si denique in tantum diligo optimum principem in quantum inuisus pessimo fui. ego reuerentiae uestrae sic semper inseruiam, non ut me consulem et mox consularem, sed ut candidatum consulatus putem.

II. CLAUDII MAMERTINI

PANEGYRICUS

MAXIMIANO AUGUSTO DICTUS.

I. Cum omnibus festis diebus, sacratissime imperator, debeat honos uester diuinis rebus aequari, tum praecipue celeberrimo isto et imperantibus uobis laetissimo die ueneratio numinis tui cum sollemni sacrae urbis religione iungenda est. uerum est enim profecto quod de origine illius ciuitatis accepimus, primam in ea sedem numinis uestri, sanctum illud uenerandumque palatium, regem aduenam condidisse, sed heroem hospitem constituisse. neque enim fabula est de licentia poetarum nec opinio de fama ueterum saeculorum, sed manifesta res et probata, sicut hodieque testatur Herculis ara maxima et Herculei sacri custos familia Pinaria, principem illum tui generis ac nominis Pallantea moenia adisse ui-

4 ut non **C** ‖ 11 debent *Bert.* ‖ 14 religione **W**: religioni **A C V** religionis **B** ‖ 16 in eo **W** ‖ 18 sed heroem hospitem constituisse *scripsi:* sed herculem hospite (hospitem **W** *Bert.*) condidisse (consedisse **w**) **A V W** *Bert.*, *om.* **B C** *Cusp.* ‖ 21 hodieque *Bert.* **B r w**: hodie quo **A** hodie quae **V u** hodie quoque *edd.* ‖ 23 adisse **A w**: addidisse **B C V**

ctorem et, parua tunc licet regia, summa tamen religione susceptum futurae maiestatis dedisse primordia, ut esse posset domus Caesarum quae Herculis fuisset hospitium. iure igitur hoc die quo immortalis ortus dominae gentium ciuitatis uestra pietate celebratur tibi potissimum, imperator inuicte, laudes canimus et gratias agimus, quem similitudo ipsa stirpis tuae ac uis tacita naturae ad honorandum natalem Romae diem tam liberalem facit ut urbem illam sic colas conditam, quasi ipse condideris. reuera enim, sacratissime imperator, merito quiuis te tuumque fratrem Romani imperii dixerit conditores: estis enim, quod est proximum, restitutores et, sit licet hic illi urbi natalis dies, quod pertinet ad originem populi Romani, uestri imperii primi dies sunt principes ad salutem.

II. Quare si nunc Romae omnes magistratus et pontifices et sacerdotes iuxta parentes urbis et statores deos Herculis templa uenerantur, quia partam aliquando ex uictoria praedam a flumine Hibero et conscio occidui solis oceano ad pabula Tyrrhena compulerit et in Palatino iugo uenturo tibi reliquerit uestigia: quanto tandem studio nos hic conuenit, qui te praesentem intuemur deum toto quidem orbe uictorem, sed nunc cum maxime in eadem occidentis plaga non pastorem trino capite deformem, sed prodigium multo taetrius opprimentem, quicquid spiritus et uocis habeamus, omne id in laudibus tuis non occupare modo, sed, si res poscat, absumere? unde igitur ordiar? commemorabo nimirum patriae tuae in rempublicam merita? quis enim dubitat quin multis iam saeculis, ex quo uires illius ad Romanum nomen accesserint, Italia quidem sit gentium domina gloriae uetustate, sed Pannonia uirtute? an diuinam

1 licet tunc **C** ‖ 8 tacite **W** ‖ 14 pertinet *Bert.*: pertineat **B C V W** pertinent **A**; *Gruterus induci maluit* ‖ 21 thyrrena **A W** thirena **B V** tyrrena **C** ‖ 28 habemus *edd.* | omne id tu in **W** ‖ 30 commemorabor **A** ‖ 32 ad *om.* **W**

generis tui originem recensebo, quam tu non modo factis immortalibus, sed etiam nominis successione testaris? an quemadmodum educatus institutusque sis praedicabo in illo limite, illa fortissimarum sede legionum, inter discursus strenuae iuuentutis et armorum sonitus tuis uagitibus obstrepentes? finguntur haec de Ioue, sed de te uera sunt, imperator. an tuas res gestas enumerare conabor, quae te prima signa imperatoriis auspiciis inaugurarint, quae castra dominum habitura susceperint, quae bella deduxerint, quae uictoriae auxerint? ibo scilicet uirtutis tuae uestigiis colligendis per totum Histri limitem perque omnem qua tendit Eufratem et ripas peragrabo Rheni et litus oceani? sed qui uelit omnia ista complecti, saecula sibi optare debet et innumerabiles annos et quantam tu mereris aetatem.

III. Faciam igitur compendio orationis meae, sed damno uoluntatis, quod huic tempori maxime congruit: omittam cetera et potissimum illud arripiam quod multis fortasse mirum uidebitur et tamen re ipsa uerissimum est: te, cum ad restituendam rem publicam a cognato tibi Diocletiani numine fueris inuocatus, plus tribuisse beneficii quam acceperis. neque enim specie tenus ac nomine fortuna imperii consideranda est. trabeae uestrae triumphales et fasces consulares et sellae curules et haec obsequiorum stipatio et fulgor et illa lux diuinum uerticem claro orbe complectens uestrorum sunt ornamenta meritorum pulcherrima quidem et augustissima, sed longe illa maiora sunt quae tu impartito tibi imperio uice gratiae retulisti: admittere in animum tantae rei

---

4 illa **A W** *Bert.*: in illa **B C V** ‖ 8 enumerabo **A** ‖ 9 imperatoriis **A B C**: imperatoris **V W** | inauguriarint **M**, *corr.* **w** | quae te castra **C** ‖ 10 habitatura **W** | diduxerint **A** *Bert.* ‖ 12 uir. tuae uest. coll. **A V W**: uir. tuae coll. uest **B** uest. uir. tuae coll. **C** ‖ 13 omne **A C** | eufraten **A V r** ‖ 15 ista *om.* **B** *Bert.* ‖ 17 compendio quidem *Cusp. edd.* ‖ 18 quid **B C** ‖ 19 ut pot. **W** ‖ 20 re *om.* **A** ‖ 24 septie tenus ac tromine *uel* tormine **C** ‖ 27 fulgur **w** ‖ 30 uice gratia **W** uice grata **ς**

publicae curam et totius orbis fata suscipere et oblitum quodammodo sui gentibus uiuere et in tam arduo humanarum rerum stare fastigio, ex quo ueluti terras omnes et maria despicias uicissimque oculis ac mente collustres ubi sit certa serenitas, ubi dubia tempestas, qui iustitiam uestram iudices aemulentur, qui uirtutis uestrae gloriam duces seruent, accipere innumerabiles undique nuntios, totidem mandata dimittere, de tot urbibus et nationibus et prouinciis cogitare, noctes omnes diesque perpeti sollicitudine pro omnium salute transigere.

IV. Haec omnia cum a fratre optimo oblata susceperis, tu fecisti fortiter, ille sapienter. neque enim cum reipublicae nauem secundus a puppi flatus impelleret, salutarem manum gubernaculis addidisti, sed cum ad restituendam eam post priorum temporum labem diuinum modo ac ne id quidem unicum sufficeret auxilium, praecipitanti Romano nomini iuxta principem subisti; eadem scilicet auxilii oportunitate qua tuus Hercules Iouem uestrum quondam terrigenarum bello laborantem magna uictoriae parte iuuit probauitque se non magis a dis accepisse caelum quam eisdem reddidisse. an non illud malum simile monstrorum biformium in hisce terris fuit quod tua, Caesar, nescio utrum magis fortitudine repressum sit an clementia mitigatum, cum militares habitus ignari agricolae appetiuerunt, cum arator peditem, cum pastor equitem, cum hostem barbarum suorum cultorum rusticus uastator imitatus est? quod ego cursim praetereo: uideo enim te, qua pietate es, obliuionem illius uictoriae malle quam gloriam.

V. Quid uero? statim, uixdum misero illo furore sopito, cum omnes barbariae nationes excidium uni-

---

2 in tam] uitam **C** ‖ 20 Herculis **A** ‖ 22 se **A W** *Cusp.*: *om.* **B C V** ‖ 23 eidem **C** | reddidisti **A** ‖ 24 hiisce **M** ‖ 26 sit repressum **W** | militaris es hab. **A** ‖ 29 uastatorem *de Rooy spic. crit. p.* 489 ‖ 30 cursum **B C** ‖ 33 quid ς: quod **M** ‖ 34 barbariae **A**: barbarae **B C V** barbar≡e **W**

uersae Galliae minarentur neque solum Burgundiones et Alamanni, sed etiam Chaibones Erulique, uiribus primi barbarorum, locis ultimi, praecipiti impetu in has prouincias irruissent, quis deus tam insperatam salutem nobis attulisset, nisi tu affuisses? tu enim diuinae prouidentiae, imperator, consilio prius quam ui bellum gerendum ratus ceteros quidem perduelles, quibus ipsa multitudo pestifera erat, ire passus es in profundam famem et ex fame *in* pestilentiam, mox *ad* triumphi ornamenta capienda militum manibus usurus, Chaibonas tamen Erulosque non dignatus pari astu perdere atque ut interim diuina uirtus tua exercitatione solita non careret aperto Marte atque uno impetu perculisti, non uniuerso ad id proelium usus exercitu, sed paucis cohortibus. quid enim opus erat multitudine, cum ipse pugnares, ipse omnibus locis totaque acie dimicares? ipse hosti undique, et qua resisteret et qua cederet et qua fugeret occasum, occurreres erroremque aduersariis pariter ac tuis faceres? cum te neque barbari unum putarent neque milites, non dico stipatione atque comitatu, sed saltim oculis sequi possent? toto quippe proelio ferebare, non aliter quam magnus amnis solet hibernis imbribus auctus et niuibus passim fluere qua campus est. ita cuncti Chaibones Erulique cuncti tanta internecione caesi interfectique sunt ut extinctos eos relictis domi coniugibus ac matribus non profugus aliquis e proelio, sed uictoriae tuae gloria nuntiaret.

VI. Transeo innumerabiles tuas tota Gallia pugnas

---

7 ui] in C | ger. curasti cet. w || 8 quibus parebat ipsa w | pestifera multitudo B C V | pestifera erat ire *Liuineius:* pestiferat ire W *Bert.* pestifera tire A tu *uel* tue C trte V *om.* B || 9 fame pestil. M *corr. Cusp.* || mox ad w: mox M || 12 atque *deleuerim* || 17 ipse *Liuineius:* ipsi M || 18 occasum *H. Ruehlius l. l. p. 11:* oceanum *Bert. om.* M *Cusp.* || 20 te neque r: neque te M || 21 non dico — 22 possent *om.* A || 22 toto] tanto C || 26 internitione M || 28 a praelio W | gloriam A || 30 tua M | Gallia *edd.:* gloria M

atque uictorias. quae enim tot tantisque rebus sufficiat oratio? illum tamen primum consulatus tui auspicalem diem tacitus praeterire nullo modo possum, quo tu solus omnium consecutus es ut, quod tempus antea incipiendis tantummodo rebus aptum uidebatur, tunc primum potuerit sufficere peragendis unoque sol curriculo suo eoque breuissimo et officia te consulis inchoantem uideret et opera imperatoris implentem. uidimus te, Caesar, eodem die pro re publica et uota suscipere et soluta reddere. quod enim optaueras in futurum, fecisti continuo transactum, ut mihi ipsa deorum auxilia quae precatus eras praeuenisse uidearis et, quicquid illi promiserant, ante fecisse. uidimus te, Caesar, eodem die et in clarissimo pacis habitu et in pulcherrimo uirtutis ornatu. bona uenia deum dixerim, ne Iuppiter quidem ipse tanta celeritate faciem caeli sui uariat quam facile tu, imperator, togam praetextam sumpto thorace mutasti, hastam posito scipione rapuisti, a tribunali temet in campum, a curuli in equum transtulisti et rursus ex acie cum triumpho redisti totamque hanc urbem repentina tua in hostes eruptione sollicitam laetitia et exultatione et auris fragrantibus et sacrificis odoribus accensis numini tuo implesti. ita utroque illius diei supremo tempore bis diuina res pari religione celebrata est, Ioui, dum pro futuris uouetur, tibi, dum pro uictoria soluitur.

VII. Tale igitur auspicium illius anni quid sequebatur nisi nouum aliquod et ingens miraculum? quod autem maius euenire potuit illa tua in Germaniam transgressione? qua tu primus omnium imperatorum probasti Romani imperii nullum esse

2 primi ς ‖ 8 opera *Liuineius:* ora **M** ‖ 10 soluta reddere *scripsi:* coniuncta debere **M** conuicta delere *Schwarzius* ‖ 12 mihi] in **W** ‖ 18 uenia **C w**: ueniam **M** | tu iuppiter tog. **C** ‖ 23 auris **A W** *Bert.:* aras **B C V** aris ς | flagrantibus **M**, *correxi* ‖ 24 sacrificiis **M**, *corr. Liuin.* | odor. acc. **B V** *Bert.:* et odor. acc. **C** odor. et acc. **A W** odor. et acc. num t. luminibus *Cusp.* ‖ 25 diei **w**: die **M** ‖ 30 magis **W** ‖ 31 imperator **M**

terminum nisi qui tuorum esset armorum. atqui Rhenum antea uidebatur ipsa sic natura duxisse ut eo limite Romanae prouinciae ab immanitate barbariae uindicarentur. et quis umquam ante uos princeps non gratulatus est Gallias illo amne muniri? quando non cum summo metu nostro Rheni alueum minuit diu serena tempestas? quando non cum securitate nostra illius diluuia creuerunt? credo, itidem opimam illam fertilemque Syriam uelut amplexu suo tegebat Eufrates, antequam Diocletiano sponte se dederent regna Persarum. uerum hoc Iouis sui more nutu illo patrio, quo omnia contremescunt, et maiestate uestri nominis consecutus est: tu autem, imperator inuicte, feras illas indomitasque gentes uastatione, proeliis, caedibus, ferro ignique domuisti. herculei generis hoc fatum est uirtuti suae debere quod uindicat. exinde igitur soluto animo ac libero sumus. licet Rhenus arescat tenuique lapsu uix leues calculos perspicuo uado pellat, nullus inde metus est: quicquid ultra Rhenum prospicio, Romanum est.

VIII. Sic illa quondam Romanae potentiae diu aemula et inimica Carthago a P. Scipione deuicta est, cum is traiecto in Africam exercitu Hannibalem ab Italiae uastatione reuocauit. audieras hoc, imperator? an ipse per te diuina tua mente perspexeras ita demum hostes funditus posse subuerti, si in propriis sedibus uincerentur nec praedam modo quam cepissent amitterent, sed ipsi coniuges et liberos et parentes suos et carissima omnia capta maererent? hoc tu siue cognitum secutus es seu te

---

1 armorum **w**: arborum **M** || 2 uideatur **M** || 4 ecquis **C** || 5 princeps *scripsi:* principes **M** | illo **w**: illorum **M** || 6 Rheni alueum *om.* **W** || 9 itid.] identidem *Bert.* | opimam *Liuineius:* optimam **M** || 14 inuictus **C** || 15 igneque **w**: || 16 factum **M** | suae *scripsi:* tuae **M** *Bert.* || 17 uindicas **M** *Bert.* || 20 perspicio **W** || 24 is *om.* **W** | 26 ipsa **M** | perspexeras **A V W** *Bert.;* prospexeras **B C** || 29 ac lib. **C** | liberos suos **A W**

auctore fecisti, utrumque pulcherrimum est. neque enim minorem laudem magnarum rerum aemuli quam ipsi merentur auctores. quin immo, quamuis optimum, intemptatae rei consilium fortunae committitur; iteratum uero idem atque repetitum ad certi iudicii gloriam pertinet. ideoque hoc nunc ambo, sacratissime imperator, ipso estis Scipione potiores quod et tu Africanum et te Diocletianus imitatus est.

IX. Ingressus est nuper ille eam quae Raetiae est obiecta Germaniam similique uirtute Romanum limitem uictoria protulit: adeo numini illius simpliciter amanterque, quicquid pro hisce terris feceras, retulisti, cum ex diuersa orbis parte coeuntes inuictas dexteras contulistis; adeo fidum illud fuit fraternumque eloquium. in quo uobis mutua praebuistis omnium exempla uirtutum atque inuicem uos, quod fieri iam posse non uidebatur, auxistis, ille tibi ostendendo dona Persica, tu illi spolia Germanica. sed neque illum uirtutes tuae bellicae *a* liberalitate *neque te* illius opes a bellica uirtute reuocarunt: ambo nunc estis largissimi, ambo fortissimi atque hac ipsa uestri similitudine magis magisque concordes et, quod omni consanguinitate certius est, uirtutibus fratres. sic fit ut uobis tantum imperium sine ulla aemulatione commune sit neque ullum inter uos discrimen esse patiamini, sed plane ut gemini illi reges Lacedaemonis Heraclidae rempublicam pari sorte teneatis. quamquam hoc uos meliores

1 utrimque W || 4 intemptae A *Bert.*, intente *cett.* || 6 certi *scripsi:* certam M | certam rei iud. C || 7 ambo sac. imp. A W *Bert.:* sacri ambo imperatores B C V; *illud* sacratissime *bis cap. I plene scriptum abhinc fere abbreviatur* sac. *in* M || 9 ille eam *scripsi:* illam M || 10 germania C | ultra romanum w || 11 uictoriam A V W || 12 hisce terris *Liuineius:* his (*uel* hiis) ceteris M || 14 fid. fraternumque fuit illud B C V | fraternum W || 15 eloquium] obsequium W colloquium ς | nobis C || 19 a *add.* w: *om.* M || 20 neque te *scripsi:* *om.* M neque *edd.*, *quae* te *post* uirtute *addunt.* nec illius opes te w || 21 atque] ab C || 22 uestra w || 27 Lacedaemones M, *corr.* *Liuineius*

et iustiores quod illos mater astu coegit, cum nemini fateretur quem prius edidisset in lucem, pari aetatis auctoritate regnare: uos hoc sponte facitis, quos in summis rebus aequauit non uultuum similitudo, sed morum.

X. Attamen illos, si discrimen sui scire potuissent, minus mirum fuisset exiguam sibi communicasse regionem, quam saepe uno die impiger uiator emensus est. uos uero, qui imperium non terrae, sed caeli regionibus terminatis, tantam uim, tantam potestatem mutuo uobis impartire diuinae profecto immortalisque fiduciae est, quam cupiditas nulla perturbet. et tamen uides, imperator, non inuenire me ex omni antiquitate quod comparem uobis, nisi Herculeae gentis exemplum. nam ille quidem magnus Alexander iam mihi humilis uidetur Indo regi sua regna reddendo, cum tam multi reges, imperator, uestri clientes sint, cum per te regnum receperit Gennoboudes a teque cominus acceperit. quid enim ille aliud expetiuit ad conspectum *tuum* cum omni sua gente ueniendo, nisi ut tunc demum integra auctoritate regnaret, cum te, Maximiane, placasset? ostendit ille te identidem, ut audio, popularibus suis et intueri diu iussit et obsequia discere, cum tibi ipse seruiret. hoc eodem modo rex ille Persarum, numquam se ante dignatus hominem confiteri, fratri tuo supplicat totumque, si ingredi ille dignetur, regnum suum pandit. offert interim uaria miracula, eximiae pulcritudinis feras mittit, amicitiae nomen impetrare *non* contentus promeretur obsequio.

XI. Uestra hoc concordia facit, inuictissimi principes, ut uobis tanta aequalitate successuum etiam

6 etiamsi *Cusp.* ‖ 17 imperatores uestri **M**, *correxi* ‖ 18 recep.] suscep. *Bert.* ‖ 19 Gennoboudes a teque cominus *scripsi:* gennoboud esateh (gennobou desateh **A W** exatheth **B**) uero munus **M**. Gennobonde Sathi *Bert.* Gennoboudes atque (et a te *Buechelerus*) comminus *H. Ruehlius l. l. p. 17* ‖ 20 conspectum tuum **w**: conspectum **M** ‖ 27 si] sibi **A** se **C** ‖ 30 non *addidi* ‖ 32 in tanta *Cusp.* | successuum **w**: successum **M**

fortuna respondeat. rempublicam enim una mente regitis; neque uobis tanta locorum diuersitas obest quominus illam ueluti iunctis dexteris gubernetis. ita, quamuis maiestatem regiam geminato numine augeatis, utilitatem imperii singularis consentiendo retinetis. quare, si non frustra Graeci poetae hominibus iustitiam colentibus repromittunt binos gregum fetus et duplices arborum fructus, nunc omnia gentibus uniuersis gemina debentur, quarum uos domini tam sancte iustitiam et concordiam colitis. tu quidem certe, imperator, tantum esse in concordia bonum statuis ut etiam eos qui circa te potissimo funguntur officio necessitudine tibi et affinitate deuinxeris, id pulcherrimum arbitratus adhaerere lateri tuo non timoris obsequia, sed uota pietatis. quorum ductu proxime, cum felicissimis uestris auspiciis uterentur, lubrica illa fallaxque gens barbarorum ut merebatur affecta est. uestra haec, imperator, uestra laus est. a uobis proficiscitur etiam quod per alios administratur. ut enim omnia commoda caelo terraque parta, licet diuersorum numinum ope nobis prouenire uideantur, a summis tamen auctoribus manant, Ioue rectore caeli et Hercule pacatore terrarum: sic omnibus pulcherrimis rebus, etiam quae aliorum ductu geruntur, Diocletianus facem, tu tribuis effectum. uestrae, inquam, fortunae, uestrae felicitatis est, imperator, quod iam milites uestri ad oceanum peruenere uictoria, iam caesorum in illo litore hostium sanguinem reciproci fluctus sorbuerunt.

XII. Quid nunc animi habet ille pirata, cum fretum illud quo solo mortem suam hucusque remora-

---

3 illam *scripsi:* etiam **M** | ueluti iunctis *Liuineius:* uelut inuictis **M** ‖ 5 unitatem *Rittershusius* ‖ 7 binos **A W**: bonos **B C V** ‖ 19 nobis **W** | et quod **C** ‖ 20 commodo **A C V** ‖ 21 luce diu. **C** ‖ 22 opere *Bert.* ‖ 26 facem *scripsi mus. Rhen. XXVII p. 215:* facit **M** causam *Eldikius* actum *Eyssenhardtus* ‖ 28 uictores **w** ‖ 29 sanguine **A B C**

tus est paene exercitus uestros uideat ingressos oblitosque nauium refugum mare secutos esse, qua cederet? quam nunc insulam remotiorem, quem alium sibi optet oceanum? quo denique pacto effugere poenas reipublicae potest, nisi si haustu terrae deuoretur aut turbine aliquo in deuia saxa rapiatur. aedificatae sunt ornataeque pulcherrimae classes cunctis simul amnibus oceanum petiturae. neque solum ad perficiendas eas certatim homines laborarunt, sed etiam ad excipiendas flumina repente creuerunt. toto fere anno, imperator, quo tibi opus erat serenitate ut naualia texerentur, ut trabes caederentur, ut artificum animi uigerent, ut manus ne torpescerent, nullus fere dies imbre foedatus est. hiems ipsa temperiem ueris imitata est. iam non septentrioni nos putauimus subiacere, sed quasi translatis sideribus aut terris meridiani caeli clementiam sensimus. fluuius hic noster diu pluuiarum pabulo carens impatiens erat nauium, solam naualibus tuis materiam deuehebat. ecce autem subito, cum iam deduci liburnas oporteret, tibi uberes fontes terra submisit, tibi largos imbres Iuppiter fudit, tibi totis fluminum alueis oceanus redundauit. ita in aquas sponte subeuntes impetum nauigia fecerunt leui modo commota nisu ducentium, quorum ad felicissimum illud exordium magis opus erat nautico carmine quam labore. facile itaque quiuis intellegit, imperator, quam prosperi te successus in re maritima secuturi sint, cui iam sic tempestatum oportunitas obsequatur.

XIII. Felix igitur talibus, Roma, principibus (fas est enim ut hoc dicendi munus pium unde coepimus terminemus), felix, inquam, et multo nunc

---

1 uestros exercitus **B C V** ‖ 9 ad percipiendas **M** (precipiendas **B**) ‖ 13 artificium **A** ‖ 14 torpesceret **W** ‖ 18 sentimus **M** | caeli sent. clementiam **w** ‖ 22 fudit **B C V w**: fundit **A** ‖ 25 leni ς | nixu **B C V** ‖ 27 quiuis **W**: queuis **m** uis **V** u uix **B** ius **A r** ‖ 29 cui **A W**: cum **B C V** ‖ 33 nunc multo **B V m r**

felicior quam sub Remo et Romulo tuis. illi enim, quamuis fratres geminique essent, certauerunt tamen uter suum tibi nomen imponeret diuersosque montes et auspicia ceperunt: hi uero conseruatores tui (sit licet nunc tuum tanto maius imperium quanto latius est uetere pomerio, quicquid homines colunt) nullo circa te liuore contendunt. hi, cum primum ad te redeant triumphantes, uno cupiunt inuehi curru, simul adire Capitolium, simul habitare Palatium. utere, quaeso, tuorum principum utroque cognomine, cum non cogaris eligere. licet nunc simul et Herculia dicaris et Iouia. o quanto nunc, imperator, illa ciuitas esset augustior, quanto magis hunc natalem suum diem coleret, si uos stipatos uestro senatu in illa Capitolini Iouis arce conspiceret! quae nunc sine dubio praesentiam uestri sibi fingit, aedes uestrorum numinum frequentando et identidem, sicut a maioribus institutum est, inuocando statorem Iouem Herculemque uictorem. hoc enim quondam illi deo cognomen ascripsit is qui, cum piratas oneraria naue uicisset, ab ipso audiuit Hercule per quietem illius ope uictoriam contigisse: adeo, sacratissime imperator, multis iam saeculis inter officia est numinis tui superare piratas.

XIV. Sed profecto mature ille illucescet dies, cum uos uideat Roma uictores et alacrem sub dextera filium, quem ad honestissimas artes omnibus ingenii bonis ornatum felix aliquis praeceptor expectat, cui nullo labore constabit diuinam immortalemque progeniem ad studium laudis hortari. non necesse erit Camillos et Maximos et Curios et Catones proponere ad imitandum; quin potius uestra

2 fratres quamuis **C** ‖ 6 latior **C** ‖ 8 redeant ad te **C** ‖ 13 Imp. **A W**: imperatores **B C V** ‖ 14 stipatos **C w**: stipato **M** ‖ 18 identidem u *Bert.*: ident **A B** (*in fine lineae*) r **V** idem m ibidem **w** ‖ 20 ascripsit is *Puteanus:* ascripsistis **M** asscripsisti *Bert.* ‖ 23 sac. **C V W**: sac̃ **B** cat **A** ‖ 24 numinis tui est **C** ‖ 25 illucescat *Bert.* ‖ 28 ornatum *scripsi:* natum **M** ‖ 31 camelos **A B**

illi facta demonstret, uos identidem et semper ostendat praesentes et optimos imperatoriae institutionis auctores. interim tamen te, gentium domina, quoniam hunc optatissimum principem in Galliis suis retinet ratio reipublicae, quaesumus, si fieri potest, ne huic inuideas ciuitati, cui nunc ille similitudinem maiestatis tuae confert natalem tuum diem celebrando in ea, consuetudinem magnificentiae tibi debitae. teque ipsum, imperator, oramus ut etiam, cum uos totius orbis securitate composita illa imperii uestri mater acceperit, amplexus eius artissimos interdum piis manibus resoluatis; tuque potissimum (credo enim hoc idem Diocletianum oriens rogat) has prouincias tuas frequenter illustres et profundissima licet pace florentes aduentu numinis tui reddas feliciores. uides, imperator, quanta uis sit tuorum in nos caelestium beneficiorum: adhuc praesentia tua fruimur et iam reditum desideramus.

III. CLAUDII MAMERTINI
PANEGYRICUS GENETHLIACUS
MAXIMIANO AUGUSTO DICTUS.

I. Omnes quidem homines, sacratissime imperator, qui maiestati uestrae laudes canunt et gratias agunt, debitum uobis conantur exsoluere (quis enim est qui possit implere?), sentio tamen a me praecipue hoc piae uocis officium iure quodam sacrosancti fenoris

1 illa **C** | demonstrent *et* ostendant **W** ‖ 4 galliis **r u w**: gallis **M** ‖ 8 consuetudine **M**, *correxi* ‖ 18 et iam *Bert.*: etiam **A W** et **B C V** ‖ 22 sac. **A W**: sacer **B C V** ‖ 25 posset **M** | a me hoc praec. hoc **M**, *corr.* **w** hoc praec. tempore hoc *Cusp.*

postulari, ut expectationem sermonis eius quem tuis quinquennalibus praeparaueram hac gemini natalis praedicatione compensem et dicendi munus quod tunc uoti promissione susceperam nunc religione debiti repraesentem. uoueram autem, sacratissime imperator, longe infra spem honoris eius quem in me contulistis (unde enim uel tantam fiduciam mei gererem uel tam improbe concupiscerem ut optare mihi quantum iudicio uestro sum consecutus auderem?), uoueram, inquam, potissimum ut me dignatione qua pridem audieras rursus audires: siquidem aput tanti praesentiam numinis hoc ipsum mihi maximum dicendi praemium uidebatur ut dicerem. gaudeo igitur, si fas est confiteri, dilatam esse illam cupiditatem meam. neque enim orationis eius quam composueram facio iacturam; sed eam reseruo ut quinquennio rursus exacto decennalibus tuis dicam, quoniam quidem lustris omnibus praedicandis communis oratio est.

II. Et profecto, si non sensus meos dicatorum uobis dierum proxima quaeque ueneratio sui maiestate praestrinxit, hic mihi dies uidetur illustrior magisque celebrandus qui te primus protulit in lucem. etenim ipsi illi dies quibus imperii auspicia sumpsistis ob hoc sancti sunt ac religiosi quod tales declarauerint imperatores: at certe uirtutes eas quibus ipsum ornatis imperium gemini uestri procreauere natales. quos quidem, sacratissime imperator, quotiens annis uoluentibus reuertuntur, uestri pariter ac uestrorum numinum reuerentia colimus: siquidem uos dis esse genitos et nominibus quidem uestris,

4 tunc *om.* **W** ‖ 5 uoueram ς: noueram **M** | sac. **M** ‖ 10 uoueram ς: noueram **M** ‖ 13 dicenti **M** *Bert.* ‖ 17 rursus] tuo **C** ‖ 22 praestrinxit *Liuineius:* perstrinxit *Bert.* perstringit **M** | dies *om.* **W** ‖ 24 ipsi illi **A W**: illi ipsi **B C V** ‖ 25 ac religiosi *om.* **C** ‖ 26 at *Acidalius:* et **M** | uirtutes eas *Bert.:* uirtus eas **A** uirtus eos **B C V** uirtutes **w** ‖ 27 genium **C** ‖ 28 sac. **M** ‖ 29 uolentibus **A** ‖ 31 nominibus ς: numinibus **M**

sed multo magis uirtutibus approbatis, quarum infatigabiles motus et impetus ipsa uis diuinitatis exercet, quae uos tantis discursibus toto quem regitis orbe deducit ut nos semper anxios uestri caritate nuper ad libertatem piae conquestionis impulerit, cum itinera uestra ipsis hiberni solstitii diebus per uicina illa caelo Alpium iuga, quibus Italiam natura uallauit, perque illa saxa et duriorem saxis niuium densitatem desiderio uestri et amore sequeremur et, *ut* uirtus uestra non sentiret, pati uos putaremus iniuriam.

III. Reddidimus tamen rationem sollicitudini nostrae et inspecta penitus ueritate cognouimus quae causa faciat ut nunquam otio acquiescere uelitis. profecto enim non patitur hoc caelestis ille uestri generis conditor. nam primum omnium, quicquid immortale est, stare nescit, sempiternoque motu se seruat aeternitas. deinde praecipue uestri illi parentes, qui uobis et nomina et imperia tribuerunt, perpetuis maximorum operum actionibus occupantur. ille siquidem Diocletiani auctor deus post depulsos quondam caeli possessione Titanas et mox biformium bella monstrorum perpeti cura quamuis compositum gubernat imperium atque hanc tantam molem infatigabili manu uoluit omniumque rerum ordines ac uices peruigil seruat. neque enim tunc tantummodo commouetur, cum tonitrua incutit et fulmina iacit, sed etiam, si tumultuantia elementorum officia pacauit, nihilominus tamen et fata disponit et ipsas quae tacitae labuntur auras placido sinu fundit et

---

2 ipsa *om.* **C** ‖ 4 anxios ς *Liuineius:* auxilii **M** ‖ 5 impulerit **w**: impleuerit **M** ‖ 6 hiberni solstitii *Liuineius:* hibernis hostilis **M** *Bert.* ‖ 10 ut uirtus *scripsi:* uirtus **M** etsi *add. Rhenanus*, licet *Acidalius* | sentit **M** | nos **W** ‖ 12 reddidimus ς: reddimus **M** ‖ 13 uestrae **M**, *corr. Bongarsius* ‖ 16 conditor uel parens **A** | primum *edd.:* plum **M** diuinorum **w** ‖ 18 uersat *Acidalius* ‖ 21 post *Eyssenhardtus:* praeter **M** ‖ 22 biformia **W** ‖ 25 ac] et **W** ‖ 29 et fata disponit **A W**: *om.* **B C V**; *in Bert.* **et fata disposuit** *l.* 25 *post* manu uoluit *extant*

in aduersa nitentem impetu caeli rapit solem. itidemque, Maximiane, Herculis *tui uir*tus. mitto quod, dum inter homines erat, terras omnes et nemora pacauit, urbes dominis crudelibus liberauit, etiam caelo dirarum alitum uolucra tela detraxit, etiam terrores inferum abducto custode compescuit: exinde certe nihilominus post adoptionem caelitum Iuuentaeque conubium perpetuus est uirtutis assertor omnibusque fortium uirorum laboribus fauet *et* in omni certamine conatus adiuuat iustiores. his quidem certe diebus, quibus immortalitatis origo celebratur, instigat, ut uidemus, illos sacris certaminibus accitos ut pertinaci animositate certandi multa faciant ipsius similia Uictoris. adeo, sacratissime imperator, utraque uestra numina semper aliquid agunt agendumue curant, ut iam nobis illa quam pro uobis susceperamus cura ponenda sit, cum non laborare uos, sed parentes deos uideamus imitari cumque praeterea ingenitum illum uobis diuinae mentis ardorem etiam earum quae primae uos suscepere regionum alacritas excitarit. non enim in otiosa aliqua deliciisque corrupta parte terrarum nati institutique estis, sed in his prouinciis quas ad infatigabilem consuetudinem laboris atque patientiae fracto licet oppositus hosti, sed armis tamen semper instructus miles exercet, in quibus omnis uita militia est, quarum etiam feminae ceterarum gentium uiris fortiores sunt.

IV. Ex istis ergo causis stirpis uestrae patriorumque institutorum illa eueniunt quae saepe miramur, interdum etiam pro amoris impatientia time-

---

1 impetu **w**: impetum **M** || 2 Herculis tui uirtus *scripsi:* herculistus **M** hercules tuus autor qui cum inter hom. **w** || 3 nemora] aequora *Arntzen.* || 5 etiam] et **w** || 9 et *om.* **M**, *add. Liuin.* || 12 illos a sacris **M**, *corr. Acidalius* || 14 ad eos. at imperator **A W** sac. **B C V** || 15 agendumque **W** || 25 fractus **w** | hosti **s**; *scripsi:* hostis **M** hosti *edd.* | tamen] tu **C** || 26 miles *edd.:* limes **M** *Bert.* || 30 illa euen. **w**: ille uen. **M**

bamus, quod expeditiones uestras numerare non possumus, quod diutius in isdem manere uestigiis dedignamini, quod uos a continuo cursu rerum gerendarum non modo amoenitas locorum aut nobilitas urbium, sed ne ipsa quidem uictoriarum uestrarum laetitia remoratur. illum modo Syria uiderat: iam Pannonia susceperat. tu modo Galliae oppida illustraueras: iam summas arces Monoeci Herculis praeteribas. ambo, cum ad orientem occidentemque occupari putaremini, repente in medio Italiae gremio apparuistis. hos fructus capitis operum maximorum, sic interim meritorum conscientia triumphatis, dum triumphos ipsos semper uincendo differtis, quod, quaecunque pulcherrima facitis, continuo transitis et ad maiora properatis, ut, dum uestigia uestra miramur dumque uos adhuc esse in conspectu putamus, iam de uobis audiamus longinqua miracula. ita omnes prouinciae uestrae, quas diuina celeritate peragrastis, ubi sitis uicissim nesciunt; sciunt tamen uos ubique uicisse.

V. Sed de rebus bellicis uictoriisque uestris, sacratissime imperator, et multi summa eloquentia praediti saepe dixerunt et ego pridem, cum mihi auditionis tuae diuina dignatio eam copiam tribuit, quantum potui, praedicaui. hodie uero si de duabus rebus, quas ad hoc tempus aptissimas nisi fallor elegi, dicere mihi fauente uestra maiestate contigerit, de ceteris ueniam silentii petam. non commemoro igitur uirtute uestra rempublicam dominatu saeuissimo liberatam, non dico exacerbatas saeculi prioris iniuriis per clementiam uestram ad obsequium redisse prouincias, mitto etiam dies festos uictoriis triumphisque celebratos, taceo trophaea Germanica in media defixa barbaria, transeo limitem Raetiae

2 idem A ‖ 3 nobis W | rerum cursu B C V ‖ 8 moneci A B V: moneti C W ‖ 18 quas B C V w: quam A ‖ 21 uictoriisq. B C V w: uictoribusq. A ‖ 22 sac. M | et *om.* B C ‖ 27 uestra fauente C | contigerit w: conterit M ‖ 33 triumphis celebr. C

repentina hostium clade promotum, omitto Sarmatiae uastationem oppressumque captiuitatis uinculis Saracenum, etiam illa quae armorum uestrorum terrore facta sunt uelut armis gesta praetereo, Francos ad petendum pacem cum rege uenientes Parthumque uobis munerum miraculis blandientem: nouam mihi propono dicendi legem ut, cum omnia uidear silere quae summa sint, ostendam tamen inesse laudibus uestris alia maiora.

VI. Quae igitur illa sunt? pietas uestra, sacratissime imperator, atque felicitas. nam primum omnium, quanta uestra est erga deos pietas? quos aris simulacris, templis donariis, uestris denique nominibus ascriptis, adiunctis imaginibus ornastis sanctioresque fecistis exemplo uestrae uenerationis. nunc enim uere homines intellegunt * * ac potestas deorum, cum tam impense colantur a uobis. deinde, id quod maxime deorum immortalium cum religione coniunctum est, quanta uosmet inuicem pietate colitis! quae enim umquam uidere saecula talem in summa potestate concordiam? qui germani geminiue fratres indiuiso patrimonio tam aequabiliter utuntur quam uos orbe Romano? ex quo profecto manifestum est ceterorum hominum animas esse humiles et caducas, uestras uero caelestes et sempiternas. obtrectant inuicem sibi artifices operum sordidorum, est inter auloedos etiam canorae uocis inuidia, nihil denique tam uile tamque uulgare est cuius participes malignis aemulationis stimulis uacent: uester uero immortalis animus omnibus opibus omnique

---

3 sarrac. **W** ‖ 5 petendum *Bert.:* petendam **M** ‖ 10 sac. **M** ‖ 12 quanta uestra est **A W** *Bert.:* quanta uestra **B C V** quanta est uestra *edd.* | quo **A** ‖ 16 quaenam magnitudo ac pot. *Rhenanus* quanta pot. *Eldikius et ego olim l. l. 216* quanta sit pot. *H. Ruehlius l. l. p. 8* ‖ 17 cur **w** | deinde] denique *Bert.* ‖ 20 quae enim umquam *Ruehl.:* quae nimiūquam (quae *Bert.*) **A** *Bert., sed in hoc expunctis* ulla unquam. quae unquam **B w** quae ulla unquam **C V** ‖ 21 geminique **W** ‖ 26 sibi inuicem **C** ‖ 27 auloedos *scripsi:* aliquos **M** alios *Eyssenhardtus* ‖ 28 tam uulg. **W** ‖ 29 stimulationis **A**

fortuna atque ipso est maior imperio. uobis Rhenus et Hister et Nilus et cum gemino Tigris Eufrate et uterque qua diem accipit et reddit oceanus et, quicquid est inter ista terrarum et fluminum et litorum, tam facili sunt aequanimitate communia quam sibi gaudent esse communem oculi diem. ita duplices uobis diuinae potentiae fructus pietas uestra largitur: et suo uterque fruitur et consortis imperio.

VII. Laurea illa de uictis accolentibus Syriam nationibus et illa Raetica et illa Sarmatica te, Maximiane, fecerunt pio gaudio tripudiare. itidemque hic gens Chaibonum Herulorumque deleta et transrhenana uictoria et domitis oppressa Francis bella piratica Diocletianum uotorum compotem reddiderunt. diuidere inter uos di immortales sua beneficia non possunt: quicquid alterutri praestatur, amborum est. obstupescerent certe omnes homines admiratione uestri, etiam si uos idem parens eademque mater ad istam concordiam naturae legibus imbuissent. at enim quanto hoc est admirabilius uel pulcrius quod uos castra, quod proelia, quod pares uictoriae fecere fratres? dum uirtutibus uestris fauetis, dum pulcherrima inuicem facta laudatis, dum ad summum fortunae fastigium pari gradu tenditis, diuersum sanguinem affectibus miscuistis. non fortuita in uobis est germanitatis usque ad imperium

3 qua diem *scripsi:* qualem **M** qua solem *Puteanus* qua lucem *Gruterus* | accepit **M** || 4 litorum *Cusp.:* retorum **M** tectorum **w** || 6 quam **w**: quamquam **A** quantum **B C V** || 10 de uictis *scripsi:* deuictis **M** *uulgo* | syriam **W**: syria **A B C V** || 12 tripudiare *scripsi:* triumphare **M** || 13 hic] hec **w** | caynonum **A** cauionum **C** caiuonum **B V** *Bert.* caybonum **W** | transrhenaua **A** transrhenaria **B C V** trans rhenum **W** || 14 domitis **w**: domitiis *uel* domiciis **M**• || 21 est *om. Bert.* || 27 germanitatis **C V**: germanitas **A B W** germanitas, sed electa. notum est, saepe eisdem parentibus natos esse dissimiles: certissimae fraternitatis est usque ad imperium similitudo *Cusp.*

similitudo, quaene etiam interuallum uestrae uincit aetatis et seniorem iunioremque caritate mutua reddit aequales, ut iam illud falso dictum sit non delectari societate rerum nisi pares annis. intellegimus enim, sacratissimi principes, geminum uobis, quamuis dispares sitis aetatibus, inesse consensum: neque tu illi uideris promptior neque tibi ille cunctantior, sed inuicem uosmet imitamini, inuicem uestros affectatis annos. sic uos geritis quasi iuniores *ambo,* ambo seniores. neuter plus suis moribus fauet: uterque se uult hoc esse quod frater est.

VIII. Inde igitur proxime ille *impetus* inpatientia uestrae pietatis irrupit quo uos nulla regionum longinquitas, nulla iniquitas locorum, nulla tempestatis asperitas retinere aut morari potuit quominus ad conspectum uestri peruolaretis? neque enim illud progressio fuit nec itineris confectio nec solitis adminiculis usa properatio. quid simile concitus equus aut ueliuola nauis? diuinus quidam impetus fuit quo repente in eundem locum ab utroque solis aduerso fine uenistis; ipsos siquidem quos praemiseratis nuntios reliquistis ipsamque quae uos conata est praeuenire famam praeuertistis, ut absque paucissimis qui uobis comites haerere potuerunt ceteri homines fortasse crediderint, quod dignum est maiestate uestra, diurna uobis et nocturna curricula utraque mundi lumina commodasse. sed remoueamus

---

1 quaene *Hauptius Herm. V p. 314:* quae ne **M** ‖ 2 inior.] minoremque **A** *Bert.* | reddit equales **w**: reddite quales **M** ‖ 4 societate **w**: societatem **M** delectare societatem *edd.* | annis *scripsi:* annos **M** ‖ 7 tibi ille] tu illi **W** ‖ 8 uosmet ipsos im. **C** ‖ 9 geritis *scripsi:* certis **M** fertis **w** ‖ 10 ambo *Liuin.: om.* **M** ambo iuniores ambo sen. **w** | neuter] ne uterq; **A** ‖ 12 impetus *addidi: om.* **M** | impatientiam **B C V** in presentia **w** ‖ 13 irrupit **C** illa impatientia u. p. erupit *edd.* | quo *scripsi:* quod **M** ‖ 15 aut morari *om.* **C** ‖ 17 itinerum **W** ‖ 18 simile *Gruterus:* simili **M** | concitu **C** | equus *Arntzenius:* eques **M** ‖ 22 ipsamque *scripsi:* ipsam **M** ‖ 25 crediderunt **M** | quod dignum **w**: quo id dignum **A B V** quod id *Bert.* quod ita dignum **C** *edd.*

istinc fabulas imperitorum, uerum loquamur: uestra uobis pietas, sacratissime imperator, uolucres dedit cursus. etenim cum nihil sit animo uelocius, uos, quorum igneae immortalesque mentes minime sentiunt corporum moras, peruecti estis ad uos mutui desiderii celeritate.

IX. Sed qua tandem uice temporum? quo tempestatis habitu? nempe hieme saeuissima et his quoque regionibus inusitata, cum agros glacies, glaciem niues premerent caelo pariter ac terris uniformibus cumque ipsi anhelitus hominum circa sua ora concreti rigore canescerent. adeo, ut res est, aduersus inclementiam locorum ac siderum uestrae uos maiestatis potentia tuebatur ut ceteris hominibus atque regionibus ui frigorum astrictis et oppressis uos solos aurae lenes uernique flatus et diductis nubibus ad itinera uestra derecti solis radii sequerentur: tanta facilitate illa quae tunc aliis fuerunt inaccessibilia superastis atque inde Iulias, hinc Cottias Alpes quasi relictas aestu arenas patentium litorum transcurristis. eant nunc rerum ueterum praedicatores et Hannibalem illum multis laboribus magnaque exercitus sui diminutione Alpes penetrasse mirentur! uos, inuictissimi imperatores, prope soli Alpium uias hibernis niuibus obstructas diuinis uestigiis aperuistis, ut quondam Hercules per eadem illa culmina Hiberiae spolia incomitatus abduxit.

X. Tum, si fortunae causaeque Hannibalis ac uestrorum itinerum comparentur, quanto haec uestra dis hominibusque acceptiora sunt? quanto laude ac sempiterna memoria digniora? tunc Poeno ex sum-

2 sac. imp. **M** ‖ 5 corporis **C** | prouecti **A** ‖ 8 his **A W** *Bert.:* in his **B C V** ‖ 9 agros *Cusp.:* algor **M** | glaciem niues **A B V** *Bert.:* glacies niuem **C** cum algor glacies niues prem. **w** ‖ 13 clementiam **C** ‖ 14 ut] et *edd.* ‖ 16 lenes **W**: leues **A B C V** | diductis **A** *Bert.:* deductis **B C V W** ‖ 17 directi **M** | sequerentur *ego:* sequebantur **M** ‖ 18 alis **A C V** | fuerunt *H. Ruehlius:* forent **M** (florent **A**) ‖ 28 tum] tamen **W** ‖ 30 quanta laude **M** ‖ 31 pene **B V**

mis Alpibus uiso Italia contremuit, statim pecu agroque deserto omnes familiae rusticanae siluas et ferarum cubilia petiuere. quo nuntio accepto omnibus oppidis matres Italae pensa e manibus abiecerunt, paruos liberos arreptos ad templa traxerunt, ibi aedes sacras passo capillo suo quaeque uerrebat, uario planctu ploratuque futuris cladibus omina dabant, Trasimennum et Cannas dolore praesago praecanebant. nunc autem, ut primum ex utrisque Alpium iugis uestrum numen effulsit, tota Italia clarior lux diffusa, omnibus qui suspexerant aeque admiratio atque dubitatio iniecta, ecquinam dei illis montium uerticibus orirentur aut his gradibus in terras caelo descenderent? ut uero propius propiusque coepti estis agnosci, omnes agri oppleti non hominibus modo ad uisendum procurrentibus, sed etiam pecudum gregibus [remotá] pascua et nemora linquentibus: concursare inter se agricolae, nuntiare remotis uisa, arae incendi, tura poni, uina libari, uictimae caedi, cuncta gaudio calere, cuncta plausibus tripudiare; dis immortalibus laudes gratesque cantari; non opinione traditus, sed conspicuus et praesens Iuppiter cominus inuocari; non aduena, sed imperator Hercules adorari.

XI. Quid illud, di boni! quale pietas uestra spectaculum dedit, cum in Mediolanensi palatio admissis qui sacros uultus adoraturi erant conspecti estis ambo et consuetudinem simplicis uenerationis geminato numine repente turbastis! nemo ordinem numinum solita secutus est disciplina; omnes ado-

1 pecu ς: pecua **M** || 2 agrique **ABCV** | deserta **BV** desertiC *Bert.* || 4 oppidis] urbibus **w** | Italae *edd.:* italiae **M** | pensa e *edd.:* pense **A B V** pensa **C w** || 5 arreptos **W**: abreptos **A B C V** || 6 passo] sparso **w** || 7 uario **A W** *Bert.: om.* **B C V** | omnia **M** || 8 praecin. **W** || 11 aeque *Liuineius:* atque **M** || 12 iniecta] uecta **C** | ecquinam *Liuineius:* et quinam **M** est quinam **w** | dei *Gruterus:* de **M** || 13 aut *ego:* an **M** | e caelo **w** || 17 remota *seclusi* || 18 remotis *scripsi:* totis **M** ignotis *Schwarzius* totis uicis *Acidalius* || 19 aree **A W** || 23 aduocari *Bert.*

randi mora restiterunt duplicato pietatis officio contumaces. atque haec quidem uelut interioribus sacrariis operata ueneratio eorum modo animos obstupefecerat quibus aditum uestri dabant ordines dignitatis. ut uero limine egressi per mediam urbem simul uehebamini, tecta ipsa se, ut audio, paene commouerunt, omnibus uiris feminis, paruulis senibus aut per fores in publicum proruentibus aut per superiora aedium limina imminentibus. clamare omnis prae gaudio, iam sine metu uestri et palam manu demonstrare: 'uides Diocletianum? Maximianum uides? *uides* ambos? ut pariter sunt! quam iunctim sedent! quam concorditer colloquuntur! quam cito transeunt!' nemo studio suo par fuit oculis ad intuendum; dumque uos alterna cupiditate mirantur, neutrum satis uidere potuerunt.

XII. Ipsa etiam gentium domina Roma immodico propinquitatis uestrae elata gaudio uosque e speculis suorum montium prospicere conata, quo se uultibus uestris propius expleret, ad intuendum cominus quantum potuit accessit. lumina siquidem senatus sui misit beatissimae illi per eos dies Mediolanensium ciuitati similitudinem maiestatis suae libenter impartiens, ut ibi tunc esse sedes imperii uideretur quo uterque uenerat imperator. interim tamen, dum mihi ante oculos pono cotidiana uestra colloquia, coniunctas in omni sermone dexteras, ioca seriaque communicata, obtutu mutuo transacta conuiuia, illa me cogitatio subit quanam animi magnitudine ad reuisendos exercitus uestros discesseritis pietatemque uestram utilitate reipublicae uiceritis.

---

3 operta **M**, *correxi* || 8 aut in fores in publ. **W** || 9 lumina *Liuineius* | clam. omnes **w**: clam. omnibus **M** || 12 uides ambos ut *ego:* ambo sunt **M** | iunctim *Bert.:* iuncti **A** inuicti **B C V W** || 13 eloquuntur **C** || 21 quominus **W** || 23 suae *om.* **W** || 24 nunc **C** || 26 tamen *om. Bert.* | mihi **A W**: nihil **B C V** || 27 conuictas **C** | ioca seriaque] ocesariaque **W** *cum signo corruptelae* || 28 conuiuia *edd.:* connubia **M** *Bert.*

qui tunc uestri sensus fuere? qui uultus? quam inpatientes ad dissimulandum indicium perturbationis oculi? respexistis profecto saepius; neque haec de uobis uana finguntur. talia uobis dedistis omina, cito ad conspectum mutuum reuersuri.

XIII. Facilis est mihi transitus, sacratissime imperator, ab hac pietatis uestrae laude ad praedicationem felicitatis. hoc enim ipsum felicitatis est quod ut conspicere uos inuicem complectique possitis in manu uestra est. solem ipsum lunamque cernimus, quia totius mundi funguntur officiis, non nisi post multa saecula certa lege temporum conuenire: uestra tam libera est et beata maiestas ut in summis rebus generis humani nihil uobis necesse sit nisi uestrae parere pietati. ceterum, si quis ad humana respiciat, quanto magis magnitudo uestrae felicitatis appareat? homines priuatis rebus intenti ita plerumque propriis difficultatibus implicantur ut omni aeuo careant aditu suorum: uos tantae reipublicae administratione suscepta, quos huc atque illuc tot urbes, tot castra, tot limites, tot circumiecta Romano imperio flumina montes litora uocant, tantum animis ac fortuna ualetis ut in unum conuenire possitis nihilominus orbe securo. neque enim pars ulla terrarum maiestatis uestrae praesentia caret, etiam cum ipsi abesse uideamini.

XIV. Ne tantulum quidem barbarae nationes audent animos attollere, quod uos in interiorem imperii uestri sinum secesseritis; quin immo ipsi

---

1 impatientes *Puteanus:* patientes **M**, *malim* inpotentes || 2 ad simulandum **C** | iudicium **A C** || 4 dedisti **C** | omina **V w**: omine **B** omnia **A C** || 6 sac. **M** || 11 qui *Livineius* || 12 temporum *om.* **W** || 13 tam **A W**: tamen **B C V** || 15 parere] *an* parcere? || 19 omni aeuo careant *Puteanus:* omnia euocarent **M** *Bert.* omnino non uacent *Acidalius* ab omni auocentur *Arntzenius*, *alii alia* | aditu *suspectum; an* usu? || 20 tanta *edd.* || 22 circumiecto **C** | imperia **A** || 23 animis; *malim* armis | ac] et **W** || 25 uestra **A** || 26 praesentia *edd.:* pñtia **M** (potentia **C**) || 29 sinum **A W** *Bert.: om.* **B C V** | successeritis **W**

magis in uobis fiduciam pertimescunt quod se contemni sentiunt, cum relinquuntur. itaque illud quod de uestro cecinit poeta Romanus Ioue 'Iouis omnia plena', id scilicet animo contemplatus, quamquam ipse Iuppiter summum caeli uerticem teneat supra nubila supraque uentos sedens in luce perpetua, numen tamen eius ac mentem toto infusam esse mundo, id nunc ego de utroque uestrum audeo praedicare: ubicumque sitis, in unum licet palatium concesseritis, diuinitatem uestram ubique uersari, omnes terras omniaque maria plena esse uestri. quid enim mirum si, cum possit hic mundus Iouis esse plenus, possit et Herculis?

XV. Admonet me et temporis et loci ratio et maiestatis tuae reuerentia ut finem dicendi faciam, quamquam de felicitate uestra tam pauca dixerim et tam multa restent. sed, ecce, suggerunt: 'adhuc potes dicere de salubritate temporum et fertilitate terrarum'. reuera enim, sacratissime imperator, scimus omnes, ante quam uos salutem reipublicae redderetis, quanta frugum inopia, quanta funerum copia fuerit fame passim morbisque grassantibus. ut uero lucem gentibus extulistis, exinde salutares spiritus iugiter manant. nullus ager fallit agricolam, nisi quod spem ubertate superat. hominum aetates et numerus augentur. rumpunt horrea conditae messes, et tamen cultura duplicatur. ubi siluae fuere, iam seges est: metendo et uindemiando deficimus.

XVI. Illud uero, non suggeratur licet, quoquo modo dicam, antequam desinam: tantam esse im-

---

3 die C | cecidit C | Io. omnia plena *Liuineius:* Iouis omnia esse M, esse *om. Bert.; cf. Verg. ecl. III 60* ‖ 7 toti *Cusp.* ‖ 18 potes w: potest M | dicere C w: ducere M ‖ 19 enim *om.* C | sac. M ‖ 21 reddideritis *edd.* ‖ 22 fuerit *Schwarzius:* fuit M ‖ 25 aetates] et res *Rhenanus* ‖ 26 augetur M ‖ 28 defecimus M ‖ 30 quomodo M ‖ 31 desinam w: desinant M | tantam esse W *Bert.:* tanta inesse A C V tantam inesse B

perii uestri felicitatem *ut* undique se barbarae nationes uicissim lacerent et excidant, alternis dimicationibus et insidiis clades suas duplicent et instaurent, Sarmaticas uestras et Raeticas et transrhenanas expeditiones furore percitae in semet imitentur. sancte Iuppiter et Hercules bone, tandem bella ciuilia ad gentes illa uesania dignas transtulistis omnemque illam rabiem extra terminos huius imperii in terras hostium distulistis. etenim, quod ait ille Romani carminis primus auctor:

'a sole exoriente usque ad Maeoti paludes',

id nunc longius longiusque protendere licet, si qui hostilem in mutua clade uesaniam toto orbe percenseat. etenim ab ipso solis ortu non modo citra Maeotim ac sub extrema septentrionis plaga, qua feruidum caput Danuuius euoluit quaque horridus secat Albis Germaniam, sed etiam sub ipso lucis occasu, qua Tingitano litori Calpetani montis obuium latus in mediterraneos sinus admittit oceanum, ruunt omnes in sanguinem suum populi, quibus numquam contigit esse Romanis, obstinataeque feritatis poenas nunc sponte persoluunt.

XVII. Furit in uiscera sua gens effrena Maurorum, Gothi Burgundios penitus excidunt rursumque pro uictis armantur Alamanni itemque Teruingi, pars alia Gothorum, adiuncta manu Taifalorum, aduersum Vandalos Gipedesque concurrunt. ipsos Persas ipsumque regem adscitis Sacis et Rufiis et Gelis petit frater Ormies nec respicit uel pro maiestate

---

1 ut **w**: *om.* **M** ‖ 4 transrhenas **M**, *corr.* ς ‖ 7 illa *Liuineius:* illas **M** | digni **M** digna **w** ‖ 11 usque ad *Liuineius:* ad usque **M** | meotis **M**; *Ennius ed. Uahl. p. 163* ‖ 12 siquis **B C V w** ‖ 14 hac citra (circa *Bert.*) meotis sub **M** circa Maeotin ac sub *Liuineius* ‖ 17 Albis] alba **M** *Bert.* ‖ 18 litoris calpitano **M** litori scalpitani **w** ‖ 21 contingit **A W** ‖ 23 mancorum **A** ‖ 24 burgundos **M** ‖ 26 Taifolorum *Bert.;* thaifalorum **M** ‖ 27 bandalos **A B C V** blandalos **W** *Bert.* ‖ 28 saccis et ruffis et gellis **M** ‖ 29 Ormisela *Diuaeus coll. Eutrop. IX 25*

quasi regem uel pro pietate quasi fratrem. Burgundiones Alamannorum agros occupauere, sed sua quoque clade quaesitos. Alamanni terras amisere, sed repetunt. o magnam uim numinis uestri! non istae modo aliaeque gentes uiribus armisque terribiles fiducia instructae ad perniciem immanitatis utuntur, sed etiam Blemyes illi, ut audio, leuibus modo assueti sagittis aduersus Aethiopas quaerunt arma, quae non habent, et paene nudis odiis proelia internecina committunt.

XVIII. Iam de perduellibus ultionem non armis, non exercitu capitis, sicut hucusque fecistis: iam, inquam, fortunatissimi imperatores, felicitate uincitis sola. ecquid umquam Romani principes de felicitate sua praedicari laetius audierunt quam cum diceretur hostes quiescere, otiosos esse, pacem colere? at enim quanto hoc est laetabilius ac melius quod de prosperitate saeculi uestri certatim omnium hominum circumfert *sermo: concurrerunt* barbari ad arma, sed inuicem dimicaturi! uicerunt barbari, sed consanguineos suos! tam innumeros uobis, tam nouos ex omni hostium genere successus fortuna suppeditat ut iam mihi necesse sit illa quae initio separaueram rursus hic communi laude coniungere, dum tantorum euentuum quaero rationem: felicitatem istam, optimi imperatores, pietate meruistis!

XIX. Optime igitur, quantum arbitror, sacratissime imperator, haec potissima elegi quae gemino na-

---

3 quaesitas **M**, *corr. Liuin.* | alamannie **B C V** ‖ 5 uiribus **w**: uiribusque **M** ‖ 6 *an* instructurae? | uertuntur *Liuineius* ‖ 7 Blemyes **A** *Bert.:* blemies **W** belmyes **B C V** | modo] non ς *Schwarzius* ‖ 8 arma *post* habent *iterat* **C** ‖ 9 interneciua **C V** ‖ 13 felicitate u. sola *scripsi l. l. 216:* felicitatem u. soli **M** ‖ 14 ecquid *ego:* et quid **B V W** et quod **C** ‖ 16 quietos ot. **C** ‖ 19 sermo concurrer̄ *addidi: om.* **M** hominum ore circumfertur: barb. ad arma concurrunt *edd.* | barbaria darma **AV** barbaria darnia **B** barbaria dania (m suprascr.) **C** barbaria damna **w** ‖ 25 quaero] credo *Bert.* ‖ 27 sac. **M** | quantum arbitror *post* sac. imp. *ponunt* **B C V**

tali tuo praedicarem. etenim ceterae uirtutes et bona cetera processu aetatis eueniunt, fortitudo annis accedentibus roboratur, continentia disciplinae praeceptis traditur, iustitia cognitione iuris addiscitur, ipsa denique illa quae uidetur rerum omnium domina esse sapientia perspectis hominum moribus et exploratis rerum docetur euentis: solae cum nascentibus pariter oriuntur pietas atque felicitas; naturalia sunt enim animorum bona et praemia fatorum. gemini ergo natales pias uobis mentes et imperatorias tribuere fortunas; atque inde sanctitatis uestrae omniumque successuum manat exordium quod nascentes uos ad spes generis humani bona sidera et amica uiderunt, quae uobis concordiam sempiternam et uestrorum generum caritatem et fouendae reipublicae studia conciliant itemque praeter uictorias toto orbe terrarum partas etiam naualia trophaea promittunt ut post bella Punica, post Asiae Syriaeque reges Romani rostra campi nouis ornetis exuuiis et oblitos iam Quirites in memoriam reducatis, cur ille sollemnis concionibus locus rostra uocitetur. dico enim magna certaque fiducia: digna est hac quoque gloria uestra pietas, et potest eam praestare felicitas.

---

4 addiscitur **A W** *Bert.:* adiscitur **B C V** adscitur *edd. uett.* || 5 omnium rerum **B**, *edd.* || 6 hominum *Liuineius:* omnium **M** || 12 omnium succ. **W** || 13 uos] tuos **C** | spes *Eyssenhardtus:* opes **M** opem *edd.* || 17 portas **A** || 18 bellica **A** || 19 ornetis **w**: ornet his **M** *Bert.* || 21 solemnis **C w**: sollemnes **A** solemnes **B V** || 22 hac *Bert.* **w**: hec **M** || 23 pietas uestra *edd.*

IV.

EUMENII

PRO RESTAURANDIS SCOLIS

ORATIO.

I. Certum habeo, uir perfectissime, non quidem te, qui semper in omni genere dicendi maxima facultate uiguisti, sed circumstantium plerosque mirari quod ego, qui ab ineunte adulescentia usque in hunc diem numquam isto in loco dixerim et, quantulumcunque illud est quod labore ac diligentia uideor consecutus, exercere priuatim quam in foro iactare maluerim, nunc demum sero quodam tirocinio ad insolitum mihi tribunal aspirem: a quo ego me fateor, quamquam mihi sedes ista iustitiae et *ad* agendum et ad dicendum amplissima uideretur, diffisum tamen ingenio meo antehac afuisse et hoc ipso in tempore, quamuis diuersissimum a contentione litium genus orationis habiturum, conscientiae trepidatione reuocari.

II. Ne quid igitur aut opinioni hominum dubium relinquam aut interpretationi ex hac postulatione quam de restituendis patriae meae Maenianis mihi sumendam potius quam cuiquam delegandam putaui *aut* maius de me aliquid quam posse me sentio uidear promittere: contestatum esse initio dicendi aput audientes uolo temporarium me dicendi munus, atque id ipsum meis studiis peculiariter commodum, inuolare, non ad incognitam mihi sectam forensium patronorum alienae laudis cupiditate transire. neque enim

5 uir perfectissime] V. P. *plerumque* **M** ‖ 14 ad agendum **w**: agendum **M** ‖ 16 abfuisse *Bert.* **C**: affuisse **M** ‖ 18 et conscientiae *Bert.*, *unde* ex consc. *Liuineius* ‖ 21 et hac post. *idem* ‖ 22 menianis **M** *semper* ‖ 24 aut *addidi: om.* **M** ‖ 26 me *om.* **C** ‖ 27 commodum inuolare *ego:* commodare **M**

tanta me aut neglegentia aut confidentia tenet ut nesciam quanta sit inter hanc aciem fori et nostra illa secreta studiorum exercitia diuersitas. ibi armantur ingenia, hic proeliantur. ibi prolusio, hic pugna committitur. hic plerumque uelut sudibus et saxis, illic semper telis splendentibus dimicatur. hic sudore et quasi 'puluere sordidus', illic insignis ornatu laudatur orator, ut, si uterque experiundi causa officia commutent, alium quidam tubarum sonus et strepitus armorum, alium quaedam triumphi schema deterreat.

III. Scio haec, inquam, uir perfectissime, neque me sciens fallo; et idcirco tantum abest ut me relictis docendi praecipiendique rationibus *orationibus* aptum atque idoneum putem, ut *ob* hoc ipsum quod uel uno die atque una de re in foro dicam ueniam magis possim sperare quam gloriam. quamquam in hac oratione, uir perfectissime, loci tantummodo insolentia, non dicendi nouitate perturber, siquidem id postulo quod non modo contradicendo nemo audeat impedire, sed omnes potius quibus diuina principum liberalitas, quibus urbis istius restitutio, quibus optimarum artium celebratio grata atque iocunda est summo gaudio et fauore suscipiant, ut Maenianae illae scolae quondam pulcherrimo opere et studiorum frequentia celebres et illustres iuxta cetera quae instaurantur opera ac templa reparentur. ita quantum mihi trepidationis affert locus, tantum releuat causa dicendi. quam quidem ego, uir perfectissime, duas in partes arbitror diuidendam, ut prius disseram quam sit ex usu et officio opus illud ad pristinam

---

4 proeliatur **B C V** | prolusio **A W** *Bert.*: prelusio **B C V** || 7 sordibus **A**; *cf. Hor. od. II 1, 22* || 9 quidem **M**, *correxi* | turbarum **A W** || 10 quaedam **W** *Bert.*: quidem **A B C V** | schema *scripsi:* quiddam *Bert.* quedam **A** scena **w**, *om.* **B C V** || 12 hec inquam hec **A W**. *an prius* hec *delendum?* || 14 docendi relictis **C** | orationibus *addidi: om.* **M** || 15 ob *addidi: om.* **M** hoc ipso *edd.* || 24 et fauore *om. Bert.* || 25 scolae; *ita semper* **M**

magnificentiam reformari, deinde qua ratione id possit sine sumptu publico, ex largitione quidem principum maximorum, sed tamen cum aliquo meo erga patriam studio et amore procedere.

IV. Ante omnia igitur, uir perfectissime, diuinae imperatorum Caesarumque nostrorum prouidentiae singularique in nos beniuolentiae huius quoque operis *in* instauratione parendum est, qui ciuitatem istam et olim fraterno populi Romani nomine gloriatam et tunc demum grauissima clade perculsam, cum latrocinio Bagaudicae rebellionis obsessa auxilium Romani principis irrito rogaret, non solum pro admiratione meritorum, sed etiam pro miseratione casuum attollere ac recreare noluerunt ipsamque ruinarum eius magnitudinem immortalibus liberalitatis suae monimentis dignam iudicauerunt, ut tanto esset illustrior gloria restitutorum quanto ipsa moles restitutionis immanior. itaque maximas pecunias et totum, si res poscat, aerarium non templis modo ac locis publicis reficiundis, sed etiam priuatis domibus indulgent, nec pecunias modo, sed etiam artifices transmarinos et ex amplissimis ordinibus prouinciarum incolas nouos et deuotissimarum hiberna legionum, quarum inuicta robora ne in his quidem quae nunc cum maxime gerunt bellis requirunt, ut commodis nostris studio gratiae hospitalis operentur et resides aquas et nouos amnes ueluti aridis fessae urbis uisceribus infundant.

---

2 quidem *om.* C ‖ 6 caesarque C ‖ 7 in nos w: annos M | quoque w: quo M ‖ 8 in *addidi: om.* M | instauratio referenda est *Marklandus ad Stat. silu. IV 6, 65* ‖ 9 Romani nom. — 12 principis *om.* V ‖ 11 Bagaudicae *Lipsius et Liuineius:* batauicae M ‖ 12 irrito rogaret *scripsi l. l. p. 216:* irrogaret M imploraret *Bongarsius* inuocaret *Gruterus* ‖ 14 ac] et B ‖ 15 liberalitatis *edd.:* libertatis M ‖ 23 ord. prouinc. A W *Bert.:* prouinc. ord. B C V ‖ 24 in *om. Bert.* ‖ 25 cum *del.* w ‖ 27 resides] reduces *Liuineius* recentes *Uonckius* ‖ 28 refundant W

V. Ex quo manifestum est eos qui coloniam istam tot tantisque opibus totius imperii erigere atque animare statuerunt uel praecipue sedem illam liberalium litterarum uelle reparari, cui peculiarem frequentiam honestissimae iuuentutis illustrato studiorum honore prouiderint. cui enim umquam ueterum principum tantae fuit curae ut doctrinae atque eloquentiae studia florerent quantae his optimis et indulgentissimis dominis generis humani? quos ego, quod ad uotum pietatemque pertinet, liberorum nostrorum parentes appellare non dubito: qui nobilissimam istam indolem Galliarum suarum interitu summi doctoris orbatam respicere dignati suo potissimum iudicio praeceptorem ei moderatoremque tribuerunt et inter illas imperatorias dispositiones, longe maioribus summae rei publicae gubernandae prouisionibus occupati, litterarum quoque habuere dilectum neque aliter quam si equestri turmae uel cohorti praetoriae consulendum foret, quem potissimum praeficerent, sui arbitrii esse duxerunt, ne hi quos ad spem omnium tribunalium aut interdum ad stipendia cognitionum sacrarum aut fortasse ad ipsa palatii magisteria prouehi oporteret, ueluti repentino nubilo in mediis adulescentiae fluctibus deprehensi, incerta dicendi signa sequerentur.

VI. In quo ego, uir perfectissime, nihil laudi meae tribuo, sed domini nostri Constantii, uere principis iuuentutis, incredibilem erga iuuentutem Galliarum suarum sollicitudinem atque indulgentiam mirari satis nequeo, qui honorem litterarum hac quoque dignatione cumulauit ut me filio potius meo

---

7 doctrina **A W** ‖ 9 et] atque **C** ‖ 12 interitus **A B V** ‖ 16 longe maioribus **A W** *Bert.*: *om.* **B C V** | summe w: summa **M** | rep. **A** ‖ 17 occupatas **M**, *correxi* ‖ 20 perficerent **C** ‖ 23 palatii] stipendii **C** ‖ 27 Constantii **C**: Constanti **A B V** Constantini **W** *Bert.* | uere **A W** *Bert.*: *om.* **B C V** ‖ 28 iuuentutis **B V**: uiuentis **A C W**

ad pristina mea studia aditum molientem (*licet* hunc ipsi palatio patris sui munus inuexerit) ipsum iusserit disciplinas artis oratoriae retractare et mediocrem quidem pro ingenio meo naturaque uocem, caelestia tamen uerba et diuina sensa principum prolocutam ab arcanis sacrorum penetralium ad priuata Musarum adyta transtulerit; non utique quia mihi, quem (quod sine inuidia dixerim) tanta dignatione respicit quanta pro summis honoribus debet sufficere sapienti, uellet aliquid imposita ista professione detrahere, sed ut professioni ipsi ex eo honore quem gessi adderet dignitatem. cui igitur est dubium quin diuina illa mens Caesaris, quae tanto studio praeceptorem huic conuentui iuuentutis elegit, etiam locum exercitiis illius dedicatum instaurari atque exornari uelit, cum omnes omnium rerum sectatores atque fautores parum se satisfacere uoto et conscientiae suae credant, si non ipsarum quas appetunt gloriarum templa constituant.

VII. Inde est quod Atheniensis humanitas aram Misericordiae instituit, quod Romani ducis animi magnitudo templum Virtutis et Honoris. quarum enim artium siue animi affectionum magnis hominibus ingeneratus ardor fuit, earum etiam consecrata existere ad posteros monimenta uoluerunt. aedem Herculis Musarum in circo Flaminio Fuluius ille Nobilior ex pecunia censoria fecit non id modo secutus quod ipse litteris et summi poetae amicitia duceretur, sed quod in Graecia cum esset imperator acceperat Heraclen Musagetem esse, id est, comitem ducemque Musarum, idemque primus nouem

---

1 pristinum **A W** | aditum **A W** *Bert.: om.* **B C V** || 1 *sqq.* molientem ipsum iusserit disciplinas artis oratoriae retractare et hoc ipsi palatio parentis sui munus inuexerit ut mediocrem **M**, *transposui et correxi* || 13 dubium est *Bert.* || 15 exercitis **A** exercitii **C** exercitio illi **w** || 21 constituit **W** || 24 fuit ς: fuerit **M** || 28 summi **A W** *Bert.:* summa **B C V** || 30 heraclen **A C**: heraclem **B V** herculen **w**

signa [hoc est, omnium] Camenarum ex Ambraciensi oppido translata sub tutela fortissimi numinis consecrauit, ut res est, quia mutuis opibus et praemiis iuuari ornarique deberent: Musarum quies defensione Herculis et uirtus Herculis uoce Musarum.

VIII. Credo igitur, tali Caesar Herculius et aui Herculis et Herculii patris instinctu tanto studium litterarum fauore prosequitur ut non minus ad prouidentiam numinis sui existimet pertinere bene dicendi quam recte faciendi disciplinas et pro diuina intellegentia mentis aeternae sentiat litteras omnium fundamenta esse uirtutum, utpote continentiae modestiae uigilantiae patientiae magistras. quae uniuersae cum in consuetudinem tenera aetate uerterunt, *ad* omnia deinceps officia uitae et ad ipsa quae diuersissima uidentur militiae atque castrorum munia conualescunt. ideoque his omnis industriae atque omnis laudis nutricibus aut, ut uerius loquar, matribus cum praeceptorem Caesar Herculius declarare dignatus sit: necesse est etiam sedem propriam cupiat reformari ut, cum ad antiquam firmitatem cultumque reparata sit, multo hic iustius et uerius nuncupetur aedes Herculis atque Musarum.

IX. Et sane, uir perfectissime, interest etiam gloriae quam tanti principes tot uictoriis ac triumphis merentur ut ingenia quae canendis eorum uirtutibus excoluntur non intra priuatos parietes, sed in publica ostentatione et in ipso urbis istius ore uegetentur. quid autem magis in facie uultuque istius ciuitatis situm est quam haec eadem Maeniana in ipso transitu aduenientium huc in-

---

1 hoc (id **B**) est omnium *seclusit Eyssenhardtus* ‖ 2 sub tetala **A** ‖ 4 deberent et mus. **w** ‖ 5 et *om. Bert.* | et uoce **A** ‖ 7 Herculii *edd.:* herculi **M** herculis **w** ‖ 9 sui *om.* **C** ‖ 13 uniuersa **M**, *correxi* ‖ 14 uerterunt *scripsi:* uenerunt **M** ‖ 15 ad **w**: *om.* **M** ‖ 22 hic] hoc ς ‖ 23 Herculis Musarum *Merula Ennii fragm. p. 555* ‖ 25 principes *Cusp.:* principis **M** principis tot uictorie ac triumphi **w** ‖ 26 cauendis **C**

uictissimorum principum constituta? qui cum se occursu laetae iuuentutis affici non solum liberalitate quam ipsi tribuunt, sed etiam litteris quibus me ad institutionem eius cohortantur ostendant, quanto plus capient uoluptatis, cum reparatum uideant ipsum conciliabulum iuuentutis? ad hoc, uir perfectissime, opus istud reddit illustrius et cum ipsorum Caesarum, tum etiam omnium hominum aspectui promptius, quod praecipuo est loco positum quasi inter ipsos oculos ciuitatis, inter Apollinis templum atque Capitolium. quo magis est etiam sacrosancta sedes utriusque lateris ueneranda confinio utriusque lateralis numinis instauranda respectu, ne fana longe omnium in hac urbe pulcherrima labes media deformet, praesertim cum mihi uideatur ipse ille qui Maeniana haec primus extruxit idcirco ea illic potissimum collocasse ut ueluti cognato uicinorum sibi numinum tenerentur amplexu, cum augustissima tecta litteris dedicata inde Athenarum conditrix Minerua conspiceret, hinc Apollo medius Camenarum.

X. Igitur ibi maxime et oportet et fas est exercere iuuentutis ingenia ubi tam propinqua sunt numina amica doctrinae, ubi ex proximo iuuat mens diuina sapientiam et carminum deus uocem et uerecundiam uirgo perpetua et prouidentiam praescius futurorum. ibi adulescentes optimi discant, nobis quasi sollemne carmen praefantibus, maximorum principum facta celebrare (quis enim melior usus est eloquentiae?), ubi, ante aras quodammodo suas, Iouios Herculiosque audiunt praedicari Iuppiter pater et Minerua socia et Iuno placata. satis me uerborum fecisse arbitror, uir perfectissime, de eo quod mihi ad dicendum prius constitueram, quam sit ex

---

12 lateralis *scripsi:* late **M**, *del. Gruterus* || 17 ut w: et **M** || 18 numerum **A** || 26 uobis **A** || 28 sqq. celebrare. quis e. m. u. e. el., quam ubi ante aras — placata Iuno? *edd., correxi interpunctionem* || 29 ubi] quam ut w || 30 audiunt *scripsi:* audiant **M** || 32 fecisse] dixisse w

usu atque officio instaurari opus illud studiis quibus optimi principes maxime fauent dedicatum, in ipsa ciuitatis fronte positum, celeberrimis templis utrimque coniunctum.

XI. Nunc, quod in secundum eundemque *grauem* locum distuli, quemadmodum id sine sumptu publico et cum laude sacrae largitionis fieri possit ostendam. salarium me liberalissimi principes ex huius rei publicae uiribus in sexcenis milibus nummum accipere iusserunt, non quoniam non amplius tribuere commodis meis uellent, in quem multo maiora et prius et postea praemia contulerunt, sed ut trecena illa sestertia, quae sacrae memoriae magister acceperam, in honore priuati huius magisterii addita pari sorte geminarent. hoc ego salarium, quantum ad honorem pertinet, adoratum accipio et in accepti ratione perscribo, sed expensum referre patriae meae cupio et ad restitutionem huius operis, quoad usus poposcerit, destinare. cuius uoluntatis meae ratio etsi asserenda non est, tamen sub hac tua humanitate et circumstantium expectatione qua me audiri sentio aliquatenus persequenda est.

XII. Nam primum omnium in hoc ego maximos esse fructus praemiorum *puto* ut digni quibus tribuantur habeamur, siquidem ipse usus pecuniae bonis malisue artibus partae promiscuus et uilis est; honestis uero rationibus posse acquirere summum, etiamsi quaestum remiseris, lucrum est. neque enim Syrus mercator aut Deliacus aut Indicus ad uberrima ista compendia laudis aspirat, sed rarae atque inter paucissimas opes sunt contentae meritis conscientiae.

---

5 grauem *ego*, potiorem *Liuin.*, ultimum *Acidal. add.;* eundemque *del. Gruterus* ‖ 9 nummum **w**: numium **A B C** numum **u** numinum **m r** ‖ 12 tercena **C** ‖ 13 sextertia **B C V** ‖ 17 perscribo *Cusp.:* prescribo **M** *Bert.* ‖ 22 proseq. **M**, *correxi* ‖ 24 esse **w**: sese **M** | puto *om.* **M**, ego arbitror maximos **w** ‖ 25 tribuant **W** tribunātur *expuncto* tribuatur **A** | habeantur **w** ‖ 27 honestis — 28 lucrum est *om.* **W** ‖ 29 deliacus **A W**: delicitus **B C V** ‖ 31 paucissimos **M**; *an* paucissimorum?

quippe hoc ipso praemii gloria continetur ne id cupiditate quaerendi affectasse uideamur. quod hoc uno assequi possumus, si pro accepto ducamus oblatum, ut industriae sit ad sumendi copiam peruenire potuisse, continentiae praeterisse.

XIII. An si fortissimi uiri in sacris certaminibus summo labore atque etiam uitae periculo solam uocem praeconis et coronae testimonium petunt, ego uerba illa diuina caelestesque litteras, quibus mihi tanti principes instituendam iuuentutem commendare dignati sunt, non ultra omnium uocum potentiam uenerabundus accipiam?. non ultra omnes laureas colam? quas ego, uir perfectissime * * tamenetsi hanc quoque mihi ueniam tribuas oportet. neque enim fas ipsius epistulae sacrae commemorationem solam sine obsequio recitationis inducere, ut ea perlecta magis eluceat quantum me studium par sit impendere non ipsis modo litteris, sed etiam templis ac sedibus litterarum.

XIV. ‘Merentur et Galli nostri ut eorum liberis, quorum uita in Augustodunensium oppido ingenuis artibus eruditur, et ipsi adulescentes, qui hilaro consensu meum [Constantii Caesaris ex Italia reuertentis] suscepere comitatum, ut eorum indoli consulere cupiamus. proinde quod aliud praemium his quam illud conferre debemus quod nec dare potest nec eripere fortuna? unde auditorio huic, quod uidetur interitu praeceptoris orbatum, te potissimum praeficere decreuimus, cuius eloquentiam et grauitatem morum ex actus nostri habemus administratione

---

4 ad sumendi *Liuineius:* assumendi **M** | preuenire **B V u** || 5 continentia **M** || 11 potentiam *corruptum;* praeconium *Acidalius* || 13 *lacunam indicaui* | tametsi **B C V** || 16 ea *om.* **C** || 17 eludeat **A** || 18 sed etiam et templis **M**; et *del. Liuineius* || 20 Exemplar Epłe **W** *in marg.* Exemplum sacre epłe **A** *in textu litt. rubr.* || 21 augusto clunensium **W** augusto cluuensium **A** angusto clunensium **B V** angusto cliuiensium **C** || 22 hilaro **A** *Bert.:* hilari *cett.* || 23 *uerba* Constantii Caesaris ex Italia reuertentis *del. Balduinus* || 29 dec̃uimus *scripsi:* debuimus **M**

compertam. saluo igitur priuilegio dignitatis tuae hortamur ut professionem oratoriam repetas atque in supra dicta ciuitate, quam non ignoras nos ad pristinam gloriam reformare, ad uitae melioris studium adulescentium excolas mentes nec putes hoc munere ante partis aliquid tuis honoribus derogari, cum honesta professio ornet potius omnem quam destruat dignitatem. denique etiam salarium te in sexcenis milibus nummum ex rei publicae uiribus consequi uolumus, ut intellegas meritis tuis etiam nostram consulere clementiam. uale, Eumeni carissime nobis.'

XV. Ita non uidetur tibi, uir perfectissime, hac tantorum principum exhortatione non solum meus ex otio iacens ad pristinas artes animus attolli, uerum etiam ipsi quodammodo ueterum scolarum parietes et tecta consurgere? quod enim tantum carmen Amphioni, quae tanta plectro fidibusque dulcedo quam secuta quondam saxa perhibentur, ut ducentibus subuecta modulis et ad interualla carminum resistentia sponte murum uelut arte construerent, quanta in his imperatorum et Caesarum litteris inest ad omnis animorum impetus effectusque rerum ciendos uis atque permotio? qui, quod iubere possunt, suadere dignantur et, cum uel tacitas eorum ac uultu tenus significatas uoluntates summi patris sequatur auctoritas, cuius nutum promissionem quippe firmantis totius mundi tremor sentit, ipsi tamen ultro impetrandi potestatem cohortandi humanitate conci-

1 priuilegio] premio **C** ‖ 9 sexcentis (sescentis **A**) **M** | numinum **C W** numium **B V** ‖ 11 consulere *scripsi:* constituere **M** consuluisse **w** constare *Liuineius* | Eumeni *om.* **W** ‖ 14 meus *om.* **W** ‖ 16 ueterum *ante* ipsi quod. *habent* **B C V**, *ante* scolarum **A W** *Bert.* ‖ 21 constituerent **W** construeret **A** ‖ 23 ad omnes *Cusp.:* a dominis **M** qui domini **w** ‖ 24 ciendo suis atque permouendo consiliis per quod iubere **w** ‖ 26 uultetenus **M** ‖ 27 promissionem quippe (*uel* nempe) *scripsi:* promissionemque **M**; *an* que *delendum?* ‖ 28 firmantis] flammantis *Liuineius* ‖ 29 imperandi **M**, *correxi* | conciliant] condiunt *Liuineius*

liant. quin etiam laudibus incitant, grauitatem morum, dicendi facultatem sibi probatam et cognitam praedicantes, palatini honoris priuilegium oratoriae professioni saluum et incolume seruantes. quibus ego diuinae benignitatis illecebris, etiamsi omni sensu ante caruissem, ad quamuis profecto intellegentiam mouerer et adducerer, siquidem tantos principes unum hominem tanta laude decorare non est oratorem admonere, sed facere.

XVI. Quid igitur mihi cum numerata pecunia? immo quid cum ullis opibus aut Midae regis aut Croesi aut ipsius qui auro dicitur fluxisse Pactoli, cum diuina haec testimonia omnibus diuitiis atque ipsis deorum praeconiis anteponam? nisi forte Pythiados illius excellentem Socratis sapientiam uaticinatae aut magnificentius carmen uidetur aut uerius quam quod Iouii Herculiique pronuntiant, quorum ne nutus quidem possunt, non modo dicta, reuocari. quamobrem, ut dixi, uir perfectissime, sexcena illa, quantum ad honorem spectat, accipi oportet, re autem atque usu delego patriae et ipsi potissimum operi, in quo studia nostra celebranda sunt. uideor enim mihi id quod sacris litteris continetur hoc manifestius atque illustrius retenturus, *si* ita saluo honoris mei priuilegio doceam ut me dignum talibus aeternorum principum iudiciis probem amore rei publicae. equidem ipsos patriae deos testor tanto me ciuitatis istius amore flagrare ut, quocum-

6 intelligencia **A** ‖ 7 mouerer et **W**: mouerer **A** onererer **V** onerer (onere u onerem m) **B C** ‖ 12 crysi **A B** | dicitur] cutitur **A** creditur **w** ‖ 14 deorum *Gruterus:* eorum **M** | praeconiis *scripsi:* praemiis **M** ‖ 15 uaticinate **A B**: uaticinitate **V** uaticinante **C** uaticinantis **w** ‖ 17 ioui herculique **M** ‖ 19 sexcenta **M** ‖ 20 oportet re autem atque *Gruterus:* oportere at aut *Bert.* oportere autem (autem *om.* **B**) aut (*om.* **V**) que **M** oportet ea autem (*ras. 8 litt.*) **w**, oportere autumo atque usum *Liuineius* ‖ 23 continetur ita (ut *Liuineius*) saluo honoris mei priuilegio doceam hoc manifestius atque illustrius retenturus ut (si *Liuineius*) me dignum **M**, *transposui et* si *inserui*

que oculos circumtuli, ad restitutionem operum singulorum ita gaudio ferar ut spiritum identidem meum pro illorum salute deuoueam, quorum iussu opibusque reparantur. sed tamen hoc quod mihi ornandae professionis meae causa tributum est huic me praecipue sentio debere monimento.

XVII. Etenim si bello parta Marti dicantur, si mari quaesita Neptuno, si messes Cereri, si Mercurio lucra libantur, si item rerum omnium *commoda* ad cultum referuntur auctorum: ubi fas est docendi praemia consecrare nisi in sede dicendi? praesertim cum mihi ultra communem cum ceteris studiorum religionem etiam proprius quidam sit erga Maeniana illa ex maiorum meorum recordatione dilectus. quamuis enim ante ingressum pueritiae meae intermissa fuerit eorum exercendis studiis frequentatio, tamen illic auum quondam meum docuisse audio, hominem Athenis ortum, Romae diu celebrem, mox in ista urbe [perspecto] probato hominum amore doctrinae atque huius ipsius operis ueneratione detentum. cuius ego locum, in quo, ut referunt, maior octogenario docuit, si ab isto uenerabili sene (te, Glauce, appello, praesentem quem uidemus, non ciuitate Atticum, sed eloquio) recoli ornarique perfecero, ipsum mihi uidebor ad uitam tali professionis suae successione reuocasse. quod quidem ego meum erga honorem domus ac familiae meae studium non con-

---

6 monimenta **A C W** ‖ 8 Mercurio mercaturae lucra *Hauptius Herm. IV p. 151* ‖ 9 rerum] deorum *Eyssenhardtus* | commoda *addidi l. l.: om.* **M**, fructus *Liuineius* primitiae *Rittershusius* ‖ 11 in sede] ipsi scole **w** ‖ 13 quidam **W** *Bert.:* quidem **A B C V** ‖ 15 intermissa **w**: termissa **M** ‖ 16 exercendis studiis *Liuineius:* exercendi studii **M** exercendi studio *Eyssenhardtus* ‖ 19 perspecto (prospecto **B**) probato **M**, perspecto *seclusi;* perspecto et probato *edd.* perspectum probatumque **w** | hominum — 20 detentum *om.* **W** ‖ 21 ut **A W** *Bert.: om.* **B C V** ‖ 22 Glauce *edd.:* clauce **A B V** claute **W** clauee **C** ‖ 23 acticum **A** athicum **B** accitum **w** ‖ 25 tali *om. Bert.* ‖ 26 ego *om.* **B** meum ego **C**

fiterer, uir perfectissime, nisi ipsis imperatoribus Caesaribusque nostris gratum esse confiderem ut publicam eorum in restituendo orbe pietatem pro suo quisque captu in renouandis suorum uestigiis aemuletur.

XVIII. Quis enim nunc sit animo tam humili, tam abiecto, tam ab omni appetitione laudis alieno ut non et quantulamcumque memoriam suorum excitare et sibi aliquid secundae opinionis cupiat acquirere, cum uideat omnia quae priorum labe conciderant hac felicitate saeculi resurgentia, tot urbes diu siluis obsitas atque habitatas feris instaurari moenibus, incolis frequentari; quod in Aegaeo mari semel contigit ut, quae apertis fluctibus uagabatur, repente insula Delos sisteret, eius nunc simile tot orientibus undique ciuitatibus, tot insulis ad humanos cultus quasi renascentibus euenire? nisi forte non grauior Britanniam ruina depresserat quam si superfuso tegeretur oceano, quae profundissimo poenarum gurgite liberata ad conspectum Romanae lucis emersit, aut haec ipsa quae modo desinit esse barbaria non magis feritate Francorum uelut hausta desiderat quam si eam circumfusa flumina et mare alluens operuisset. nam quid ego alarum et cohortium castra percenseam toto Rheni et Histri et Eufratis limite restituta? qua ueris autumniue clementia tot manu positae arbores conualescunt, quo calore solis tot depressae imbribus segetes resurgunt, quot ubique muri uix repertis ueterum fundamentorum uestigiis excitantur? adeo, ut res est, aurea illa saecula, quae non diu quondam Saturno rege

1 nisi w: nisi si **M** ‖ 2 nostris w: nostrum **M** ‖ 3 *malim* restituenda urbe ‖ 6 tunc **C** ‖ 8 et *om.* **W** ‖ 11 hac **B C V** w: hanc **A** ‖ 12 *malim* situ obs. ‖ 14 apertis *scripsi:* opertis **M** operta w ‖ 15 existeret **M**, *correxi* ‖ 16 insulis w: insulas **M** ‖ 19 superfuso **A W** *Bert.:* perfuso **B C V** ‖ 20 poenarum] praedonum *Acidalius* piratarum *Arntzenius* ‖ 21 desunt **C** ‖ 23 deciderat w; *cf. Neue, lat. Form. II 389* ‖ 25 eufrate **M**

uiguerunt, nunc aeternis auspiciis Iouis et Herculis renascuntur.

XIX. Sed enim, uir perfectissime, inter omnia quae uirtute principum ac felicitate recreantur, sint licet fortasse alia magnitudine atque utilitate potiora, nihil est tamen admirabilius hac liberalitate quam fouendis honorandisue litterarum studiis impartiunt. quippe, ut initio dixi, nulli umquam antehac principes pari cura belli munia et huiusmodi pacis ornamenta coluerunt. diuersissimus enim ad utramque sectam deflexus est, dispar natura mentium et discrepans in electione iudicium; ipsorum denique utriusque artibus praesidentium numinum dissoni motus habitusque dissimiles. quo magis horum noua et incredibilis est uirtus et humanitas qui inter tanta opera bellorum ad haec quoque litterarum exercitia respiciunt atque illum temporum statum quo, ut legimus, Romana res plurimum terra et mari ualuit ita demum integrari putant, si non potentia, sed etiam eloquentia Romana reuirescat.

XX. Detur ergo, uir perfectissime, illa mihi ab optimis uirtutum omnium dominis tributa largitio huic operi doctrinae atque eloquentiae dedicato ut, quemadmodum cetera uitae nostrae commoda aput auxiliatores eorum deos colimus, ita singularem eorumdem erga litteras dignationem in antiqua litterarum sede celebremus. uideat praeterea in illis porticibus iuuentus et cotidie spectet omnes terras et cuncta maria et quicquid inuictissimi principes urbium gentium nationum aut pietate restituunt aut uirtute deuincunt aut terrore deuinciunt. siqui-

7 honorandisque *edd.* ‖ 9 pari *om.* **W** | curas belli muniaque **w** ‖ 13 utrisque artibus **M**, *correxi; nisi* utrisque part. *scribendum est* | nominum **M** ‖ 14 motus *scripsi:* monitus **M** sonitus **w** ‖ 23 dedicata **M**, *corr. Acidalius* ‖ 28 spectat **W** ‖ 30 aut pietate restituunt **A W** *Bert.: om.* **B C V** ‖ 31 deuincunt] conficiunt **w** | deuinciunt *edd.:* deuincunt **A W**, *om.* **B C V**

dem illic, ut ipse uidisti, credo, instruendae pueritiae causa, quo manifestius oculis discerentur quae difficilius percipiuntur auditu, omnium cum nominibus suis locorum situs spatia interualla descripta sunt, quicquid ubique fluminum oritur et conditur, quacumque se litorum sinus flectunt, qua uel ambitu cingit orbem uel impetu irrumpit oceanus.

XXI. Ibi fortissimorum imperatorum pulcherrimae res gestae per diuersa regionum argumenta recolantur, dum calentibus semperque uenientibus uictoriarum nuntiis reuisuntur gemina Persidos flumina et Libyae arua sitientia et conuexa Rheni cornua et Nili ora multifida dumque sibi ad haec singula intuentium animus adfingit aut sub tua, Diocletiane Auguste, clementia Aegyptum furore posito quiescentem aut te, Maximiane inuicte, perculsa Maurorum agmina fulminantem aut sub dextera tua, domine Constanti, Batauiam Britanniamque squalidum caput siluis et fluctibus exerentem aut te, Maximiane Caesar, Persicos arcus pharetrasque calcantem. nunc enim, nunc demum iuuat orbem spectare depictum, cum in illo nihil uidemus alienum. habes, uir perfectissime, studii ac uoti mei professionem. abs te peto ut eam litteris tuis aput sacras aures prosequi non graueris. siquidem maximus ac paene solus fructus est recta cupientium ut uoluntas eorum ad diuinam tantorum principum scientiam perferatur.

---

6 qua **A W**: quo **B C V** *Bert.* || 7 impetu *om.* **C** || 10 recoluntur **w** || 12 connexa **A C V** || 14 adfingit] adfincit **M** afficit **w** || 15 Aegyptum *edd.*: egipto in **M** orbem egipto in **w** || 16 perclusam **A** || 17 Maurorum **W**: aurorum **A B C V** || 26 capientium et uol. **A**

V.

INCERTI
PANEGYRICUS CONSTANTIO CAESARI
DICTUS.

I. Si mihi, Caesar inuicte, post diuturnum silentium sola esset uincenda trepidatio qua rudimenta quaedam uocis meae rursus experior: haud immerito me ultra quam aetas et quantulacumque studii mei ferret opinio perturbari confiterer, praesertim cum aput maiestatem tuam diuina uirtutum uestrarum miracula praedicarem. quo in genere orationis quanta esset cura, quantus labor, quam sollicita lucubratio, sensi etiam, cum in cotidiana illa instituendae iuuentutis exercitatione uersarer, quamuis ibi prima tunc in renascentem rempublicam patris ac patrui tui merita, licet dicendo aequare non possem, possem tamen recensere enumerando. sed cum et me ex illo uetere curriculo aut inter adyta Palatii uestri alia quaedam sermonis arcani ratio demouerit aut post indultam a pietate uestra quietem studium ruris abduxerit et uos interim nullum ulciscendae augendaeque rei publicae uacuum tempus amiseritis, cum tot postea uirtute uestra partae uictoriae, tot excisae undique barbarae nationes, tot translati sint in Romana cultores, *tot* prolati limites, tot prouinciae

5 inuicte *om.* **C** || 11 miracula uestrarum **B C V** | predicarim ς || 12 lucubratio *ego:* ueneratio **M** || 14 ibi *scripsi:* enim **M** || 16 dicendo *om.* **C** || 17 recensere **C** *Bert.:* uel censere **M** | enumerando *ego:* numerando **M** | cum et me ex *Liuineius:* cum et in eo **B C V** et cum et meo **A** et cum in meo *Bert.* cum me in eo' **w** || 18 curric. illo uetere *Bert.* || 19 alia] alta *Langius* || 21 interim *om.* **W** inter **A** | augendaeque **W**: augendique **A** augendae **B C V** || 22 tempus *om.* **C** || 24 in Romana *Liuin.:* in roma. in romana **A** in Romam *Bert.* in roma **B C** in roma in roma **V** rura in romana **w** || 25 tot *add. Acidalius:* *om.* **M**

restitutae: haereo prorsus et stupeo et praeter illam ex otio meo tarditatem tanta rerum mole deterreor ut hoc uno nitar hortatu quod ex quantacumque desidia quamuis maxime orationi imparem *parem* facis, Caesar, auditor, praesertim cum fauente numine tuo ipse ille iam pridem mihi, qui me in lucem primus eduxit, diuinarum patris tui aurium aditus euenerit. quo facilius maiestatis tuae recordatione confisus possum illa quae tunc dicta sunt praeterire atque hunc sermonem ab his quae secuta sunt inchoare.

II. Quamquam multa mihi ex illis quoque hoc in tempore necessario transeunda sunt ac potissimum ea quibus officio delati mihi a diuinitate uestra honoris interfui, captus scilicet rex ferocissimae nationis inter ipsas quas moliebatur insidias et a ponte Rheni usque ad Danuuii transitum Guntiensem deusta atque exhausta penitus Alamannia: nam et maiora sunt quam ut enarrari inter alia possint et, ne meis quoque stipendiis uidear gloriari, sufficit conscientiae meae illa uidisse. det igitur mihi, Caesar inuicte, hodiernae gratulationis exordium diuinus ille uestrae maiestatis ortus ipso quo illuxit auspicio ueris illustrior, cui dies serenus atque, ut celebrantes sensimus, ultra rationem temporis sol aestiuus incaluit, augustiore fulgens luminis claritate quam cum originem mundi nascentis animauit, siquidem tunc inter illa rerum tenera primordia moderatus dicitur ne noceret ardentior, nunc certasse creditur ne maiestate uestra uideretur obscurior.

III. O felix beatumque uer nouo partu, iam non amoenitate florum nec uiriditate segetum nec gemmis

---

2 deterreor **A W**: deteror **B C V** ‖ 3 ut] nisi *edd.* ‖ 4 quemuis **w** | imparem parem facis *Liuineius:* imparem facit **M** ‖ 7 diuiciarum **A** diuitiarum **C** ‖ 9 possim **M**, *corr. Acidalius* ‖ 17 Guntiensem *Rhenanus:* contiensem **M** *Bert.* | deuasta **C** deuastata *edd.* ‖ 18 alamania **B C** Mamania **V** ‖ 21 det *Acidalius:* de te **M** ‖ 29 creditur **A W** *Bert.:* dicitur **B C V**

uitium nec ipsis tantum fauoniis et luce sedata laetum atque uenerabile quantum ortu Caesarum maximorum! o tempus quo merito quondam omnia nata esse credantur, cum eodem nunc confirmata uideamus! o kalendae Martiae, sicuti olim annorum uoluentium, ita nunc aeternorum auspices imperatorum! quanta enim, inuictissimi principes, et uobis et rei publicae saecula propagatis orbis uestri participando tutelam? cuius licet esset omni hoste perdomito certa securitas, nimios tamen in diuersa discursus uel reuisenda poscebat. Partho quippe ultra Tigrim redacto, Dacia restituta, porrectis usque ad Danuuii caput Germaniae Raetiaeque limitibus, destinata Batauiae Britanniaeque uindicta, gubernacula maiora quaerebat aucta atque augenda res publica, et, qui Romanae potentiae terminos uirtute protulerant, imperium filio pietate debebant.

IV. Et sane praeter usum curamque rei publicae etiam illa Iouis et Herculis cognata maiestas in Iouio Herculioque principibus totius mundi caelestiumque rerum similitudinem requirebat. quippe isto numinis uestri numero summa omnia nituntur et gaudent: elementa quattuor et totidem anni uices et orbis quadrifariam duplici discretus oceano et emenso quater caelo lustra redeuntia et quadrigae solis et duobus caeli luminibus adiuncti Vesper et Lucifer. sed neque sol ipse neque cuncta sidera humanas res tam perpetuo lumine intuentur quam uos tuemini, qui sine ullo fere discrimine dierum ac noctium illustratis orbem salutique gentium non his modo quibus immortales uultus uestri uigent, sed multo

1 fauoniis *edd.:* fauonis **M** (fationis **W**) | sedata *scripsi:* serata **M** serena *uel* serenata *edd.* || 4 conf. **A** *Bert.:* conf. esse *cett.* || 8 saecula **W** *Bert.:* seculi **A** *om.* **B C V** | propagatis **w**: propagati **M** *Bert.* || 9 esset **A W** *Bert.: om.* **B C V** || 15 rep. **C** || 20 herculeoq; **W** || 22 omniū **A** || 23 clementia **C** | uices et orbis **A W** *Bert.: om.* **B C V** || 24 et] ut **A** | remenso *Bert.* || 25 lustra redeuntia **w**: lustrare deuntia (deuncia **A C**) **M** || 31 uigent] īgenii **B**

magis illis diuinarum mentium uestrarum oculis prouidetis nec solum qua dies oritur et praeterit et conditur, sed etiam ex illa septentrionali plaga salutari beatis luce prouincias: adeo, Caesar, uestra in orbem terrarum distributa beneficia prope plura sunt quam deorum. quibus ego si omnibus immorari uelim, neque hic dies mihi totus neque proximus neque porro ceteri sat erunt; et habenda ratio est temporis, Caesare stante dum loquimur.

V. Adumbratae sint igitur mihi Sarmaticae expeditiones quibus illa gens prope omnis extincta est et paene cum solo nomine relicta quo seruiat, dent ueniam trophaea Niliaca sub quibus Aethiops et Indus intremuit, contenta sit uoce gloriae suae etiam proxima illa ruina Carporum, reseruetur nuntiis iam iamque uenientibus Mauris immissa uastatio: aliis haec permittente maiestate uestra celebrabo temporibus; di immortales, uota suscipio ut ipsis qui gessere praesentibus. illa uero, Caesar inuicte, quae ductu atque auspicio numinis tui gesta sunt, quorum etiam spectaculo fruimur, sub hac occasione dignationis tuae sine dilatione dicenda sunt; eo magis quod, quamuis in communibus rei publicae bonis, necesse nobis maxime est gratulari quae propria nobis sunt.

VI. Statim itaque Gallias tuas, Caesar, ueniendo fecisti. siquidem illa celeritas, qua omnis ortus atque aduentus tui nuntios praeuertisti, cepit oppressam Gesoriacensibus muris pertinacem tunc errore

---

2 praeterit *Patarolus:* preteritur **M** ‖ 8 ratio est **A W** *Bert.:* est ratio **B C V** ‖ 9 cesares tante **A B** ‖ 10 adumbratae *scripsi:* adoratae **M** | sint *Acidalius:* sunt **M** ‖ 12 paene cum **B C V**: cum pene cum **A** cum pene (*ras. 4 litt.*) **W** ‖ 14 etiam] et **C** ‖ 16 uen. et mauris **w** ‖ 18 nota **W** ‖ 23 necesse nobis maxime est gratulari quae propria nobis sunt *scripsi:* necesse nobis que priora nobis sunt maxime sunt (scilicet *Bert.*) gratulari **M** *Bert.* necesse est quae propria nobis sunt maxime gratulari **w** ‖ 26 fecisti *Bert.:* uicisti **M** | omnes motus atque **w** ‖ 27 peruertisti **M** preuenisti **w** ‖ 28 Gesoriacensibus *Nic. Loensis:* gesorigiam censibus **A B C V** gergouiam (*marg.* al. gesorigia) censibus **W**

misero manum piraticae factionis atque illis olim mari fretis alluentem portas ademit oceanum. in quo diuina prouidentia tua et par consilio effectus apparuit, qui omnem illum sinum portus, quem statis uicibus aestus alternat, defixis in aditu trabibus ingestisque saxis inuium nauibus reddidisti atque ipsam loci naturam admirabili ratione superasti, cum mare frustra reciprocum prohibitis fuga quasi illudere uideretur iamque nullo usu iuuaret inclusos, quasi redire desisset. quaenam umquam mirabimur ualla castrorum post hoc nouum in mari uallum? quid erit mirum si qua murorum aut arieti non cesserit firmitas aut machinas despexerit altitudo? cum oceanus ille tanto libratus impetu, tanta mole consurgens, siue ulterioribus ut ferunt terris repulsus siue anhelitu quem respirat euectus seu quacumque alia ratione motus, nequaquam tua, Caesar, claustra perfregerit neque omnino conuellerit tot dierum ac noctium receptu recursuque; cum tot interim, qua terras circumfluit, litora solueret ripasque defringeret, uno illo, ut res est, loco aut potentia uestrae maiestatis inferior aut pro debito uobis honore clementior.

VII. Xerxes, ut audio, Persarum rex potentissimus, pedicas iecit aureas in profundum, Neptunum se dictitans alligare quia fluctibus ferociret: stulta ille iactantia et sacrilega uanitate. at enim tua, Caesar, diuina prouidentia et efficaci est usa con-

1 misero romanum pir. M ‖ 3 effectus *edd.*: affectus M ‖ 5 statutis uicibus W m | defixit C ‖ 6 ingestisque — nauibus *om.* C | manibus A ‖ 9 iamque *Liuineius:* tamq; A W tamquam B C V ‖ 10 usquam *Liuineius* ‖ 12 murorum w: uirorum M ‖ 14 liberatus C ‖ 16 quem W: que A B m r quae V u quo *edd.* ‖ 17 nequaquam w: quamquam M numquam *edd.* | tua B C V w: tu A ‖ 19 receptu] *malim* recessu ‖ 20 diffringeret *Liuineius;* refringeret *Acidalius* ‖ 21 uno] ut A | potentia w: potentie M ‖ 24 Xerxes C: Xerses M ‖ 26 quia A W *Bert.* r (?): qui B V u quod m | ferociter W | stulta w u: stulla A B V r stulta stulla m; *an* rulla? *cf. mus. Rhen. XVII 469, XXIV 331* ‖ 28 efficaci ς: efficacia (*uel* -tia) M

silio nec insultauit elemento ut non prouocaret odium, sed mereretur obsequium. quid enim aliud interpretemur, cum, statim atque obsidionem necessitas et clementiae uestrae fides soluerat, eadem claustra qui primus incubuit aestus irruperit totaque illa, quoad usus fuit, inuicta fluctibus acies arborum ueluti signo dato et peracta statione dilapsa sit? ut nemo dubitaret portum illum, qui piratae, ne suis opem ferret, occlusus fuisset, uobis ad uictoriam sponte patuisse. potuisset enim, Caesar inuicte, illo uirtutis ac felicitatis tuae impetu totum peragi continuo bellum, nisi aedificandis nauibus dari tempus rei necessitudo suasisset. quo tamen omni numquam ab eorum hostium euersione cessatum est quos adiri continens terra permisit.

VIII. Quamquam illa regio diuinis expeditionibus tuis, Caesar, uindicata atque purgata, quam obliquis meatibus Vahalis interfluit quamque diuortio sui Rhenus amplectitur, paene, ut cum uerbi periculo loquar, terra non est: ita penitus aquis inbuta permaduit ut non solum qua manifeste palustris est cedat ad nisum et hauriat pressa uestigium, sed etiam ubi paulo uidetur firmior pedum pulsu temptata quatiatur et sentire se procul mota pondus testetur. ita, ut res est, subiacentibus innatat et suspensa late uacillat, ut merito quis dixerit exercendum fuisse tali solo militem ad nauale certamen. sed neque illae fraudes locorum nec quae plurima inerant perfugia siluarum barbaros tegere potuerunt quominus dicioni tuae diuinitatis omnes sese dedere

5 incubuit **W**: insubuit **A** insiluit **B C V** ‖ 9 ferret *edd.*: ferrent **M** ‖ 10 enim] enimuero *Liuineius* etiam *Arntzenius* ‖ 13 omni tempore numq. **w** ‖ 18 Uahalis *Iunius*: caldis **A** *Bert.* scaldis **W** calidis **B C V** | quamquam diu. **A B** ‖ 21 qua **w**: quam **M** (qui **B**) ‖ 22 uisum **A C** ‖ 24 quatitur **w** | pondus mota **w** ‖ 25 aquis subiacentibus **w** ‖ 27 tali solo militē **w**: talis (tallis **C**) solo milite **M** ‖ 28 plurima *Jaegerus*: plura **M** | inerant **A W**: inhereant **B C V** ‖ 30 sese dedere **C V**: sesedere **A** secedere **W** sese degere **B**

cogerentur et cum coniugibus ac liberis ceteroque examine necessitudinum ac rerum suarum ad loca olim deserta transirent ut, quae fortasse ipsi quondam depraedando uastauerant, culta redderent seruiendo.

IX. Quis hoc umquam futurum, etiamsi coram uoluisset affari, deus ante uos principes persuadere potuisset quod nunc uidimus et uidemus: totis porticibus ciuitatum sedere captiua agmina barbarorum, uiros attonita feritate trepidantes, despicientes anus ignauiam filiorum, nuptas maritorum, uinculis copulatos pueros ac puellas familiari murmure blandientes atque hos omnes prouincialibus uestris ad obsequium distributos, donec ad destinatos sibi cultus solitudinum ducerentur. insultare hercule communi Galliarum nomine libet *et*, quod pace uestra loquar, ipsis triumphum assignare prouinciis. arat ergo nunc mihi Chamauus et Frisius et ille uagus, ille praedator exercitio squalidus ruris operatur et frequentat nundinas meas pecore uenali et cultor barbarus taxat annonam. quin etiam si ad dilectum uocetur, accurrit et obsequiis teritur et tergo cohercetur et seruire se militiae nomine gratulatur. quid faciam, Caesar? ignosce, si moror; ignosce, si propero: multa enim illius temporis, quo transitus in Britanniam parabatur, admirabilia uirtutum tuarum facta praetereo, dum festino cupidus ad singularem illam uictoriam, qua uniuersa res publica tandem est uindicata. cuius magnitudo, Caesar inuicte, hactenus explicabitur ut prius dicam quam necessarium illud

---

2 examine] agmine **w** || 7 uoluisset **w**: uoluistis et **M** || 10 respicientes **M**, *corr. Eyssenhardtus* || 11 nuptias **C** | copulatos *Eyssenhardtus:* copulatas **M** | copulatas uinculis **B C V** || 12 murmurare **A** | 13 hoc **C** || 15 hercule *edd.:* herculi **M** (herculii **W**) || 16 libet et *Liuineius:* libet **M** || 18 Chamauus *Langius:* Chamaus **A W** *Bert.* chamus **B C V** || 19 squalidus ruris *scripsi:* squali rudis **M** *Bert.* exercitia squalidi ruris **w** || 20 taxat *ego:* laxat **M** || 24 Caesar *Bert.:* Caesar auguste **M** || 30 si prius **w**

et difficile bellum fuerit *quam* quo magistro confectum sit.

X. Minus indignum fuerat sub principe Gallieno quamuis triste harum prouinciarum a Romana luce discidium. tunc enim siue incuria deum siue quadam inclinatione fatorum omnibus fere membris erat truncata res publica: tunc se nimirum et Parthus extulerat et Palmyrenus aequauerat; tota Aegyptus, Syriae defecerant; amissa Raetia; Noricum Panno-niaeque uastatae; Italia ipsa gentium domina plurimarum urbium suarum excidia maerebat: non erat causa tum doloris in singulis, cum paene omnibus careretur. nunc uero toto orbe terrarum non modo qua Romanus fuerat uirtute uestra recepto, sed etiam qua hostilis edomito, cum totiens proculcata esset Alamannia, totiens obtrita Sarmatia, Iuthungi Quadi Carpi totiens profligati, summittente se Gotho pace poscenda, supplicante per munera rege Persarum, urebat animos (quod nunc denique confitemur) una illa tanti imperii contumelia eoque nobis intolerabilior uidebatur quod gloriae sola restabat.

XI. Et sane non, sicut Britanniae nomen unum, ita mediocris erat iactura rei publicae terra tanto frugum ubere, tanto laeta numero pastionum, tot metallorum fluens riuis, tot uectigalibus quaestuosa, tot accincta portibus, tanto immensa circuitu. quam

1 quam *add. Acidalius: om.* **M** | magistro *scripsi l. l. p. 217:* magis **M** ‖ 3 galieno **C W** ‖ 4 romana luce **w**: roma luce **M** romano duce *edd.* ‖ 5 dissidium **A B C V** | deum *scripsi coll. Flor. I 7 in.:* rerum **M** deorum *Eyssenhardtus* ‖ 7 nimirum *Acidalius:* nimium **M** medus **w** | partius **A** ‖ 8 Palymirenus **M** ‖ 9 et syrie **w** Syriaeque *Liuineius* | noritium **B V** ‖ 12 causa (cã) tum *scripsi:* tantum **M** tanti dolere in *Liuineius* ‖ 13 quateretur *Liuineius* ‖ 16 obtrita *edd.:* obstricta **M** | Iuthungi *Sirmondus:* uitungi **M** ‖ 17 quadri **A** | summittente se **w**: summittentes e **A** submittentes se **B C V** ‖ 18 regem **M** ‖ 19 animos *scripsi:* animo **M** animum *edd.* ‖ 23 mediocri *Liuineius* | iacture **A** iacturae erat **B C V** ‖ 24 pastionum **A B W** *Bert.:* pascua sunt **C V** pascuorum *edd.* ‖ 26 portubus *edd.; cf. Neue, Formenl. I p. 376* | quam **w**: qua **M**

Caesar ille auctor uestri nominis cum Romanorum primus intrasset, alium se orbem terrarum scripsit repperisse, tantae magnitudinis arbitratus ut non circumfusa oceano, sed complexa ipsum oceanum uideretur. sed enim illa aetate nec Britannia ullis erat ad nauale bellum armata nauigiis et Romana res inde iam a Punicis Asiaticisque bellis, etiam recenti exercitata Piratico et posteriore Mithridatico, non magis terrestri quam nauali usu uigebat. ad hoc natio etiam tunc rudis et solis [Britanni] Pictis modo et Hibernis assueta hostibus, adhuc seminudis, facile Romanis armis signisque cessit, prope ut hoc uno Caesar gloriari in illa expeditione debuerit quod nauigasset oceanum.

XII. Isto uero nefario latrocinio abducta primum a fugiente pirata classe, quae olim Gallias tuebatur, aedificatisque praeterea plurimis in nostrum modum nauibus, occupata legione Romana, interclusis aliquot peregrinorum militum cuneis, contractis ad dilectum mercatoribus Gallicanis, sollicitatis per spolia ipsarum prouinciarum non mediocribus copiis barbarorum atque his omnibus ad munia nautica flagitii illius auctorum magisterio eruditis, exercitibus autem uestris licet inuictis uirtute, tamen in re maritima nouis: malam coaluisse ex indignissimo latrocinio belli molem pauebamus, licet de exitu fideremus. nam et accesserat diuturna sceleris impunitas quae desperatorum hominum inflarat audaciam, ut illam inclementiam maris, quae uictoriam uestram fatali quadam necessitate distulerat, pro sui terrore iacta-

5 enim **A**: cum **W** eam **C V** ea **B** ‖ 8 posteriore *scripsi:* propriore **M** propiore *Bert.* priore *Liuineius* ‖ 10 etiam natio tunc *Bert.* | rudes **A V u** | solis **w**: soli **M** | Britanni *seclusi* ‖ 11 assueti *et* seminudi **w** ‖ 12 cessit *scripsi:* cesserunt **M** ‖ 16 tuebat **A B C V** ‖ 17 que *om.* **C** ‖ 23 auctoris *Bert. Cusp.* ‖ 24 uestris **A C V W** *Bert.:* nostris **B** *edd.* ‖ 25 malam] magnam *Acidalius; an* tantam? ‖ 26 pauebamus *scripsi:* audebamus **A B C V** *Bert.* audiebamus **W** *edd.* ‖ 29 nostram fat. *edd.*

rent nec consilio intermissum esse bellum, sed desperatione omissum crederent, adeo ut iam communis poenae timore deposito archipiratam satelles occideret et illud auctoramentum tanti discriminis putaret imperium.

XIII. Hoc igitur bellum tam necessarium, tam difficile aditu, tam inueteratum, tam instructum ita, Caesar, aggressus es ut, statim atque illo infestum maiestatis tuae fulmen intenderas, confectum omnibus uideretur. nam primo omnium (in quo praecipue consulendum fuit), ne quid barbarae nationes conuerso illuc numine tuo nouare temptarent, inuocata patris tui maiestate prouisum est. tu enim ipse, tu domine Maximiane, imperator aeterne, nouo itineris compendio aduentum diuinitatis tuae accelerare dignatus repente Rheno institisti omnemque illum limitem non equestribus neque pedestribus copiis, sed praesentiae tuae terrore tutatus es. quantoslibet ualebat exercitus Maximianus in ripa. tu uero, inuicte Caesar, instructis armatisque diuersis classibus ita hostem incertum consiliique inopem reddidisti ut tunc denique senserit quod non munitus esset oceano, sed inclusus.

XIV. Hoc loco uenit in mentem mihi quam delicata illorum principum fuerit in administranda republica et adipiscenda laude felicitas, quibus Romae degentibus triumphi et cognomina deuictarum a ducibus suis gentium proueniebant. itaque Fronto, Romanae eloquentiae non secundum, sed alterum decus, cum belli in Britannia confecti laudem Antonino principi daret, quamuis ille in ipso urbis

1 esse bellum **A W** *Bert.:* bellum esse **B C V** ‖ 2 communi **W** omnis paene *Bert.*, *unde* omni paene (pene **M**) timore *Fr. Modius* ‖ 4 tanti criminis *Liuineius* ‖ 9 flumen **C** ‖ 10 uideatur **A** ‖ 13 tui] tue **C** ‖ 15 accelerare — 18 praesentiae tuae *om.* **V** ‖ 26 et ad. laude *Bert.:* et ad. reip. laude **C W** et ad. rep. laude **A B** laude **V** *om.* et ad. ‖ 27 aduicibus **A** ‖ 28 peruen. **A** ‖ 30 antonio **C**

Palatio residens gerendi eius mandasset auspicium, ueluti longae nauis gubernaculis praesidentem totius uelificationis et cursus gloriam meruisse testatus est. at enim tu, Caesar inuicte, omnis istius et nauigationis et belli non modo pro imperii iure praeceptor, sed rebus ipsis et exemplo constantiae tuae hortator atque impulsor fuisti. prior siquidem a Gesoriacensi litore quamuis feruidum inuectus oceanum etiam illi exercitui tuo, quem Sequana amnis inuexerat, irreuocabilem iniecisti mentis ardorem, adeo ut cunctantibus adhuc ducibus, caelo et mari turbidis, ultro signum nauigationis exposceret, quaedam minacia indubitanter signa contemneret, die pluuio uela faceret, uentum, quia derectus non erat, captaret obliquum. quis enim se quamlibet iniquo mari non auderet credere te nauigante? omnium, ut dicitur, accepto nuntio nauigationis tuae una uox et hortatio fuit: 'quid dubitamus? quid moramur? ipse iam soluit, iam prouehitur, iam fortasse peruenit. experiamur omnia, per quoscumque fluctus eamus. quid est quod timere possimus? Caesarem sequimur.'

XV. Nec fefellit opinio uestrae felicitatis, siquidem, ut ex ipsorum relatione comperimus, ad *id* tempus ipsum tantae se dorso maris nebulae miscuerunt ut inimica classis aput Uectam insulam in speculis atque insidiis collocata ignorantibus omnino hostibus praeteriretur nec uel moraretur impetum, quamuis non posset obsistere. iam uero quod idem ille uestro auspicio inuictus exercitus, statim atque Britanniae litus inuaserat, uniuersis nauibus suis

---

7 prior *om.* **C** | a Gesoriacensi *Liuineius:* a gesorigiacensi *Bert.* magis origiacensi **M** agis origiacensi **w** ‖ 9 quem in Sequanam **w** | Sequana amnis *Hauptius Herm. IV p. 151:* sequanam nisi **M** *Bert.* ‖ 12 exposcere **C** ‖ 13 indubitanter signa *scripsi:* uidebatur signa **M** (signa uidebatur **C**) signa quae uidebantur *edd.* | contempnere **W** ‖ 14 derect. **A**: direct. **BCVW** ‖ 17 nuntio *om.* **A** ‖ 18 fuerit **A** ‖ 23 id *addidi:* *om.* **M** ‖ 27 nec uel *Eyssenhardtus:* ne uel **M**

iniecit ignes, quinam alii nisi diuinitatis uestrae monitus impulerunt? aut quae alia ratio persuasit nullum praesidium fugae reseruare nec uereri dubia bellorum nec Martem, ut dicitur, putare communem? nisi quod uestri contemplatione constabat de uictoria non posse dubitari? non illi tunc *uulgares* uires, non humana robora, sed uestra numina cogitauerunt. proposito qualicumque proelio certam sibi spondere fortunam non tam est fiducia militum quam felicitas imperatorum. ipse ille autem signifer nefariae factionis cur ab eo litore quod tenebat abscessit? cur classem portumque deseruit? nisi quod te, Caesar inuicte, cuius imminentia uela conspexerat, timuit iam iamque uenturum. utcumque cum ducibus tuis maluit experiri quam praesens maiestatis tuae fulmen excipere. demens qui nesciebat, quacumque fugeret, ubique uim uestrae diuinitatis esse, ubi uultus uestri, ubi signa colerentur.

XVI. Te tamen ille fugiens incidit in tuorum manus, a te uictus a tuis exercitibus oppressus est. denique adeo trepidus et te post terga respiciens et in modum amentis attonitus properauit ad mortem ut nec explicarit aciem nec omnes copias quas trahebat instruxerit, sed cum ueteribus illius coniurationis auctoribus et mercennariis cuneis barbarorum tanti apparatus oblitus irruerit. adeo, Caesar, etiam hoc reipublicae tribuit uestra felicitas ut nemo fere Romanus occiderit imperio uincente Romano. omnes enim illos, ut audio, campos atque colles non nisi taeterrimorum hostium corpora fusa texerunt. illa barbara aut imitatione barbariae olim cultu uestis et prolixo crine rutilantia, tunc uero puluere et

---

2 impulerunt **A W**: implerunt **B C V** || 6 uulgares *addidi: om.* **M** || 7 humana] Romana *edd.* || 12 classum **A** || 15 flumen **C** || 16 fugeret **A C** *Bert.:* fugerat **B V W** || 17 *an* ibi uultus uestros ubi signa*?* || 24 illius *edd.:* illis **M** *Bert.* || 26 hoc etiam **C** || 30 ita illa barb. *Bert.* || 31 culta ς

cruore foedata et in diuersos situs tracta, sicuti dolorem uulnerum fuerant secuta, iacuerunt, atque inter hos ipse uexillarius latrocinii, cultu illo quem uiuus uiolauerat sponte deposito et uix unius uelaminis repertus indicio. adeo uerum sibi dixerat morte uicina, et interfectum se nolle agnosci.

XVII. Enimuero, Caesar inuicte, tanto deorum immortalium tibi est addicta consensu omnium quidem quos adortus fueris hostium, sed praecipue internecio Francorum ut illi quoque milites uestri qui per errorem nebulosi, ut paulo ante dixi, maris abiuncti ad oppidum Londiniense peruenerant, quicquid ex mercennaria illa multitudine barbarorum proelio superfuerat, cum direpta ciuitate fugam capessere cogitarent, passim tota urbe confecerint et non solum prouincialibus uestris in caede hostium dederint salutem, sed etiam in spectaculo uoluptatem. o uictoria multiiuga et innumerabilium triumphorum, qua Britanniae restitutae, qua Francorum *opes* penitus excisae, qua multis praeterea gentibus in coniuratione illius sceleris deprehensis imposita est necessitas obsequendi, denique *qua* ad perpetuam quietem maria purgata sunt! gloriare tu uero, Caesar inuicte, alium te orbem terrarum repperisse, qui Romanae potentiae gloriam restituendo naualem addidisti imperio terris omnibus maius elementum. confecisti, inquam, bellum, Caesar inuicte, quod cunctis impendere prouinciis uidebatur tamque late

---

1 sydata A | tracta *Bert.*: strata A W structa B C V || 4 uelaminis *om. Bert.*, *unde rescripserim* uix uultus rep. indicio; *Liuineius* uel alterius *coni.* || 6 et] ut A w | nolle *scripsi:* nollet M || 8 addita C | consensu A W: consensui B C V consensu uictoria *edd.* || 9 internectio W: interuectio A B C V *Bert.* || 12 Londiniense A B V: londonense *Bert.* londoniense W londunensem C || 15 confecerint w: confecerunt M || 16 solum A B V *Bert.*: solam C W || 17 dederint w: dederunt M || 19 opes *addidi: om.* M uires *add.* w || 22 qua *addidi: om.* M || 23 uero tu A *Cusp.* || 24 reperisse terrarum w

uagari et flagrare poterat quam late omnis oceanus et mediterranei sinus alluunt.

XVIII. Neque enim, si metu uestri lues illa solis Britanniae uisceribus incubuit, idcirco nescimus quanto se alias furore iactasset, si fiduciam peruagandi qua patebat habuisset. nullo siquidem certo fine montium aut fluminum terminabatur quem dispositae limitis custodiae tuerentur, sed ubique, uanis licet ob uirtutem felicitatemque uestram, magnis tamen terroribus imminebat, qua patent maria quaque uenti ferunt. recursabat quippe in animos illa sub diuo Probo paucorum ex Francis captiuorum incredibilis audacia et indigna felicitas, qui a ponto usque correptis nauibus Graeciam Asiamque populati nec impune plerisque Libyae litoribus appulsi ipsas postremo naualibus quondam uictoriis nobiles ceperant Syracusas et immenso itinere peruecti oceanum, qua terras irrumpit, intrauerant atque ita euentu temeritatis ostenderant nihil esse clausum piraticae desperationi, quo nauigiis pateret accessus. itaque hac uictoria uestra non Britannia solum seruitute est liberata, sed omnibus nationibus securitas restituta quae maritimo situ tantum in bello adire periculi poterant quantum in pace commodi consequuntur. nunc secura est, ut de latere Gallico taceam, quamuis paene conspicuis litoribus Hispania, nunc Italia, nunc Africa, nunc omnis usque ad Maeotias paludes perpetuis curis uacant gentes. nec idcirco minoribus gaudiis feruntur dempti periculi miseri quod experiundi necessitate carue-

3 luis A ‖ 4 incubuit *scripsi:* intabuit M ‖ 9 ob *scripsi:* uobis M motibus apud w ‖ 10 patent *scripsi l. l. p. 218:* iacent M ‖ 11 quaque A W *Bert.*: qua B C V ‖ 18 irrumpit B W (w?) u: irrupit m r V *Bert.* inrupit A ‖ 23 situ *ego:* usu M ‖ 27 omnes B C V W ‖ 28 meotias w: metias (miecias *Bert.*) M ‖ 29 ferunt A B C | dempto *edd.* ‖ 30 miseri *scripsi:* meri M metu w *edd.* | quod A V W: quam C que B

runt, sed hoc ipsum et in administratione prouidentiae uestrae et in refectione fortunae impensius gratulantur quod tanta illa uis nauticae rebellionis in uestigiis suis concidit. atque ipsam Britanniam, quae sedem tam diuturno sceleri praebuisset, constat uictoriam uestram sola sui restitutione sensisse.

XIX. Merito igitur statim atque ad litus illud exoptatus olim uindex et liberator appuleras, obuius sese maiestati tuae triumphus effudit exultantesque gaudio Britanni cum coniugibus ac liberis obtulerunt, non te ipsum modo, quem ut caelo delapsum intuebantur, sed etiam nauis illius, quae tuum numen aduexerat, uela remigiaque uenerantes paratique te ingredientem stratis sentire corporibus. nec mirum si tanto gaudio ferebantur post tot annorum miserrimam captiuitatem, post uiolatas coniuges, post liberorum turpe seruitium tandem liberi tandemque Romani, tandem uera imperii luce recreati. siquidem praeter illam clementiae uestrae pietatisque famam, quae communi gentium uoce celebratur, in ipso, Caesar, tuo uultu uidebant omnium signa uirtutum: in fronte grauitatis, in oculis lenitatis, in rubore uerecundiae, in sermone iustitiae. quae singula ut respectantes aduerterant, laetitiae clamoribus concinebant: uobis se, uobis liberos suos, uestris liberis omnis generis sui posteros deuouebant.

XX. Nos quidem certe, o perpetui parentes et domini generis humani, hoc a dis immortalibus omni uotorum nuncupatione deposcimus ut liberi nepotesque nostri et siqua omnibus saeculis erit

---

1 *post* administratione **M** *add.* uel, *del.* w, *om. Bert.* ‖ 2 in refectione *scripsi:* infectione **M** in feliciore w confectione *Liuineius* effectione *uel* festinatione *Gruterus* | fortuna **A W** ‖ 5 tam *om.* **W** ‖ 6 uestram *post* uictoriam **A W** *Bert.*, *post* sensisse **B C V** *ponunt* | sui] tui *Liuineius* ‖ 9 maiestati **W**: maiestatis **A B C V** ‖ 11 ut *om.* **W** ‖ 17 tandemque — 19 siquidem *om.* **W** ‖ 20 celebratur **A**: celebrabatur **B C V W** *Bert.* ‖ 24 aduerterant **W**: aduenerant *Bert.* adnouerant **A B V** annouerant **C** agnou. *edd.* ‖ 26 omnes w: omnibus **M** ‖ 27 certo o **M**

duratura progenies cum uobis, tum etiam his quos educatis atque educabitis dedicentur. quid enim melius posteris nostris optare possumus quam quo fruimur ipsi? tenet uno pacis amplexu Romana res publica, quicquid uariis temporum uicibus fuit aliquando Romanum, et illa quae saepe ueluti nimia mole defluxerat magnitudo tandem solido cohaesit imperio. nihil ex omni terrarum caelique regione non aut metu quietum est aut armis domitum aut pietate deuinctum. et ex aliis quidem partibus aliqua restant quae, si uoluntas uel ratio rerum desiderent, possitis acquirere: ultra oceanum uero quid erat praeter Britanniam? quae a uobis ita reciperata est ut illae quoque nationes terminis eiusdem insulae cohaerentes uestris nutibus obsequantur. nulla progrediendi causa superest nisi si, quod natura uetuit, fines ipsius quaerantur oceani. omnia, inquam, inuictissimi principes, uestra sunt quae sunt digna uobis. et inde est quod consulere singulis aequaliter licet, cum uniuersa teneatis.

XXI. Itaque sicuti pridem tuo, Diocletiane Auguste, iussu impleuit deserta Thraciae translatis incolis Asia, sicut postea tuo, Maximiane Auguste, nutu Neruiorum et Treuirorum arua iacentia uelut postliminio restitutus et receptus in leges Francus excoluit: ita nunc per uictorias tuas, Constanti Caesar inuicte, quicquid infrequens Ambiano et Bellouaco et Tricassino solo Lingonicoque restabat, barbaro cultore reuirescit. quin etiam illa, cuius

1 cum] tum **C** || 4 teneat **w** || 6 sepius **C** || 7 defluxerat **B w**: defluxerant **A C** difluxerant **V** | solito **C** || 11 uoluptas **A** | rerum **A W** *Bert.: om.* **B C V** || 12 uero] non **C** || 13 recip. **A**: recup. *cett.* || 18 digna sunt *Bert.* || 21 Auguste *om.* **W** || 22 iussu impleuit *Bert.:* iussuppleuit **A V** iussu suppleuit **C** iussu **B w** || 23 Asia *edd.:* Asia compleuit **M** || 24 nutu *om. Bert.* | neruiorum **w**: aruiorum **M**, *nisi quod* arinorum **m** armorum **r** | uelut *Langius:* laetus **M** Laetus *Ualesius*, *alii* || 26 Constanti *edd.:* Constantine **M** || 28 trigassino (trigrass. **A**) **M** | restabat barbaro *Cusp.:* restababat baro *Bert.* restabat baro (barro **w**) **M**

nomine mihi peculiariter gratulandum, deuotissima uobis ciuitas Aeduorum ex hac Britannicae facultate uictoriae plurimos, quibus illae prouinciae redundabant, accepit artifices et nunc extructione ueterum domorum et refectione operum publicorum et templorum instauratione consurgit. nunc sibi redditum uetus illud Romanae fraternitatis nomen existimat, cum te rursus habeat conditorem. dixi, Caesar inuicte, prope plura quam potui, sed pauciora quam debui, ut iustissima mihi causa sit propitio numine tuo et nunc desinendi et saepe dicendi.

VI.

INCERTI

PANEGYRICUS MAXIMIANO ET CONSTANTINO

DICTUS.

I. Dixerint licet plurimi multique dicturi sint ea quibus omnia facta uestra summarumque uirtutum merita laudantur, sacratissimi principes, Maximiane, uelis nolis, semper Auguste, et Constantine, oriens imperator: mihi tamen certum est ea praecipue isto sermone complecti quae sunt huius propria laetitiae qua tibi Caesari additum nomen imperatoris et istarum caelestium nuptiarum festa celebrantur. cetera enim in rem publicam uestra beneficia possunt multis occasionibus diuersorum temporum praedicari: huic uoto propria nunc debetur oratio quod semel factum futurum est sempiternum. equidem scio gaudentium studia nunc ita toto orbe florescere, qua-

---

16 dixerunt **A V W** sunt **W** ‖ **19** nobis **A** ‖ **22** imperatoris *Acidalius:* imperii **M** ‖ **23** feste **A** ‖ **24** beneficia uestra **B C V** ‖ **26** semel est factum **W**

cumque Fama ultra naturam qua fingitur discursus uolucres mutuata et plus quam mille uocibus sonora percrebuit, ut omnium nationum gratulationibus consecretur (*et* quid rebus humanis contingere potuit aut nobilius ad gloriam aut certius ad salutem quam quod pristinae uestrae concordiae perpetuaeque pietati hoc quoque pignus accessit, summorum nominum artissima coniunctione uenerabile, ut imperatori filiam collocauerit imperator?): sed tamen nos oportet omnes homines exultatione superare, qui hoc tantum rei publicae bonum praesentes intuemur et ipsa uultuum uestrorum contemplatione sentimus ita conuenisse uos, ita non dexteras tantum, sed etiam sensus uestros mentesque iunxisse ut, si fieri possit, transire inuicem in pectora uestra cupiatis.

II. Quid enim aut tu carius dare aut tu carius accipere potuisti? cum hac affinitate uestra et tibi, Maximiane, per generum iuuenta renouata sit et tibi, Constantine, per socerum nomen imperatoris accreuerit. maximas itaque uobis, aeterni principes, publico nomine gratias agimus, quod suscipiendis liberis optandisque nepotibus seriem uestri generis propagando omnibus in futurum saeculis prouidetis, ut Romana res olim diuersis regentium moribus fatisque iactata tandem perpetuis domus uestrae radicibus conualescat tamque sit immortale illius imperium quam sempiterna soboles imperatorum. haec est uera pietas, haec uoluptas conseruandi generis humani, exemplum dare gentibus ad matrimonia studiosius expetenda et liberos educandos, ut substituendis successionibus singulorum nihil obsit unumquemque esse mortalem, cum immortalis sit omnium posteritate res publica. quare, si leges eae quae multa

---

1 ultra; *malim* iuxta || 4 et *addidi: om.* **M** quid enim *Cusp.* || 5 aut] ut **A** uel **W** | nobilitas **A** || 12 uultum **A** | nostrorum **W** || 13 dextras **V** || 15 inuicem *om.* **W** || 22 propagando ς: prorogando **M** || 26 coalescat *edd.* || 28 uoluntas *Acidalius* || 32 omni **A W** omnium in *Bert.* || 33 ee **W**: e **A** hae **B C V**

caelibes notauerunt, parentes praemiis honorarunt, uere dicuntur esse fundamenta rei publicae, quia seminarium iuuentutis et quasi fontem humani roboris semper Romanis exercitibus ministrarunt: quod huic uestro in rem publicam merito possumus dignum nomen ascribere? qui non *per* plebeia germina, sed imperatoria stirpem rei publicae propagatis, ut, quod millesimo anno post urbem conditam euenisse tandem gratulabamur, ne mutatoria per nouas familias communis salutis gubernacula traderentur, id exin omnibus duret aetatibus, imperatores semper Herculii.

III. Quemnam igitur utriusque uestrum praeconii ac uenerationis ordinem faciam? adhuc enim de amborum in hanc necessitudinem congruentibus uotis communiter dixi. et te quidem sentio, senior Auguste, maiestate praecedere, te sequi, iunior imperator. sed profecto sicut tuo, Constantine, socero ante est conciliata diuinitas quam ab eo pignus ipsi carissimum postulares, ita nunc quoque in hac gratulatione prius illa dicenda sunt quae in te considerans tantus iste et paterni et tui auctor imperii laetatus est quod petisti. o diuinum tuum, Maximiane, iudicium, qui hunc tibi iure adoptionis nepotem, maiestatis ordine filium etiam generum esse uoluisti! diui, inquam, Constantii filium, in quem se prima illius iuuenta transfudit, in cuius ore caelestes illius uultus natura signauit, qui aspectum illius ad deorum concilia translati adhuc desiderantibus nobis sufficit pro duobus. neque enim forma

---

3 roboris *Gruterus:* corporis **M** ‖ 5 nomen dignum **B** ‖ 6 p *addidi: om.* **M** | plebeio germine *Acidalius* ‖ 7 imperatoria stirpem *scripsi:* imperatoria stirpe **M** imperatoriam stirpem **w** | remp. *edd.* ‖ 10 id exin (*uel* dein) *scripsi:* id ex **M** *Bert.* id est *edd.* id est, ex hoc *Liuineius* idem *Gruterus* ‖ 12 Herculii **W**: herculi **A B V** herculei **C** ‖ 13 quemnam] quemnō **A** quem *Bert.* ‖ 16 uotis *Iuretus:* uobis **M** ‖ 19 ante te c. ciuitas *Bert.* | quam *Puteanus:* cum **M** ‖ 20 postulares ita **C**: postulare sit an **M** postulasti ita **w** ‖ 26 diui **B C V w**: diuini **A** | Constanti **A**

tantum in te patris, Constantine, sed etiam continentia fortitudo, iustitia prudentia sese uotis gentium praesentant.

IV. Quomodo enim magis continentiam patris aequare potuisti quam quod te ab ipso fine pueritiae ilico matrimonii legibus tradidisti? ut primo ingressu adulescentiae formares animum maritalem, nihil de uagis cupiditatibus, nihil de concessis aetati uoluptatibus in hoc sacrum pectus admitteres, nouum iam tum miraculum, iuuenis uxorius. sed, ut res est, mente praesaga omnibus te uerecundiae obseruationibus imbuebas, talem postea ducturus uxorem. fortitudinem autem illius iam tum in principiis consecutus es. multa ille Francorum milia, qui Batauiam aliasque cis Rhenum terras inuaserant, interfecit depulit, cepit abduxit: tu iam ab ipsis eorum regibus auspicatus es simulque et praeterita illorum scelera punisti et totius gentis lubricam fidem timore uinxisti. liberauit ille Britannias seruitute: tu etiam nobiles illic oriendo fecisti. plurimas ille barbaras nationes uictoriis domuit, uenia mitigauit: tibi cunctis hostibus alacritatis tuae terrore compressis interim deest materia uincendi.

V. Iustitiam uero patris atque pietatem sic imitaris et sequeris ut omnibus ad te confugientibus diuersamque opem aut contra aliorum iniurias aut pro suis commodis postulantibus quasi legata patris uidearis exsoluere idque ipsum coram gaudeas praedicari, quicquid tu iuste ac liberaliter feceris, filium Constantii necessario praestitisse. nam quid ego de prudentia dicam, qua te paene credimus fore ipso patre potiorem? qui ueteres illos Romanae rei publicae principes, superiorem Africanum Pompeium-

4 quomodo] quo C *edd.* ‖ 14 es w: est M ‖ 16 illorum] eorum A ‖ 19 iunxisti C V ‖ 21 uictoriis domuit *ego:* uictores domuit A uictor (*ras. 2 litt.*) edomuit w uictor domuit B C V uictoria domuit *Cusp.* ‖ 30 necesse A | praestitisse *Langius:* praestitisti M

que Magnum aetatis cursum uirtute praeuectos tam mature sumpto uincis imperio tantarumque rerum sustines molem incipiente iuuentute. gesseris enim licet multa fortiter, multa sapienter, cum per maximos tribunatus stipendia prima conficeres, sentias necesse est tantae auspicia fortunae, imperator adulescens. quamquam quid ego in te aetatis tuae potius quam grauitatis nomen usurpo? cuius tanta maturitas est ut, cum tibi pater imperium reliquisset, Caesaris tamen appellatione contentus expectare malueris ut idem te qui illum declararet Augustum. siquidem ipsum imperium hoc fore pulcrius iudicabas, si id non hereditarium ex successione creuisses, sed uirtutibus tuis debitum a summo imperatore meruisses.

VI. Neque enim dubium quin tibi mature sacrum istud fastigium diuinae potestatis *is* astrueret qui te iam olim sibi generum, etiam ante *quam* petere posses, sponte delegerat. hoc enim, ut audio, imago illa declarat in Aquileiensi palatio ad ipsum conuiuii posita aspectum, ubi puella iam diuino decore uenerabilis, sed adhuc impar oneri, sustinet atque offert tibi etiam tum puero, Constantine, galeam auro gemmisque radiantem et pinnis pulcrae alitis eminentem, ut te, quod uix ulla possunt habitus ornamenta praestare, sponsale munus faciat pulcriorem. fortunatus pictor ille quisquis fuit et, quamuis Apellem ipsum *et ipsum* Parrhasium scientia uicerit, materia tamen imaginis quam arte felicior! quamquam enim ipsi ferant difficillimam esse praecipuae cuiusque formae

---

1 cursu **w** | praeuectos *Langius:* prouectos **M** ‖ 3 iuūtute *scripsi:* uirtute **M** ‖ 4 licet multa fortiter **A W**: multa fortiter licet **B C V** ‖ 13 creuisses] cepisses **w** ‖ 16 nature **A** ‖ 17 is *addidi: om.* **M** ‖ 18 quam *add.* **w**: *om.* **M** ‖ 20 aquilegiensi **w**: aquilensi **M** ‖ 20 conuiuii] conubii *Iuretus* ‖ 22 oneri suo sustinet (substinet **B C V**) **M**; suo *dittographum deleui* ‖ 23 Constantine *om.* **B C V** ‖ 24 pinnis *Bert.* **B C V**: in pinnis **A** pennis **W** *edd.* ‖ 27 apellen **B V** ‖ 28 et ipsum *addidi: om.* **M** atque *add. Acidalius* ipsumque *Cusp.* Parrhasiumque ς *edd.* ‖ 30 difficilimum **A**

imitationem, quia certis sui notis cito deformitas exprimatur, similitudo tamen pulcritudinis tam sit ardua quam rara est pulcritudo: non tamen tantum ille cepit laboris ex ore uestro diuinas species transferendo quantum uoluptatis hausit comminus uos intuendo, inspiciendo sollicite et curiose ab hilaritate illius aetatis uultus immobiles et serios exigendo, proferendo denique amoris uestri tacita praesagia, ut, quod inuicem uobis uerecundia negabat, libere uos in imagine cerneretis.

VII. Et profecto hoc iam tunc, Maximiane, diuina mente praesumpseras, hoc, cum ferret aetas, ut rogareris optaueras, cum tibi in illa iocundissima sede laetitiae harum nuptiarum gaudia praedestinabas, ut simul illam paruulam et hunc intuendo crescentem diu fruereris expectatione uoti quod hac coniunctione firmasti. quid enim competentius, quid prouidentia tua dignius facere potuisti quam ut eius filio, quem tibi pridem et affinitate adsciueras et maiestate sociaueras, nunc ex intimis affectibus traderes summi pignus imperii? haec est tua, Maximiane, inter omnes principes propria largitio. alii diuitias aut honores aut ipsa etiam imperia, sed sola donarunt: tu, animo maiore quam ceteri, pariter indulges et quod pietas tua habet carissimum et quod fortuna praecipuum. nec tamen miranda ista in te est, Maximiane, animi magnitudo, in quem di immortales tanta congesserunt et naturae bona et ornamenta fortunae ut, quamuis maxima largiaris, ita penes te sint omnia, quasi ea solus optineas. ut enim ille qui omnes aquas caelo et terris praebet

---

1 suis **w** ‖ 2 tamen] autem *Liuineius* ‖ 3 tamen tantum **A W**: tantum tamen **B C V** ‖ 5 uoluptatis] diuinitatis **C** | intuendo inspiciendo **A W** *Bert.*: inspic. intuendo **B C V** ‖ 8 proferendo *scripsi:* promerendo **M** promendo *Cusp.* ‖ 9 ut **W**: aut **A B C V** | uerecunda **C** ‖ 11 et *ego:* sed **M** | tunc] tum *Bert.*, *om.* **C** ‖ 14 praedestinabas *Cusp.*: prestinabas **M** ‖ 16 frueris **A W**: frueris **B C V** ‖ 22 inter] praeter *Acidalius* ‖ 30 sint *edd.*: sunt **M**

oceanus semper tamen in motibus suis totus est, ita tu potes imperium, Maximiane, donare, non potes non habere. de quo ego, cum ad id loci uenero, ita dicam ut fortasse quibusdam uidear audacior, ueritas tamen meae erga te deuotionis appareat.

VIII. Nunc enim sequitur ut, quoniam uirtutes tuas, Constantine Auguste, socero praedicaui, tu quoque, licet optime scias, tamen audias quanti te principis ornet affinitas. hic est qui nomen, *quod* accepit a deo principe generis sui, dedit uobis, qui se progeniem esse Herculis non adulationibus fabulosis, sed aequatis uirtutibus comprobauit. hic est qui in ipso ortu numinis sui Gallias priorum temporum iniuriis efferatas rei publicae ad obsequium reddidit, sibi ipsas ad salutem. hic, quod iam falso traditum de antiquis imperatoribus putabatur, Romana trans Rhenum signa primus barbaris gentibus intulit. huius cum fratre rursus ac saepius expeditionibus domita Germania aut boni consulit ut quiescat aut laetatur quasi amica, si pareat. tu ferocissimos Mauritaniae populos inaccessis montium iugis et naturali munitione fidentes expugnasti, recepisti, transtulisti. te primo ingressu tuo tanta laetitia, tanta frequentia populus Romanus excepit ut, cum te ad Capitolini Iouis gremium uelocius ferre gestiret, stipatione sui uix ad portas urbis admitteret. te rursus uicesimo anno imperatorem, octauo consulem, ita ipsa amplexu quodam suo Roma uoluit detinere ut uideretur augurari iam et timere quod factum est. *factum est* enim, imperator aeterne, in quo uno querelam rei publicae paene meruisti.

IX. Audi doloris nostri liberam uocem, siquidem

---

4 uideor **A** ‖ 7 tua Con. **W** ‖ 8 quanti *Cusp.*: quam **M** ‖ 9 quod *Cusp.*: *om.* **M** acceptum **w** ‖ 10 suis **C** ‖ 15 ipsis *Jaegerus* ‖ 16 put.] uidebatur *Bert.* ‖ 21 maritanie **A B V** ‖ 24 populis r. **A** p^{i}. r^{i}. **W** | Romanus *om. Bert.* ‖ 25 uelocius *scripsi l. l. p. 218:* uel oculis **M** ‖ 30 factum est **w**: *om.* **M** ‖ 33 siquidem etiam di **W**

di ipsi, quod plerumque humanas res neglegant dum querimur, ignoscunt, quibus aliud fortasse curantibus grandines ruunt, terrae dehiscunt, urbes hauriuntur. quae non illis [hauriuntur] uolentibus, sed aut aliorsum aspicientibus aut fatali rerum urgente cursu uidentur accidere. tale est, imperator, quod omnibus nobis incluso gemitu maerentibus facere uoluisti, non quidem tu rei publicae neglegentia aut laboris fuga aut desidiae cupiditate ductus, sed consilii olim, ut res est, inter uos placiti constantia et pietate fraterna, ne, quem totius uitae summarumque rerum socium semper habuisses, in alicuius facti communitate desereres neue illius, uiderit quali, certe nouae laudi cederes. uerum longe diuersa in uobis erat causa declinandi aut sustinendi laboris. quamquam, etiamsi tutam excusationem aetatis afferres, sic quoque tibi rei publicae curis non erat abnuendum. an, si maximus quisque natu gubernator uectoribus est certissimus ad salutem, non is est optimus qui usu peritissimus imperator? haut te umquam, Constantine, liberi nostri nepotesque patientur, uel cum ad summam perueneris senectutem, rei publicae uela contrahere quae tam felicibus uentis etiam iuuenis impleueris. sed tamen utcumque fas fuerit eum principem, quem anni cogerent aut ualitudo deficeret, receptui canere: te uero, in quo adhuc istae sunt integrae solidaeque uires, hic totius corporis uigor, hic imperatorius ardor oculorum, immaturum otium sperasse miramur. quid enim aliud participi maiestatis tuae dare potuit ueniam quietis quam ut tu imperio succederes pro duobus?

---

4 hauriuntur *del. Acidalius* | aut] ut **B C** || 5 cursu urgente **B C V** || 13 neue *Liuineius:* ne uel **M** || 14 uobis *Langius:* uos **M** inter uos *Acidalius* || 16 tutam *Arntzenius:* totam **M** || 18 uectoribus *om.* **C** uictoris *Bert.* rectoribus **V** || 20 haut *Daniel:* aut **M** || 23 quae] quem **C** | iuuenis] ieiunus **C** || 24 cum] eum **C** || 26 receptui canere **C w**: receptu hic auere **A** receptu hicanere **V** receptu, *om.* hicanere, **B** || 27 rigor **C** || 28 imperatoribus **A**

X. Sed profecto exegit hoc ipsa uarietas et natura fortunae, cui nihil mutare licuerat, dum uos imperium teneretis, ut illa uiginti annorum continua felicitas interuallo aliquo distingueretur; aut etiam di immortales probare uoluerunt tibi innixam stetisse rem publicam, cum sine te stare non posset. quamquam in istis quidem partibus non caruit pristina firmitate, ibi uero paene funditus corruit unde tu, Maximiane, decesseras. adeo illic plurimum habuerat stabilitatis asserta ubi deserta maxime uacillauit. non aliter enim quam solet terra uentis aut aquis subter immissis interuulsa sui soliditate nutare, cuncta Italia atque ipsa Roma subducta repente qua sustentata fuerat dextera tua contremuit ac paene consedit. quod ego cursim transeo. cur enim belli recordemur aduersa, cum uideamus omnia tuo reditu restituta? fecit enim Roma ipsa pro maiestate nominis sui ut ostenderet posse se etiam imperatoribus imperare. abduxit exercitus suos ac tibi reddidit et, cum ad sedandos animos auctoritatem priuati principis attulisses, supplices tibi manus tendens uel potius queribunda clamauit:

XI. 'Quousque hoc, Maximiane, patiar me quati, te quiescere, mihi libertatem adimi, te usurpare tibi illicitam missionem? an, quod diuo Augusto post septuaginta aetatis, quinquaginta imperii annos non licuit, tam cito licuit tibi? ideone te mihi ille, cuius tot aras, tot templa, tot nomina colo, Hercules dedit ut tu in suburbano otiis te dedens usum dicatae mihi uirtutis amitteres? redde te gubernaculis meis

1 ipsa *om.* W ‖ 8 unde tu w: unde ut tu M ‖ 9 discesseras M, *correxi* | illic] hic W ‖ 12 mutare A ‖ 13 cuncta *ego:* ita cuncta M *ex dittogr. u. seq.* ‖ 14 sustentata w: sustenta M ‖ 15 cur enim B C V w: enim cur A ‖ 16 belli *scripsi:* uel M ‖ 19 abductus W | exercitus] exeroctus A *et* W *cum signo corruptelae. an* adduxit exteros exercitus? ‖ 22 que tribunda A ‖ 24 adimi te] adimere w ‖ 25 an] aut W ‖ 26 annos non licuit A W *Bert.:* non licuit annos B C V ‖ 28 herculis A W ‖ 29 otiis te dedens *scripsi:* ociis sedens M otiosus sedens *edd.*

et, quoniam tranquillo mari portum intrare properasti, uade per fluctus mei quidem amore sollicitus, sed tua maiestate securus. et tamen per te ibi steterit, *si* iniuriam in mei restitutione patieris. imperasti pridem rogatus a fratre, rursus impera iussus a matre.' o caelestem, imperator aeterne, pietatem tuam quae tuum illum animum semper inuictum sola uicit. non potuisti resistere sanctae illius parentis imperio et inuitus licet paruisti et te illis uigiliis illisque curis, quas uiginti annis expertus fueras, reddidisti. quibusnam tu, domina gentium, potes compensare beneficiis hoc tui imperatoris obsequium? qui tanto usu sciens quantus sit imperandi labor, propter te non utitur illa quam degustauerat uoluptate tantumque rei publicae onus suscipit post quietem. facilius fuerat iugiter imperasse (quamuis enim magnum laborem consuetudo non sentit): intermissa desiderant nouas uires.

XII. Quanta opus fuit tibi, imperator aeterne, prouidentia, quanta auctoritate ut subsidia rei publicae *iacentia* erigeres, exanimata recreares, dilapsa colligeres? mirabamur te post imperium esse priuatum. multo magis mirum est *te* imperium ferre post otium. solus hoc, ut dicitur, potuit deus ille, cuius dona sunt quod uiuimus et uidemus, ut habenas male creditas et currum deuio rectore turbatum reciperet rursumque derigeret. cuius simile etiam tu, imperator, facile fecisti. neque id mirum. minime enim a te recessit imperium; et, priuatus licet dici uelles, inhaesit tibi ingenita maiestas. omnes exercitus uestri omnesque prouinciae requiescere te post

---

2 uade **w**: ualde **M** ‖ 3 ibi *scripsi:* tibi **M** ‖ 4 si *add. Acidalius: om.* **M** ‖ 5 pridem] quidem **W** ‖ 9 inuictus **A W** ‖ 10 curis] turiis **A** ‖ 16 suscepit **A** ‖ 21 iacentia *add. Cusp.: om.* **M** ‖ 23 te *addidi: om.* **M** ‖ 24 ille deus **W** ‖ 25 bona **C** ‖ 26 currum *Jaegerus:* cursum **M** | rectore **ς**: uectore **M** ‖ 27 dirig. **B C V W** | tu imperator etiam **M**, *transposui* ‖ 28 neque] nam **A** | minime *scripsi:* cum **M**, nunquam *Acidalius* ‖ 31 post *om.* **W**

tanta opera utcumque aequo animo tulerunt, imperare desisse numquam crediderunt. quid enim putas tibi, Maximiane, Iouem ipsum respondisse, cum tu ingenti animo diceres 'recipe, Iuppiter, quod commodasti'? hoc profecto respondit 'non mutuum istud tibi tradidi, sed aeternum; non recipio, sed seruo'. statim igitur ut praecipitantem rem publicam refrenasti et gubernacula fluitantia recepisti, omnibus spes salutis illuxit. posuere uenti, fugere nubes, fluctus resederunt et iam, sicubi adhuc in longinquioribus terris aliqua obuersatur obscuritas aut residuus undarum pulsus immurmurat, necesse est tamen ad tuos nutus dilucescat et sileat.

XIII. Dixi pro ratione temporis, sacratissimi principes, ea quae in uobis inuicem, ut facitis, admirari et amare debetis. restat ut ipsa illa quae separatim de uirtutibus uestris locutus sum, sicut huic uoto congruit, in sermonis fine coniungam. di immortales! quanta Romano imperio renouastis, quae iam, ut res est, cesserant uetustati. Maximiano aeterno imperatori Constantinus imperator nouus plus coepit esse quam filius. fauet ille crescenti, adest iste seniori. perpetuis profecto pietatis stirpibus affinitas ista coalescat, quae semper summos in re publica uiros ad concordiam copulauit. etenim si quamuis dissidentes familias Gracchi et Corneliae matrimonium reduxit in gratiam; si pro diuo Augusto Actiacam uictoriam tantummodo gener Agrippa confecit: quid sperandum est, cum sempiternam patris ac filii caritatem etiam nuptiarum foedus astrinxerit? quod si P. Scipio bellum Punicum suscepit adulescens ipsum postea superaturus Hannibalem, si

---

7 ut praecip. ut remp. **A** ‖ 8 fluitantia *om.* **W** ‖ 10 et iam *scripsi:* etiam **M** *Bert.* et *edd.* ‖ 11 obscur.] securitas **W** ‖ 13 ad **w**: aut **M** ‖ 16 illa ipsa **B V** ‖ 18 sermonis *om. Bert.* ‖ 21 imperatori eterno **B C V** ‖ 22 crescentis **A B** ‖ 23 ille **A** | seniori **w**: senior **M** | pietatis **w**: pietatibus **M** | stirpibus *post* pietat. **A W**, *post* coal. **B C V** *collocant* ‖ 24 summos *om.* **C** ‖ 26 gracci **W** greci **A** graci **B V**

Marius a factione Sullana urbem recepit senex idque magno interuallo temporum euenisse memorabile est: quam facile nunc omnis metus ponet Romana res publica, quae defenditur coniuncti imperii duabus aetatibus pariterque utitur uirtute iuuenis et maturitate senioris.

XIV. Te, pater, ex ipso imperii uertice decet orbem prospicere communem caelestique nutu rebus humanis fata decernere, auspicia bellis gerendis dare, componendis pacibus leges imponere: te, iuuenis, indefessum ire per limites qua Romanum barbaris gentibus instat imperium, frequentes ad socerum uictoriarum laureas mittere, praecepta petere, effecta rescribere. ita eueniet ut et ambo consilium pectoris unius habeatis et uterque uires duorum. o felix in imperio et post imperium felicior (audis enim profecto haec et uides), diue Constanti, quem curru paene conspicuo, dum uicinos ortus repetit occasu, sol ipse inuecturus caelo excepit! quanto nunc gaudio potieris, quanta uoluptate perfrueris, cum talem hunc filium tuum, qui te primus patrem fecit, in imperii tui possessionem idem pater, idem socer, idem imperator induxerit? haec est tua praeter omnes diuos propria immortalitas quam uidemus: filius similis aspectu, similis animo, par imperii potestate. inuiderint licet nobis, nihil tamen auferre domui tuae fata potuerunt. nec Maximiano filius qualis tu eras nec Constantino pater deest. quin etiam ut omnibus modis tua necessitudo renouetur, rursus hic socer, rursus hic gener est, ut beatissimus imperator semper ex tua sobole nepotibus augeatur.

1 syllana **C V** syillana **W** sillana **A** silana **B** ‖ 2 memorabilē quam **A** ‖ 3 omnes **w** ‖ 11 quo **B C** ‖ 13 uictoriarum **A W**: uictoriam *Bert.*, *om.* **B C V** ‖ 17 haec] hoc **B V** | curru **w**: curru et **B C V**; *an* curru en? ‖ 18 uicinos *edd.*: uicino **M** ‖ 19 celo innecturus **w** ‖ 20 potieris *ego:* poteris **B V** potiris **A C w** ‖ 21 fecit in *Bert.*: fecit **A W** *om.* **B C V** | tui] *om.* **A** in **W** ‖ 25 sim. aspectu *om.* **W** ‖ 29 renouetur **B C V w**: remouetur **A** ‖ 30 rursus hic socer *om.* **A**

VII.

INCERTI

PANEGYRICUS CONSTANTINO AUGUSTO DICTUS.

I. Facerem, sacratissime imperator, quod paulo ante mihi plerique suaserunt ut, quoniam maiestas tua hunc mediocritati meae diem in ista ciuitate celeberrimum ad dicendum dedisset, de eo ipso ducerem sermonis exordium, nisi me ab hoc duplex ratio reuocaret considerantem neque mediae aetatis hominem ostentare debere subitam dicendi facultatem neque ad aures tanti numinis quicquam *nisi* diu scriptum et saepe tractatum afferri oportere. [nam qui aput imperatorem populi Romani dicit ex tempore, quantum sit non sentit imperium.] huc accedit quod iam satis multi sunt qui me putant nimium multa dicturum, idque, ut arbitror, non ex ingenio meo, quod mediocre est, sed ex laudum uestrarum copia metiuntur. quorum ego expectationem inuitus licet fallam breuitate dicendi. reuera enim cogitaueram plura quae dicerem, sed malo orationem meam *esse mancam* quam respui. itaque primum illud compendium faciam quod, cum omnes uos, inuictissimi principes, quorum concors est et socia maiestas, debita ueneratione suspiciam, hunc tamen quantulumcumque tuo modo, Constantine, numini dicabo sermonem. ut enim ipsos immortales

---

7 mee diem **w**: mee ediū **B** (*marg.* diem) mea ediū **A V** mee diem edium **C** ‖ 8 ducerem *edd.*: ducere **M** ‖ 9 ab] ad **C** ‖ 10 considerantem neque] consideraui naq; **w** ‖ 12 *post* facult. *iterat* **A** dicendi, *in* **W** *ras.* *7 litt. prius* dicendi *deleuerim* | nisi *om.* **M**, *add. edd.* ‖ 13 tractum **A** ‖ 14 nam qui — 15 imperium *del. Eyssenhardtus* ‖ 18 laudum tuarum **w** ‖ 21 malo **C**: mallo **M** ‖ 22 esse mancam *addidi: om.* **M** *Bert.* breuem esse *add.* **w**, *edd.* ‖ 23 non quod omnes *Bert.* ‖ 24 nos **A W** *Bert.*: *om.* **B C V** | est *om.* **A B** ‖ 25 suspiciam *Rhenanus:* suscipiam **M** ‖ 26 tu **A**

deos, quamquam uniuersos animo colamus, interdum tamen in suo quemque templo ac sede ueneramur: ita mihi fas esse duco omnium principum pietate meminisse, laudibus celebrare praesentem.

II. A primo igitur incipiam originis tuae numine, quod plerique adhuc fortasse nesciunt, sed qui te amant plurimum sciunt. ab illo enim diuo Claudio manat in te auita cognatio qui Romani imperii solutam et perditam disciplinam primus reformauit immanesque Gothorum copias Ponti faucibus et Histri ore proruptas terra marique deleuit, utinam diuturnior recreator hominum quam maturior deorum comes. quamuis igitur ille felicissimus dies proxima religione celebratus imperii tui natalis habeatur, quoniam te isto habitu primus ornauit, iam tamen ab illo generis auctore in te imperii fortuna descendit. quin immo ipsum patrem tuum uetus illa imperatoriae domus praerogatiua prouexit, ut iam summo gradu et supra humanarum rerum fata consisteres, post duos familiae tuae principes tertius imperator. inter omnes, inquam, participes maiestatis tuae hoc habes, Constantine, praecipuum quod imperator *ortu* es; tantaque est nobilitas originis tuae ut nihil tibi addiderit honoris imperium nec possit fortuna numini tuo imputare quod tuum est, omisso ambitu et suffragatione.

III. Non fortuita hominum consensio, non repentinus aliquis fauoris uentus te principem fecit: imperium nascendo meruisti. quod quidem mihi deorum immortalium munus et primum uidetur et maximum, in lucem statim uenire felicem et ea

1 animo **w**: animos **M** ‖ 2 a sede **C** ‖ 3 dico **C** | pietatem **w** ‖ 8 manat **A W** *Bert.*: manet **B C V** ‖ 12 recreatur **A** ‖ 15 ipso hab. **A** ‖ 17 ipsum *ante* patrem **A W** *Bert.*, *post* tuum **B C V** *ponunt* ‖ 19 et] e **A** | consisteres *om.* **W** ‖ 21 participes] principes **W** ‖ 23 ortu *addidi*: *om.* **M** natus *Liuin.* ortus *Arntzen. add.* | origine **A** ‖ 25 tuo] suo *Liuineius* | omissis *Bert.* amisso **C** ‖ 26 habitu **C** ‖ 27 non rep. **B C V w**: rep. **A** ‖ 28 uentus *Bongarsius*: euentus **M** ‖ 31 statim uenire **A W** *Bert.*: uenire statim **B C V**

quae alii uix totius uitae laboribus consequuntur iam domi parta suscipere. quamuis enim magna sit et admiranda felicitas quae stipendiis in ordine emeritis et militiae gradibus emensis ad fastigium istud maiestatis ascendit et solis uirtutis nixa radicibus ad tantum potentiae robur inualuit (quod quidem etiam tu, quantum per aetatem licuit, consecutus es et, quamuis te super omnes acquirendae gloriae moras *fauor* fortunae posuisset, crescere militando uoluisti et adeundis belli periculis ac manu cum hostibus etiam singulari certamine conserenda notiorem te gentibus reddidisti, cum non posses esse nobilior), magnum, inquam, *etsi* est ab se profectum ad maxima peruenire: longe tamen aliud est niti per ardua et iuga montium petere *e* plano, aliud ipsa ortus sui sublimitate fultum uerticem tenere fortunae et quae summa sunt non sperare, sed habere.

IV. Sacrum istud palatium non candidatus imperii, sed designatus intrasti, confestimque te illi paterni lares successorem uidere legitimum. neque enim erat dubium quin ei competeret hereditas quem primum imperatori filium fata tribuissent. te enim tantus ille et imperator in terris et in caelo deus in primo aetatis suae flore generauit adhuc toto corpore uigens, illa praeditus alacritate ac fortitudine quam bella plurima praecipueque campi uidere Uindonii. inde est quod tanta ex illo in te formae similitudo transiuit ut signante natura uultibus tuis

3 in] *fort.* suo | ordine emeritis *Acidalius:* ordinem meritis **M** ‖ 6 tante pot. **W** ‖ 8 supra *edd.* ‖ 9 fauor *addidi: om.* **M** | fortuna *edd.* | posuisset *edd.:* potuisset **M** potuisses **w** | credere **W** ‖ 11 etiam] et **W** ‖ 13 inquam] quidem *Bert.* | etsi *addidi: om.* **M** ‖ 15 petere e *Liuineius:* patere **M** ‖ 24 tantus *ego:* tantum **M** (tam̄ **B**) ‖ 25 adhuc toto *Bert.:* toto adhuc toto **A** toto adhuc **B C V W** ‖ 27 quam] quamquam **C** | praecipueque *scripsi:* praecipue **M** | uidere Uindonii *Arntzenius:* uidere sidonii **W** uideris idonei **A** *Bert.* uidonis (uindonis **B** nindonis **C**) idonei **B C V** ‖ 28 ferme **W**

impressa uideatur. idem enim est quem rursus in te colimus aspectus, eadem in fronte grauitas, eadem in oculis et in ore tranquillitas. sic est index modestiae rubor, sic testis iustitiae sermo. accipe, imperator, *non* ancipitem nostrorum sensuum confessionem: dolet quod Constantius excessit a nobis, sed, dum te cernimus, illum excessisse non credimus. quamquam quid ego illum excessisse dico, cuius inmortalia facta uiuunt et in ore omnium hominum oculisque uersantur?

V. Quis enim non dico reminiscitur, sed quis non adhuc quodam modo uidet quantis ille rebus auxerit ornaritque rem publicam? qui adscitus imperio primo aduentu suo innumerabili hostium classe feruentem exclusit oceanum *et* exercitum illum qui Bononiensis oppidi litus insederat terra pariter ac mari saepsit, cum reciprocos aestus illius elementi iactis inter undas uallis diremisset, ut, quorum portas fluctus alluerat, ei quo mare tangerent perdidissent. qui eodem exercitu uirtute capto, clementia conseruato, dum aedificandis classibus Britanniae reciperatio comparatur, terram Batauiam sub ipso quondam alumno suo a diuersis Francorum gentibus occupatam omni hoste purgauit nec contentus uicisse ipsas in Romanas transtulit nationes ut non solum arma, sed etiam feritatem ponere cogerentur. nam quid ego de receptione Britanniae loquar? ad quam ita quieto mari nauigauit ut oceanus ille tanto uectore stupefactus caruisse suis motibus uideretur, ita peruectus ut non comitata illum sit, sed praestolata uictoria.

---

4 sermo iustitiae **BCVW** | accipite **A** ‖ 5 n̄ ancipitem *scripsi:* ancipitem **W** accipitem **A** accipientem *Bert.* accipe **B C V** | sensuum *om.* **A** ‖ 6 dolemus **w** ‖ 13 ornaueritque *Bert.* ‖ 15 et *addidi: om.* **M** exercitumque *edd.* ‖ 17 aestus *Liuineius:* sensus **M** cursus **w** ‖ 18 iactus **M**, *corr.* **w** ‖ 19 alluerat *Langius:* allueret **M** | ei quo mare *scripsi:* mare et quod **M** mare quod **w** et mare quo *Acidalius, alii alia* ‖ 22 recip. **A**: recup. *cett.* | uatauiam **M** ‖ 25 *malim* in Romana ‖ 30 *an* ita est cito peru.?

VI. Quid de misericordia dicam qua uictis temperauit? quid de iustitia qua spoliatis amissa restituit? quid de prouidentia qua sociis sibi iunctis se eiusmodi *in* iudicio dedit ut seruitutem passos iuuaret recepta libertas, culpae conscios ad poenitentiam reuocaret impunitas? quid loquar rursus intimas Franciae nationes iam non ab his locis quae olim Romani inuaserant, sed a propriis ex origine sui sedibus atque ab ultimis barbariae litoribus auulsas, ut in desertis Galliae regionibus collocatae et pacem Romani imperii cultu iuuarent et arma dilectu? quid commemorem Lingonicam uictoriam etiam imperatoris ipsius uulnere gloriosam? quid Uindonissae campos hostium strage completos et adhuc ossibus opertos? quid immanem ex diuersis Germanorum populis multitudinem, quam duratus gelu Rhenus illexerat ut insulam, quam diuortio sui idem amnis amplectitur, pedestri agmine ausa transmittere repente laxato flumine clauderetur et dimissis statim obsessa nauigiis ita se dedere cogeretur ut, quod difficilius est, sorte communi elegeret et ex aequo quos captiuitati traderet, relatura cum reliquiis suis infamiam proditionis suorum.

VII. Dies me ante deficiet quam oratio, si omnia patris tui facta uel hac breuitate percurram. cuius etiam suprema illa expeditio non Britannica trophaea, ut uulgo creditum est, expetiuit, sed dis iam uocantibus ad intimum terrarum limen accessit. neque enim ille tot tantisque rebus gestis non dico

---

2 omissa **A W** ‖ 3 uinctis **A C W** | se **w**: si **M** ‖ 4 in iudicio *scripsi:* iudicio **B C V** indic. (*sic*) **A** iudicem **w** | dedit *om.* **W** ‖ 5 conscios **w**: conscio **M** ‖ 8 Romani; *malim* Romana ‖ 9 sui *edd.:* suis **M** ‖ 10 collatae **A** ‖ 12 dilectum **C** | liugonicam **B C V** bugonicam **W** ‖ 14 completos et *Liuin.:* completo sed **A W** *m 1* completos sed **B C V w** ‖ 17 illexerat *Langius:* illuxerat **M** illuserat ς ‖ 18 annis **W** ‖ 19 transmittere **A W** *Bert.: om.* **B C V** ‖ 20 demissis **M**, *corr. Acidal.* ‖ 22 et ex aequo quos *Arntzen.:* et ex equos **M** *Bert.* quos **w** | cum reliquis **M** ‖ 24 deficiat **A** deficeret **V** | oratio *om.* **C** ‖ 27 trophea ut **B C V w**: trope aut **A** | creditum **w**: cretum **M** *Bert.*

Caledonum, Pictorum aliorumque siluas et paludes, sed nec Hiberniam proximam nec Thylen ultimam nec ipsas si quae sunt Fortunatorum insulas dignabatur acquirere, sed, quod eloqui nemini uoluit, iturus ad deos genitorem illum deorum ignea caeli astra refouentem prospexit oceanum, ut fruiturus exinde luce perpetua iam uideret illic diem paene continuum. uere enim profecto illi superum templa patuerunt receptusque est consessu caelitum, Ioue ipso dexteram porrigente. quin immo statim sententiam rogatus cui imperium decerneret, dixit, ut decebat, Constantium Pium: manifeste enim sententia patris electus es, imperator. quod quidem ita nos dicere cum ueritas iubet, tum pietati tuae, ut uideo, gratissimum est. sed cur tantummodo priuatis tuis affectibus blandiamur, cum omnium deorum fuerit illa sententia, et quidem iam pridem auctoritate perscripta, quamuis tunc pleno sit firmata consilio? iam tunc enim caelestibus suffragiis ad salutem rei publicae uocabaris, cum ad tempus ipsum quo pater in Britanniam transfretabat classi iam uela facienti repentinus tuus aduentus illuxit, ut non aduectus cursu publico, sed diuino quodam aduolasse curriculo uidereris.

VIII. Non enim ulla Persarum Cydonumue tela tam certis iactibus destinata fixerunt quam tempestiuus patri tuo terras relicturo comes affuisti omnesque illius curas quas praesaga et tacita mente uoluebat praesentiae tuae securitate laxasti. di boni, quanta

---

1 Calidonum **M** | aliorumque Pictorum (Pictonum **W**) **M**, *transpos. Eyssenhardtus. an* altiorumque Pict.? ‖ 2 thylen **W**: thilen **A** tylen **B V** tilen **C** ‖ 4 nemini **C w**: nomini **M** ‖ 6 fruiturus *Bert.*: futurus **M** ‖ 8 illi **A W** *Bert.*: illum **B C V** ‖ 9 consessu **w**: concessu **M** ‖ 11 cui **A W**: cum **B C V** ‖ 12 constantiñ **W** ‖ 13 es **w**: est **M** ‖ 15 tantum non pr. *Bert.* ‖ 17 fuerit illa *om.* **W** ‖ 18 perscripta **A W**: praescripta *Bert.* **B C V** | tum pleno *Bert.* ‖ 23 aduectus **A W**: aduentus **B C V** | curru *Acidalius* ‖ 25 illa **C** ‖ 26 finxerunt **B C V** ‖ 27 affuisti] aduenisti *Bert.* ‖ 28 quas **C w**: quam **M** | uoluebat **C w**: uolebat **M**

Constantium Pium etiam in excessu suo felicitate donastis! imperator transitum facturus in caelum uidit quem relinquebat heredem. ilico enim atque ille terris fuerat exemptus, uniuersus in te consensit exercitus, te omnium mentes oculique signarunt et, quamquam tu ad seniores principes de summa rei publicae quid fieri placeret rettulisses, praeuenerunt studio quod illi mox iudicio probauerunt. purpuram statim tibi, cum primus copiam tui fecit egressus, milites utilitati publicae magis quam tuis affectibus seruientes iniecere lacrimanti. neque enim fas erat diutius fleri principem consecratum. diceris etiam, imperator inuicte, ardorem illum te deposcentis exercitus fugere conatus equum calcaribus incitasse. quod quidem, ut uerum audias, adulescentiae errore faciebas. quis enim te Cyllarus aut Arion posset eripere quem sequebatur imperium? illa, inquam, illa maiestas, quippe Iouis oblata nutu nec Iridi deum nuntiae, sed pinnis commissa Uictoriae, tam facile te comitata est quam cito ad terras caelo missa perueniunt. sic modestiam tuam atque pietatem et differendi imperii conatus ostendit et rei publicae felicitas uicit.

IX. O fortunata et nunc omnibus beatior terris Britannia, quae Constantinum Caesarem prima uidisti! merito te omnibus caeli ac soli bonis natura donauit, in qua nec rigor est nimius hiemis nec ardor aestatis, in qua segetum tanta fecunditas ut muneribus utrisque sufficiat et Cereris et Liberi, in qua nemora sine inmanibus bestiis, terra sine serpentibus noxiis; contra pecorum mitium innumera-

---

1 constantinū **w** ‖ 4 conscendit **M** ‖ 7 rep. **A** ‖ 8 purpura **C** ‖ 9 primum **w** *edd.* ‖ 15 audias **C**: audies **M** ‖ 16 gyllarus **AVW** gylarus **B** gillarus **C** ‖ 18 quippe *scripsi:* que *uel* quae **M** | Iouis oblata *scripsi:* ioui subrata **M** Iouis subiecta *edd.* ‖ 19 pinnis ς: pinis **M** *Bert.* (pinus u prius m r) ‖ 20 comitata **w**: contiuata **A** continata **B V** continuata **C** *Bert.* | caelo] tela **C** ‖ 24 nunc] una *Acidalius* ‖ 25 constinum **A** ‖ 30 terras **A B V**

bilis multitudo lacte distenta et onusta uelleribus, certe quidem, *qua*propter *ibi* uita diligitur, longissimae dies et nullae sine aliqua luce noctes, dum illa litorum extrema planities non attollit umbras noctisque metam caeli et siderum transit aspectus, ut sol ipse qui nobis uidetur occidere ibi appareat praeterire. di boni, quid hoc est quod semper ex aliquo supremo fine mundi noua deum numina uniuerso orbi colenda descendunt? sic Mercurius a Nilo cuius fluminis origo nescitur, sic Liber ab Indis prope consciis solis orientis deos se gentibus ostendere praesentes. sacratiora sunt profecto mediterraneis loca uicina caelo et inde propius a dis mittitur imperator ubi terra finitur.

X. Imperatoris igitur filius et tanti imperatoris et ipse tam feliciter adeptus imperium quomodo rem publicam uindicare coepisti? ignobilem, credo, aliquam barbarorum manum, quae repentino impetu et improuiso latrocinio ortus tui auspicia temptasset, affecisti poena temeritatis. reges ipsos Franciae, qui per absentiam patris tui pacem uiolauerant, non dubitasti ultimis punire cruciatibus, nihil ueritus gentis illius odia perpetua et inexpiabiles iras. cur enim ullam reputet iustae seueritatis offensam imperator qui quod fecit tueri potest? tuta clementia est quae parcit inimicis et sibi magis prospicit quam ignoscit. te uero, Constantine, quantumlibet oderint hostes, dum perhorrescant. haec est enim uera uirtus ut non ament et quiescant. cautior licet sit qui deuinctos habet uenia perduelles, fortior tamen est qui calcat iratos. renouasti, imperator, ueterem illam

---

2 quapropter *scripsi l. l. p. 218:* propter **M** quod propter *uel* propter quod *edd.* | ibi *addidi ib.: om.* **M** | uitam **w** || 4 illa] illorum *Bert.* || 12 secretiora **C** | mediterraneis *Rhenanus:* dii (diis **w**) terraneis **M** || 13 proprius **A B** || 15 igitur filius et tanti imperatoris *iterat* **A** || 17 aliquam **w**: aliquem **M** || 18 manum quae **w**: manumq; **M** || 23 perpetua *om.* **C** || 25 tuta *Liuineius:* tua **M** || 30 uenia] peruenia **C**

Romani imperii fiduciam quae de captis hostium ducibus uindictam morte sumebat. tunc enim captiui reges cum a portis usque ad forum triumphantium currus honestassent, simulatque in Capitolium currum flectere coeperat imperator, abrepti in carcerem necabantur. unus Perses ipso Paulo qui dedentem se acceperat deprecante legem illius seueritatis euasit. ceteri omnes in uinculis luce priuati aliis regibus dedere documentum ut mallent amicitiam colere Romanam quam exasperare tristitiam. adeo et hoc boni confert poena hostibus irrogata ut non solum inimici ferocire non audeant, sed etiam amici impensius reuereantur.

XI. Inde igitur est, imperator, pax ista qua fruimur. neque enim iam Rheni gurgitibus, sed nominis tui terrore munimur. quamlibet ille aut arescat aestu aut resistat gelu, neutro hostis audebit uti uado. nihil enim tam insuperabili uallo natura praecludit quod non penetret audacia, cui aliqua conandi spes relinquatur. ille est inexpugnabilis murus quem extruit fama uirtutis. sciunt posse *se* Franci transire Rhenum, quos ad necem suam libenter admittas, sed nec uictoriam possunt sperare nec ueniam. quid ipsos maneat, ex regum suorum cruciatibus metiuntur ideoque tantum abest ut amnis illius transitum moliantur, magis ut coepto ponte desperent. ubi nunc est illa ferocia? ubi semper infida mobilitas? iam ne procul quidem Rhenum audetis accolere et uix securi flumina interiora potatis. contra hinc per interualla disposita magis ornant limitem castella quam protegunt. arat illam

---

6 Perses *Langius:* pro se **M** | qui dedentem *Bert.* **w**: quid edentem **M** || 7 se acc.] suscep. **W** | legis illius seueritatem *Rittershusius* || 10 tristitiam *scripsi:* iustitiam **M** || 15 sed] et **A** || 19 praeclusit *edd.* || 21 uirtutis *Liuineius:* uirtuti **M** | posse se *Liuineius:* posse **M** || 26 coepto ponte *Puteanus:* coempta ponte (pote **W** potestate **C**) **M** *Bert.* comperta potestate *Liuineius* || 29 accolere *Schonhouius:* attollere **M** oculos aud. attollere **w** || 31 ille **C**

terribilem aliquando ripam inermus agricola, et toto nostri greges bicorni amne mersantur. haec est tua, Constantine, de Ascarici Regaisique supplicio cotidiana atque aeterna uictoria omnibus quondam secundis proeliis anteponenda. semel acie uincitur, sine fine *est* documento. cladem suam, quamuis multi pereant, uulgus ignorat: compendium est deuincendorum hostium duces sustulisse.

XII. Ut tamen omnibus modis barbarorum immanitas frangeretur nec sola hostes regum suorum supplicia maererent, etiam immissa Bructeris uastatione fecisti, imperator inuicte. in quo prima consilii tui fuit ratio quod exercitu repente traiecto inopinantes adortus es, non quo aperto Marte diffideres ut qui palam congredi maluisses, sed ut illa natio perfugiis siluarum et paludum bellum solita frustrari fugae tempus amitteret. caesi igitur innumerabiles, capti plurimi; quicquid fuit pecoris, raptum aut trucidatum est; uici omnes igne consumpti; puberes qui in manus uenerunt, quorum nec perfidia erat apta militiae nec ferocia seruituti, ad poenas spectaculo dati saeuientes bestias multitudine sua fatigarunt. hoc est, imperator, fretum esse uirtute sua atque fortuna, hoc est non pacem emere parcendo, sed uictoriam quaerere prouocando.

XIII. Insuper etiam Agrippinensi ponte faciundo reliquiis afflictae gentis insultas, ne umquam metus ponat, semper horreat, semper supplices manus tendat, cum tamen hoc tu magis ad gloriam imperii tui et ornâtum limitis facias quam ad facultatem,

---

1 inermis B C V W || 2 bicorni amne *scripsi:* bicorne M flumine bicorni *edd.* || 3 de Ascarici Regaisique *Langius:* de asacari (dea sacari A) cimero (cunero W cinere B C V) gaisique M || 6 ē *addidi: om.* M sine fine documentum *Eyssenhardtus* || 11 *malim* immissa etiam | bruteris A || 14 es w: est M || 15 illa] ita A || 16 paludium A || 18 fuerit A B C | raptum *scripsi l. l. p. 219:* captum M || 21 nec A W: ne B C V | ferocia] fortiora W || 26 agripinensi A W agripiensi B V agrippiensi C || 27 reliquiis w: reliquis M | metum w

quotiens uelis, in hosticum transeundi, quippe cum totus armatis nauibus Rhenus instructus sit et ripis omnibus usque ad oceanum dispositus miles immineat. sed pulcrum tibi uidetur (et reuera pulcherrimum est) ut Rhenus ille non solum superioribus locis, ubi aut latitudine uadosus aut uicinia fontis exiguus, sed etiam ibi nouo ponte calcetur ubi totus est, ubi iam plurimos hausit amnes quos hic noster indigena fluuius et barbarus Nicer et Moenus inuexit, ubi iam immani meatu ferox et aluei unius impatiens in duo cornua gestit excedere. seruit profecto, Constantine maxime, ipsa rerum natura numini tuo, cum in illa gurgitum altitudine tantarum molium fundamenta iaciuntur fidam et stabilem firmitatem habitura. iunxerit licet quondam Hellesponti angustias classe conexa Persarum rex potentissimus: temporarius ille transitus fuit. simili nauium continuatione Baianum sinum strauerit ab Augusto tertius Caesar: delicata fuit illa uectatio principis otiosi. hoc opus et difficile factu et usu futurum est sempiternum. certe quidem iam tibi in exordio sui hostium mouit obsequia, qui pacem supplices petierunt, nobilissimos obsides obtulerunt. ex quo nemo dubitat quid perfecto ponte facturi sint qui iam seruiunt inchoato. §

XIV. Talibus te pro utilitate ac dignitate publica rebus intentum auerterunt in se noui motus eius hominis quem successibus tuis maxime fauere decuisset. de quo ego quemadmodum dicam adhuc ferme dubito et de nutu numinis tui expecto consilium. quamlibet enim merito pietatis tuae questibus acuatur, debet tamen sibi uox priuata moderari,

1 hosticum **A W** *Bert.:* hostem cum **B C V** || 7 etiam] et **C** || 9 indigena (*uel* -nus) *scripsi l. l. p. 219:* ingens **M** || 11 duo *Eyssenhardtus:* sua **M** || 12 maxime *om.* **A W** || 14 fidem **A** || 24 profecto **C** | futuri **A** || 26 te pro *edd.:* pro te **M** porro te **w** || 27 auerterunt **A W** *Bert.:* auertunt **B C V** || 30 dubito] iudico **C** || 32 acuatur *scripsi l. l.:* arguatur **M** | priuata **A W** *Bert.:* prima **B C V**

praesertim cum eum qui tibi ex tantis beneficiis tuis et tanto necessitudinum fonte ingratus extiterit adhuc contemplatu tui cogamur quamuis irati reuereri. quid faciam igitur ut tam profunda uulnera suspensa manu tractem? usurpabo nimirum illa communia omnium facinorum patrocinia, quae tamen plerumque etiam a sapientibus asseruntur, neminem hominem peccare nisi fato et ipsa scelera mortalium actus esse fortunae, contra autem deorum munera esse uirtutes. gratulare, Constantine, naturae ac moribus tuis quod te talem Constantius Pius genuerit, talem siderum decreta formarint ut crudelis esse non possis. illum autem [non] credo, cum uenturus in lucem optionem uitae qua uteretur acciperet, sortem incurrisse fugiendam quae multis hominibus iniustum et postremo ipsi uoluntarium ferret exitium. ut enim alia mittam, hoc ipsum nonne fati necessitas tulit ut ille pietati tuae hanc referret uicem, quem tu ab urbe pulsum, ab Italia fugatum, ab Illyrico repudiatum tuis prouinciis, tuis copiis, tuo palatio recepisti?

XV. Quid, oro, sibi uoluit? quid optauit? uel quid amplius adipisceretur his quae a te fuerat consecutus? cui tu summa et diuersissima bona, priuatum otium et regias opes, dederas, cui digredienti aulicos mulos et raedas, cui impensius etiam quam tibi occurrere obsequia nostra mandaueras, cuius omnibus iussis sic statueras oboedire ut penes te habitus, penes illum potestas esset imperii. quisnam ille tantus fuit non ardor potentiae (quid enim te

---

2 fonte **w**: fore **M** fauore *Langius* | extiterit **C w**: existerit **M** || 3 contemplatu tui *scripsi l. l.:* contemplatui **M** contemplari **w** | cogamur *Langius:* cogat ut **M** | quasi ira **w** | reuereri *scripsi:* reuereat **M** referueat **w** || 9 munera esse uirtulare Constantine **A** *et* **W** *cum signo corruptelae* || 10 uirtutem **B C V**, *correxi* || 12 formarunt **M**, *corr.* **w** || 13 non *seclusit Acidalius* || 17 alia] illa **C** || 20 recep.] cepisti **A C W** || 21 uel *scripsi:* ut **M** aut *edd.* || 23 cui] Qui **A** *et* **W** *m. 1* quin **w** || 25 aulicos mulos *scripsi l. l. p. 219:* ad anulos **M** ad *del.* **w** | et redas *scripsi:* sederas **M** dederas **w**, *olim l. l. deleui*

imperante non posset?), sed error iam desipientis aetatis, ut tot natus annos grauissimas curas et bellum ciuile susciperet? nullis, ut res est, fortunae muneribus explentur quorum cupiditates ratio non terminat, atque ita eos felicitas ingrata subterfluit ut semper pleni sperum, uacui commodorum, praesentibus careant dum futura prospectant. at enim diuinum illum uirum qui primus imperium et participauit et posuit consilii et facti sui non poenitet nec amisisse se putat quod sponte transcripsit, felix beatusque uere quem uestra tantorum principum colunt obsequia priuatum. sed et ille multiiugo fultus imperio et uestro laetus tegitur umbraculo, quos scit ex sua stirpe creuisse, et glorias uestras iuste sibi uindicat. hunc ergo illum, qui ab ipso fuerat frater adscitus, puduit imitari, huic illum in Capitolini Iouis templo iurasse poenituit. non miror quod etiam genero peierauit.

XVI. Haec est fides, haec religio Palatini sacrarii deuota penetralibus, ut lente et cunctanter, iam scilicet cum illis belli consiliis, itinere confecto, consumptis copiis mansionum ne quis consequi posset exercitus, repente intra parietes consideret purpuratus et bis depositum tertio usurparet imperium, litteras ad sollicitandos exercitus mitteret, fidem militum praemiorum ostentatione turbare temptaret; secure scilicet usurus exercitu quem uenales manus habere docuisset. quo quidem illius errore declaratum est, imperator, quantus te militum tuorum amor complecteretur, qui te omnibus donis quae ille promiserat, omnibus honorum oblationibus praetulerunt. rara illa uirtus continentiae uix a paucis sapientiae praeceptoribus, *si* tamen aliquando, seruata propter

3 fort. muner. **A W**: muner. fort. **B C V** || 13 tegitur laetus **C** || 14 sibi iuste **C** || 15 illum] eum **A W** | ipso *scripsi:* illo **M** || 16 hunc illum **W** || 17 mirum *edd.* || 20 penetrabilis **C** || 26 turbaret emptaret **A** turbaret *om.* emptaret **W** || 28 quo **w**: quod **M** || 30 qui e. te **A** || 31 honorum] horum **W** || 33 si *addidi: om.* **M**

te, Constantine, omnibus hominibus est facta communis, nec solum his quos ratio litterariae uitae *ac* quies mitigauit, sed etiam ille militarium ardor animorum respectu tui lucra contempsit. fuerint aliqui exercitus alacritate ac uiribus tuis similes: tibi uni contigit habere exercitum sapientem. multi olim praui duces, certasse armis impares, largitione certarunt: sed breuis eorum fuit et caduca popularitas, quos facile uicit quisquis aemulatus est. hic firmus, hic aeternus est rei publicae custos quem ipsum per se milites amant, cui non eblandita nec uendita seruit adulatio, sed simplex et sincera deuotio. dona tua, Constantine, manifeste sunt grata militibus, sed hoc gratiora quod tua sunt. quaecumque porrigis, manu tua fiunt acceptiora. quam nemo tecum potest hac ambitione contendere! insuperabile genus est largitionis, cum ipse militi praemium est imperator. itaque tribuis tu quidem exercitibus tuis etiam plura quam cupiunt, sed tuum te magis nomen, tua de memoria patris auctoritas, tua aetatis gratia, tua denique ista uenerabilis forma commendat.

XVII. Pulcrum enim, di boni, et caeleste miraculum imperator adulescens, in quo illa quae iam summa est fortitudo adhuc tamen crescit, in quo hic fulgor oculorum, haec ueneranda pariter et grata maiestas praestringit simul et inuitat aspectus. talem Macetum illum regem, talem Thessalum uirum

---

1 omnib; hominib; *scripsi:* omni homini **W** omnium hominum **A B C V** || 2 his **C**? hiis **M** hii **w** hi *edd.* | litterariae **w**: litterae **M** | uitae ac *scripsi:* uitae **M** || 3 quiesque **w** *edd.* || 4 fuerunt **W** || 5 tuis ς: tui **M** tuo *edd.* || 6 habere exerc. **A W**: exerc. habere **B C V** | olim] enim **A** || 7 praui duces certasse *scripsi:* fortasse praui duces **M** || 9 aemulatus *scripsi l. l. p. 220:* imitatus **M** || 11 cui nec **W** | eblandita *scripsi:* blandita **M** || 13 militium **A** || 14 hoc] hec **A V** || 15 quam] quoniam **W** | potest tecum **C**, *nisi quod* pot. hac tecum **u** || 18 tu quidem tuis ex. *Bert.:* tu tuis quidem ex. **B C V** || 20 tuae aetatis *Bert.*, *edd.* || 26 perstringit **W** || 27 Macetum *scripsi l. l. p. 220:* magnum **M**

mente concipio, quorum summa uirtus pulcritudini coniuncta celebratur. non frustra enim doctissimi uiri dicunt naturam ipsam magnis mentibus domicilia corporum digna metari et ex uultu hominis ac decore membrorum colligi posse, quantus illos caelestis spiritus intrarit habitator. itaque te cum ingredientem milites uident, admirantur et diligunt, sequuntur oculis, animo tenent, deo se obsequi putant, cuius tam pulcra forma est quam certa diuinitas.

XVIII. Statim igitur ut foedum illud facinus audierant, ultro a te proficiscendi signum petiuerunt; cum uiatica dares, id ipsum sibi moram facere plusque iam se quam sufficeret ex largitionibus tuis habere dixerunt. inde arreptis armis portas petiuerunt, tot dierum iter a Rheno usque ad Ararim sine ulla requie peregerunt indefessis corporibus, animis flagrantibus, crescente in dies ardore uindictae quanto propius accederent. tum quidem tua, imperator, cura, qua refouendis eorum uiribus a Cabillonensi portu nauigia prouideras, festinantibus paene non placuit. segnis ille et cunctabundus amnis numquam fuisse tardior uidebatur: carinis tacite labentibus et ripis lente recedentibus stare se, non ire clamabant. tum uero usum pedum manibus aggressi incubuere remigiis et naturam fluminis urguendo uicerunt et tandem eluctati Araris moras uix ipso Rhodano fuere contenti: parum illis uidebatur concitus ruere, minus solito Arelate properare. quid multa? confitendum est *tibi*, imperator: cum hoc tuo uigore corporis, hoc mentis ardore laborasti interdum ut quem ducebas sequereris exercitum. tanto enim omnes impetu ferebantur ut, cum illum Arelate deserto comperissent abisse Massiliam, con-

---

1 *malim* mente conspicio || 14 plusquam **C** | sufficere **W** || 15 petierunt **B C V** || 19 tum *edd.:* cum **M** *Bert.* || 21 preuideras **W** | paene **B C**: prene **A V** preire **w** || 30 tibi *addidi: om.* **M**

festim nauibus euolarent effusoque cursu non iam Rhodani curricula, sed ipsa quodammodo uentorum flabra praeuerterent. tantus illos incenderat amor numinis tui ut, quamuis scirent oppugnandam esse munitissimam ciuitatem, sufficere sibi crederent peruenire.

XIX. Massilia enim, ut audio, in profundum mare prominens et munitissimo accincta portu, in quem angusto aditu mediterraneus refluit sinus, solis mille quingentis passibus terrae cohaeret, qua firmissimus et turribus frequens murus opponitur. quippe olim Graecos Italosque illuc conuenas, cum artibus ingenioque pollerent, etiam ipse docuit locus omnia quae bello usui forent largius in eam partem quae adiri posset impendere, cum natura in ceteris sumptum operis remisisset. itaque illam tum graui fato Caesari portas pro duce seniore claudentem terra marique admotis machinis, aggeribus extructis, naualibus proeliis saepius oppugnatam quam territam uix obsessio diuturna patefecit, cum tamen Graeculi magistratus et ipsum Caesarem et mox duces eius et copias non tam uiribus suis quam moenibus reppulissent. at enim nunc primo tuo, imperator, aduentu primoque impetu exercitus tui nihil eiusdem Massiliae altitudo murorum, nihil creberrimae turres, nihil loci natura remorata est quominus et portum caperes et urbem continuo, si uelles. quippe tanta fiducia murum omnem milites inuaserant ut statim sine dubio ascensuri fuissent, nisi in parandis quas admouerant scalis coniecturam oculorum sublimitas fefellisset. sed sic quoque multi scalarum breuitate decepti, quod supererat ascensui, extentis corporibus

1 effusoque] effuso iam **W** ‖ 3 flabra *Liuineius:* flaua **M** flamina ς *edd.* | peruerterent **B V** ‖ 5 peruen. **A W** *Bert.* **m r**: preuen. **B V u** ‖ 9 mediterraneus *Liuineius:* meridianus **M** | 23 nunc *Gruterus:* num **M** *Bert.*, *del.* **w** ‖ 25 creberrimae **A W** *Bert.*: celeberrimae **B C V** ‖ 27 uelles *Langius:* uelis **M** ‖ 28 inuaserunt **C** ‖ 31 sed *Bert.*: *om.* **M** ‖ 32 extemptis **A**

aequabant et succedentium humeris subleuati iam interualla pinnarum uncis manibus inuaserant. adeo nihil periculi in uindictae executione metuebant ut sibi non murum scandere, sed ex aequo congredi uiderentur.

XX. Sed o singularem tuam, Constantine, pietatem et sua semper officia etiam inter arma seruantem! signum receptui dedisti et uictoriam distulisti ut omnibus tibi liceret ignoscere neu quid atrocius faceret miles iratus quam clementiae tuae natura pateretur. in quo licet optimi imperatoris sollicitudine caueris ut inducti in fraudem milites poenitendi tempus acciperent atque ultro ueniam precarentur, nos tamen qui mitissimos tuos sensus intuemur (nihil est enim tam perspicuum quam in pectore tuo bonitas) illi te intellegimus pepercisse quem, si prima copiam habuisset irruptio, eripere ferro nemo potuisset. ita, quod ad pietatem tuam pertinet, imperator, et illum et omnes quos receperat reseruasti. sibi imputet quisquis uti noluit beneficio tuo nec se dignum uita iudicauit, cum per te liceret ut uiueret: tu, quod sufficit conscientiae tuae, etiam non merentibus pepercisti. sed, ignosce dicto, non omnia potes: di te uindicant et inuitum.

XXI. Quod quidem nobis semper optandum est ut prosperos habeas etiam ultra tua uota successus, qui omnem spem in gremio maiestatis tuae ponimus et tuam ubique praesentiam, quasi dari possit, expetimus. ecce enim, dum a limite paulisper abscesseras, quibus se terroribus barbarorum perfidia iactauerat scilicet, dum sibi illa proponunt: quando perueniet? quando uincet? quando fessum reducet exercitum? cum repente audito reditu tuo uelut at-

---

1 subleuati **B C V w**: subleuasti **A** ‖ 2 pinnarum] preuiarum *uel simile* **C** ‖ 3 inuindicatae **A** ‖ 8 signum *om.* **W** ‖ 9 neu *Liuineius:* ne **M** ‖ 14 sensus tuos **B C V** ‖ 18 ferro *Bert.:* ferre **A** fere *cett.* | ita] itaque **C** ‖ 19 deceperat *Acidalius* ‖ 20 uoluit **C V** ‖ 22 ut uideret **C** ‖ 26 tua **A W** *Bert.: om.* **B C V**

toniti conciderunt, ne tuum pro re publica uotum amplius quam unius noctis cura tetigisset. postridie enim quam accepto illo nuntio geminatum itineris laborem susceperas, omnes fluctus resedisse, omnem quam reliqueras tranquillitatem redisse didicisti, ipsa hoc sic ordinante fortuna ut te ibi rerum tuarum felicitas admoneret dis immortalibus ferre quae uotaueras, ubi deflexisses ad templum toto orbe pulcherrimum, immo ad praesentem, ut uidisti, deum. uidisti enim, credo, Constantine, Apollinem tuum comitante Uictoria coronas tibi laureas offerentem, quae tricenum singulae ferunt omen annorum. hic est enim humanarum numerus aetatum, quae tibi utique debentur ultra Pyliam senectutem. et immo quid dico 'credo'? uidisti teque in illius specie recognouisti, cui totius mundi regna deberi uatum carmina diuina cecinerunt. quod ego nunc demum arbitror contigisse, cum tu sis, ut ille, iuuenis et laetus et salutifer et pulcherrimus, imperator. merito igitur augustissima illa delubra tantis donariis honestasti ut iam uetera non quaerant. iam omnia te uocare ad se templa uidentur praecipueque Apollo noster, cuius feruentibus aquis periuria puniuntur, quae te maxime oportet odisse.

XXII. Di immortales, quando illum dabitis diem, quo praesentissimus hic deus omni pace composita illos quoque Apollinis lucos et sacras sedes et anhela fontium ora circumeat? quorum scaturigines leni tepore nebulosae arridere, Constantine, oculis tuis et osculis sese inserere uelle uidentur. miraberis

1 ne] me *Bert.* ‖ 6 ordinante *edd.:* ornante **M** ‖ 7 ferre **W**: fere **A B C V** | uotaueras *ego:* uocaueras **M** uoueras **w** ‖ 11 tibi lanceas afferentem **A** | tricenum *edd.:* triceno **M** tricenorum **w** ‖ 14 pylani **A** | imo **B V** uno **C** | quid credo, *om.* dico, *Bert.* **B C V** ‖ 15 cuius totius **A** ‖ 18 ut] et **C** ‖ 20 honestati **B W u** ‖ 21 uidentur *Liuineius:* uideantur **M** ‖ 27 sedes *edd.:* edes **M** hedes *Bert.* | hanella **M** (anela **C**) ‖ 28 circummeat **A** ‖ 29 tepore *edd.:* tempore **M** ‖ 30 uidentur *Liuineius:* uideantur **M**

profecto illam quoque numinis tui sedem et calentes aquas sine ullo soli ardentis indicio, quarum nulla tristitia est saporis aut halitus, sed talis haustu et odore sinceritas qualis fontium frigidorum. dabis et illic munera, constitues priuilegia, ipsam denique patriam meam ipsius loci ueneratione restitues. cuius ciuitatis antiqua nobilitas et quondam fraterno populi Romani nomine gloriata opem tuae maiestatis expectat, ut illic quoque loca publica et templa pulcherrima tua liberalitate reparentur, sicuti uideo hanc fortunatissimam ciuitatem, cuius natalis dies tua pietate celebratur, ita cunctis moenibus resurgentem ut se quodammodo gaudeat olim corruisse, auctior tuis facta beneficiis. uideo circum maximum aemulum, credo, Romano, uideo basilicas et forum, opera regia, sedemque iustitiae in tantam altitudinem suscitari ut se sideribus et caelo contigua et uicina promittant. quae certe omnia sunt praesentis munera. quaecumque enim loca frequentissime tuum numen illustrat, in his omnia et hominibus et moenibus ex muneribus *tuis* augentur; nec magis Ioui et Iunoni recubantibus nouos flores terra summisit quam circa tua, Constantine, uestigia urbes et templa consurgunt. ideoque hoc uotis meis sufficit ut patriam meam uideas ducente pietate, quia statim erit restituta, si uideris. sed enim ista felicitas uiderit an adhuc meae debeatur aetati.

XXIII. Interim quoniam ad summam uotorum meorum tua dignatione perueni, ut hanc meam qualemcumque uocem diuersis fori et palatii officiis

2 solis **W** ‖ 3 aut habitus **W** ‖ 6 uenerationem **A** ‖ 9 publica *om.* **W** ‖ 10 sicuti *Liuineius:* sicut hic **M** ‖ 11 fortissimam *Bert.* ‖ 17 c̄tigua *scripsi:* digna **M** ‖ 18 praesentis munera *scripsi:* presentia munera **M** praesentiae tuae mun. *Liuineius* ‖ 20 omnia et hom. **A W** *Bert.:* et hom. omnia **B C V** ‖ 21 ex muneribus tuis *scripsi l. l. p. 220:* et muneribus **M**; *an delendum?* ‖ 22 et *om.* **A W** Iunonique *edd.* | recumbant. **A** ‖ 25 pietatem **A B V** ‖ 29 meam *om.* **W** ‖ 30 fori *ego:* otii **M** | palati officii **A**

exercitam tuis auribus consecrarem, maximas numini tuo gratias ago tibique, quod superest, commendo liberos meos praecipueque illum iam summa fisci patrocinia tractantem, in quem me totum transtulit pietas, cuius felix seruitus, si quando respexeris, maxime tuae conueniet aetati. ceterum quod de omnibus liberis dixi, lata est, imperator, ambitio. praeter illos enim quinque quos genui etiam illos quasi meos numero quos prouexi ad tutelam fori, ad officia palatii. multi quippe ex me riui non ignobiles fluunt, multi sectatores mei etiam prouincias tuas administrant. quorum successibus laetor omniumque honorem pro meo duco et, si forte hodie infra expectationem mei dixero, in illis me confido placuisse. si tamen hoc quoque mihi tuum numen indulserit ut ex hac oratione non eloquentiae, quod nimium est, sed quantulaecumque prudentiae et deuotae tibi mentis testimonium referam: cedant priuatorum studiorum ignobiles curae; perpetua mihi erit materia dicendi, qui me probauerit, imperator.

VIII.

INCERTI

GRATIARUM ACTIO

CONSTANTINO AUGUSTO.

I. Si Flauia Aeduorum tandem aeterno nomine nuncupata, sacratissime imperator, commouere se funditus atque huc uenire potuisset, tota profecto

---

1 tuis *edd.*: in tuis **M** ‖ 5 seruitus; *malim* iuuentus ‖ 10 ex me riui non ign. *Cusp.*: ex meri uino ign. **A W** ex mea riuo ign. *Bert.* ex meri humo ign. **B C V** ‖ 11 etiam *om.* **W** ‖ 15 tuum mihi **C** ‖ 20 que me **A** ‖ 25 eduorum **M** *semper* ‖ 26 sacratissime *edd.*: sac' **A** sacer *cett.*

coram de tuis in se maximis pulcherrimisque beneficiis una uoce loqueretur tibique restitutori suo, immo, ut uerius fatear, conditori in ea potissimum ciuitate gratias ageret, cuius eam similem facere coepisti. sed quoniam id non potest, *etsi* gestit animo, quod natura non patitur clamoresque suos, quibus cotidie laudes tuas tollit in caelum, exaudiri a te non sinit interiecta longinquitas sua: id quod fieri decebat, gaudiorum patriae meae nuntium sponte suscepi, ut essem iam non priuati studii litterarum, sed publicae gratulationis orator. uolui quidem, sacratissime imperator, cum in illo aditu palatii tui stratum ante pedes tuos ordinem indulgentiae tuae uoce diuina porrectaque hac inuicta dextera subleuasti, numini tuo gratias agere (nec mihi uerba quamuis imparato defuissent; quis enim aut praeparare se ad beneficia tam insperata potuisset aut ab tanta gratulatione cohiberet?), sed habui rationem loci ac temporis, ne meus ille ardor animi studiumque dicendi tibi quidem (quod mihi ad immortalitatem sufficeret) probaretur, sed propter assistentium paucitatem minus quam te dignum esset iret in populos et te uno die de salute nostra *tam* multa tractantem moraretur oratio, quae pro magnitudine meritorum tuorum festinare non posset.

II. Nunc itaque, cum in hac urbe, quae adhuc assiduitate praesentiae tuae prae ceteris fruitur (habebit enim felicitatis aemulam Flauiam nostram), totus tibi amicorum tuorum comitatus et omnis imperii apparatus assistat, cum omnes homines omnium

---

3 fateor **A** ‖ 5 etsi *add. Gruterus: om.* **M** ‖ 6 suos] tuos **A V** *Malatestianus* ‖ 8 a te *om.* **V** *Malat.* ‖ 10 esse **A B** esses *Malat.* ‖ 11 uolui **A** *Cusp.:* nolui **B C V W** *Malat.* | quidem *scripsi l. l. p. 220:* enim **M** | sac. **A**: sacer **B C V W** *Malat.* ‖ 13 stratum **A**: statum **B C V** *Malat.* stantem **w** ‖ 14 hac] ac **w** ‖ 16 quamuis] quam **W** | imparato *Liuineius:* imparata **M** ‖ 23 populos et *Liuineius:* populo sed **M** populo si **w** [uno] illo *Liuin.* | tam *ego: om.* **M** ‖ 27 prae ceteris **A w**: prae ceteras **B C V** *Malat.* ‖ 28 nostram *om.* **C** ‖ 30 assistat *scripsi:* assistit at (ac **A C**) **M** assistat et *edd.*

fere ciuitatum aut publice missi aut pro se tibi supplices assint, dicam, imperator, ea quae libenter agnoscas, ut ceteri nobis indulta non crederent nisi te agnoscente dixissem. primum est autem, sacratissime imperator, in agendis gratiis ostendere id quod indultum sit non fortuitae felicitatis, sed iustae fuisse clementiae. nam cum omnes homines coram non indigentes iuuare boni sit principis, tum praecipue bene meritis et grauiter affectis subuenire sapientis est. quod cum ostendero non tam studio praedicandae patriae meae quam officio demonstrandae prouidentiae tuae, tum potissime beneficiorum tuorum magnitudinem persequar maiore uoto quam ingenio. quaenam igitur gens toto orbe terrarum in amore Romani nominis Aeduis se postulet anteponi? qui primi omnium inter illas immanes et barbaras Galliae gentes plurimis senatusconsultis fratres populi Romani appellati sunt et, cum a ceteris *a* Rhodano ad Rhenum usque populis ne pax quidem posset nisi suspecta sperari, olim iam consanguinitatis nomine gloriati sunt et nuper, ut media praeteream, diuum Claudium parentem tuum ad recuperandas Gallias soli uocauerunt et ante paucissimos annos, quod maxime praedicandum, plurima patris tui beneficia partim rebus effecta perceperunt, partim animo significata laetantur.

III. Fuit olim Saguntos foederata, sed cum iam taedio Punici belli nouare imperium omnis cuperet Hispania; fuit amica Massilia, sed protegi maiestate Romana gratulabatur; imputauere se origine fabu-

2 assunt **A** || 4 sac. **A B C V**: sacer **W** *Malat.* || 7 coram] etiam **W** || 8 tum] tamen **A** || 9 afflictis *Acidalius* || 10 ostendero *Bert.* **w**: ostendere **M** || 13 tuam *post* magnitudinem **A**, *ante* maiore **B C V W** *Malat. addunt: om. Bert.* | persequar **m**: prosequar **M** || 19 a *Acidalius: om.* **M** || 20 olim iam *scripsi:* soli **M** etiam **A W** *Bert. Malat.* et **B C V** || 26 significatam **C** || 27 Saguntos **C**: sagyntos **A V** *Malat.* sagintos **B** saguntus **w** || 29 sed protegi *scripsi:* protegi se **M** sed protegi se *Liuineius* || 30 romani **A**; *an* p. romani?

losa in Sicilia Mamertini, in Asia Ilienses: soli Aedui non metu territi, non adulatione compulsi, sed ingenua et simplici caritate fratres populi Romani crediti sunt appellarique meruerunt. quo nomine praeter cetera necessitudinum uocabula et communitas amoris apparet et dignitatis aequalitas. deinde cum finitimae nationes ipsi illi Romanae fraternitatis gloriae inuidentes et usque in perniciem sui odiis incitatae Germanos sibi auxiliarios dominos inuocassent, princeps Aeduus ad senatum uenit, rem docuit; cumque idem oblato consessu minus sibi uindicasset quam dabatur, scuto innixus perorauit. impetrata ope Romanum exercitum Caesaremque cis Rhodanum primus induxit (semita enim Galliae usque ad id temporis Transalpina Gallia nominabatur); deinde Aedui totum istud quod Rheno, oceano, Pyrenaeis montibus, Cottiis Alpibus continetur Romano imperio tradiderunt, hibernis hospitaliter praebitis, suppeditatis largiter commeatibus, armis fabricandis, pedestribus *et* equitum copiis auxiliantibus. ita in unam pacem sociatis omnibus Celtarum Belgarumque populis eripuere barbaris, quicquid iunxere Romanis.

IV. Dicet aliquis 'uetera ista sunt'; et quidem hoc sanctiora quod uetera. bonis enim meritis cum aetate dignitas et pondus accedit. atque ut magno natu parentes magis magisque in dies ueneramur et colimus, fratrum uero aequalitas et liberorum soboles, blandiore licet, leuiore tamen animos tangit affectu: ita beneficia antiqua grauiora sunt, quamuis praesentia suauiora uideantur. sed tamen si illa ue-

1 Ilienses **C**: Illienses **M** ‖ 7 fraternitati *edd.* ‖ 8 gloriae *scripsi:* non gloriae **M** ‖ 11 cumque idem *Liuineius:* cum quidem **M** | consessu **A** *Bert.*: consensu **B C V W** *Malat.* | munus **A B** ‖ 15 id *om.* **V** *Malat.* ‖ 16 deiñ *scripsi:* sed enim **M** sed tum *Liuineius* ‖ 17 Cottiis *scripsi:* cunctis **M** ‖ 20 et *add. Puteanus: om.* **M** equitumque *edd.* ‖ 22 iungere *Malat.*

tustate obsoleuerunt, quid haec recentia quae pueri uidimus? attende, quaeso, quantum sit, imperator, quod diuum Claudium parentem tuum ad recuperandas Gallias primi sollicitauerunt expectantesque eius auxilium septem mensibus clausi et omnia inopiae miseranda perpessi tum demum irrumpendas rebellibus Gallicanis portas reliquerunt, cum fessi obserare non possent. quod si uobis et conatibus Aeduorum fortuna fauisset atque ille rei publicae restitutor implorantibus nobis subuenire potuisset, sine ullo detrimento Romanarum uirium, sine clade Catalaunica compendium pacis reconciliatis prouinciis attulisset fraternitas Aeduorum. ob haec igitur merita tam prisca diuus pater tuus ciuitatem Aeduorum uoluit iacentem erigere perditamque recreare, non solum pecuniis ad calendaria largiendis et lauacris quae corruerant extruendis, sed etiam metoecis undique transferendis, ut esset illa ciuitas prouinciarum uelut una mater, quae reliquas urbes quodammodo Romanas prima fecisset.

V. Dixi quam bene meritis Aeduis subueneris, imperator; sequitur ut dicam quam grauiter afflictis. qui locus nimium quantum plus mihi suppeditaret orationis, si fas esset audiente te rebus tristioribus immorari. ut igitur in praedicandis laudibus patriae meae uerecundia modum fecit ne arroganter insurgerem, ita in commemorandis eiusdem malis et meus dolor et tuarum aurium consuetudo cohibebit. nihil enim libenter audis, nisi quo prospera tuis gratuleris. sed tamen quaeso, imperator, iniunge patien-

1 obsoluerunt **A** absoleuerunt **W** ‖ 2 quantū *scripsi:* quanta **M** quanti *edd.* | sint **w** ‖ 4 primi] parum **W** ‖ 8 obserare *scripsi:* obseruare **M** seruare *edd.* ‖ 11 romanorum **A** ‖ 12 catalannita **A** ‖ 14 merita tam *scripsi:* merita et **M** | prima **W**: primas **A B C V** ‖ 17 etiam **A**: et *cett.* | metoecis *Rhenanus:* metycis **A** meticis **BCVW** *Mal. Bert.* ‖ 23 nimium] mirum *Puteanus* ‖ 25 laudibus] *om.* **A** meritis **W** *post lacunam 26 litt.* ‖ 29 quo prospera tuis grat. *scripsi:* quos (quo **W**) pro tuis grat. **M** quod pro tuis pertuleris *Lipsius* pro quo tuis grat. *Liuineius*

tiam sensibus tuis ut, quemadmodum praestantes scientia medici non aspernantur uulnera inspicere quae sanant, ita nunc tu paulisper audias Aeduorum labores quos sustulisti. neque enim potes sine experimento miseriae ad laudem clementiae peruenire. iacebat illa ciuitas non tam moenium ruinis quam uirium defectione prostrata, ex quo eam noui census exanimarat acerbitas. nec tamen iuste queri poterat, cum et agros, qui discripti fuerant, haberemus et Gallicani census communi formula teneremur, qui fortunis nemini possumus aequari. quo magis, imperator, clementiae tuae gratias agimus, qui remediis sponte concessis fecisti ut, quod non poteramus iure petere, iuste obtinuisse uideamur.

VI. Habemus enim, ut dixi, et hominum numerum, qui delati sunt, et agrorum modum, sed utrumque nequam hominum segnitia terraeque perfidia. unde enim nobis Remus aut Neruius aut ipse ille de proximo Tricassinus ager aut arator? quorum reditus cum labore contendunt. quamquam merito quiuis ignoscat ipsis cultoribus, quos piget laborare sine fructu. siquidem ager qui numquam respondet impendiis ex necessitate deseritur, etiam inopia rusticanorum, quibus in aere alieno uacillantibus nec aquas deducere nec siluas licuit excidere: ita quidquid olim fuerat tolerabilis soli, aut corruptum est paludibus aut sentibus impeditum. quin etiam ipse ille pagus Arebrignus inani feritur inuidia, cuius infimo loco uitium cultura praecipua est: nam retro

5 miseriae *Liuin.:* misericordiae **M** | ad] et **A** ‖ 6 moenium ruinis *Fr. Modius:* minium (menium *Bert.*) romanis (rōnis *Bert.*) **M** ‖ 8 examinarat **A** ‖ 9 descripti **M**, *correxi* ‖ 11 qui] *malim* quis | aequari] comparari *Bert.* ‖ 20 redditus **M** ‖ 21 quiuis **w**: quiuis si **M** ‖ 22 respondent **A** ‖ 25 quid qui **A** ‖ 27 impedimentum quam etiam **A** ‖ 28 Areprignus **W** arebignus **C** *om.* **B** | inaui **A** | feritur *Cellarius:* fertur **M** | mann seritur inuida *edd.* inani ser. industria *Eyssenhardtus* ‖ 29 infimo loco *scripsi:* in uno loco **A** *Bert.* in loco **B C V W** in imo loco *Liuineius* | praecipua *scripsi:* perspicua **M** perexigua *Acidalius*

cetera siluis et rupibus inuia securarum sunt cubilia bestiarum. illa autem quae subiecta et usque Ararim porrecta planities fuit quidem, ut audio, aliquando iocunda, cum per singulorum fines continua cultura procursus fontium uallibus patentibus euehebat; nunc autem interclusis uastitate meatibus, quicquid humilitate sua fuerat uberius, in uoragines est [stagna] conuersum. ipsae denique uineae, quas mirantur ignari, ita uetustate senuerunt ut culturam iam paene non sentiant. radices enim uitium, quarum iam nescimus aetatem, milies replicando congestae altitudinem debitam scrobibus excludunt et ipsam propaginem non abditam, sed obiter tectam produnt imbribus eluendam et solibus perurendam. nec possumus, ut Aquitanis aliisque prouinciis familiare est, nouis uitibus locum ubique metari, cum supra saxa perpetua sint, infra humilitas pruinosa.

VII. Nam quid ego de ceteris ciuitatis illius regionibus loquar, quibus illacrimasse te ipse confessus es? uidisti enim non, ut per agros aliarum urbium, omnia fere culta aprica florentia, uias faciles, nauigera flumina ipsas oppidorum portas alluentia, sed statim ab eo flexu, e quo retrorsum uia ducit in Belgicam, uasta omnia, inculta squalentia, muta tenebrosa, etiam militaris uias ita confragosas et alternis montibus arduas atque praecipites ut uix semiplena carpenta, interdum *solum* ua-

---

2 quae *deleuerim;* subiecta est et *Puteanus* | et usque] eras que **A** ‖ 5 uallibus *edd.:* uallis **M** (ual **W**) canalibus (*uel* callibus) latentibus *Acidalius* ‖ 7 uoragines est [stagna] *scripsi:* uoragine stagna **M** uoraginum stagna **w** uoraginem et stagna *edd.* ‖ 10 radices **w**: radicis **M** ‖ 11 milies **A w**: miles *cett.* | replic.] repastinando *Acidalius* ‖ 13 abditam *scripsi:* debitam **M** | obiter tectam *scripsi:* obtectam **M** debitam nec obtectam *Eyssenhardtus* ‖ 15 aliis prou. **C** ‖ 16 ubi met. **A**; *an* ibi? ‖ 17 sunt **A** ‖ 21 aprica *scripsi:* aperta **M** uberta *M. Hauptius Herm. IV p. 151* ‖ 25 uias ita *Hauptius:* uia sit ac **M** *Bert.* | confragosa sed **w** ‖ 26 arduas *Hauptius:* arduis **M** (ardiis **A**) ardui **w** ‖ 27 solum (*olim* nec *l. l. p. 221*) *addidi:* *om.* **M**

cua transmittant. ex quo saepe accidit ut obsequia nostra tarda sint, cum paruarum frugum nobis difficilior sit euectio quam ceteris plurimarum. quo magis, imperator, pietati tuae gratias agimus, qui cum scires [itinerum] regionum nostrarum aditum atque aspectum tam foedum tamque asperum, tamen illo deflectere et urbem illam sola opis tuae expectatione uiuentem illustrare dignatus es. boni principis est libenter suos uidere felices, sed melioris inuisere etiam laborantes. di boni! quisnam ille tum nobis illuxit dies (iam enim ad praedicanda remedia numinis tui ordine suo peruenit oratio), cum tu, quod primum nobis signum salutis fuit, portas istius urbis intrasti? quae te habitu illo in sinum reducto et procurrentibus utrimque turribus amplexu quodam uidebantur accipere.

VIII. Miratus es, imperator, unde se tibi tanta obuiam effunderet multitudo, cum solitudinem ex uicino monte uidisses. omnes enim ex agris omnium aetatum homines conuolauerunt ut uiderent quem superstitem sibi libenter optarent. quod enim ad propagandos aliorum principum dies sollemni uerborum honore oratur, tibi, Constantine, soli ultra omnium nostrum fata uicturo securi uouemus, cui tam longa aetas propria debeatur. magna est profecto uis post diuturnam aegritudinem atque maestitiam surgentium gaudiorum. caluit in nobis ultra uires animus ad laetitiam, et quodam praesagio uenturae felicitatis elati *te* tanta exultatione

1 transmittat **ABCV** ‖ 2 paucarum *edd.* ‖ 5 itinerum *seclusit Acidalius* internum reg. no. habitum *Hauptius l. l.* | aditumq; **A** ‖ 10 di boni] DI mīn. *Bert.*, *unde* inmortales *Liuineius;* dii m̃m̃ **A**, *unde* di magni *malim* ‖ 12 suo peruenit **A** *Bert.:* superuenit **BCVW** ‖ 17 est **A** ‖ 19 omnes; *malim* omnibus ‖ 20 aetatum] e tantū **A** | conuolauerant *Rittershusius* ‖ 21 sibi] si **A** | ad *om. Bert.* ‖ 22 dies *om.* **A C** *et*, *ut uid.*, *Bert.* annos *add. Rhenanus* | solennium *Bert.* ‖ 23 honore *ego:* more **M** | oratur *scripsi:* iuratur **M** uouetur *Rittershusius* ‖ 24 uictor **C** ‖ 25 debetur **A** ‖ 28 uires **A** *Bert.:* uires nostras **B C V W** ‖ 29 uent.] futurae **C** | te *post* elati *addidi*, *post* tanta *edd.:* *om.* **M**

suscepimus, quasi iam indulgentiam quam daturus eras haberemus. exornauimus uias quibus in palatium peruenitur, paupere quidem supellectili, sed omnium signa collegiorum, omnium deorum nostrorum simulacra [protulimus], paucissima clarorum instrumenta modulorum per compendia saepius tibi occursura protulimus. diuites nos crederet qui ueritatem studio aestimaret. sed enim prouidentiam tuam latere non potuit quamuis bene dissimulata paupertas: intellexisti officiosam et honestam inopum uanitatem.

IX. Sponte nos ad numinis tui aditum uocare, sponte affari, sponte quid opis desideraremus interrogare dignatus es. haec sunt, imperator, uera beneficia quae non precibus efflagitata, sed ex uoluntaria tua bonitate proueniunt et citra ullam petendi molestiam adipiscendi uoluptatem dederunt. neque enim parui negotii est imperatorem totius orbis pro se peculiariter rogare, sub tantae maiestatis aspectu perfricare frontem, uultum componere, confirmare animum, uerba concipere, intrepidanter dicere, apte desinere, expectare responsum. has omnes difficultates, imperator, uerecundiae nostrae remisisti, non solum ultro percontando quid remedii posceremus, sed etiam tibi ipsi suggerendo quae nos tacebamus, dum nos iacentes ad pedes tuos clementissimo attollis affatu. uidimus misericordiam tuam umentibus oculis eminentem. ibant per haec ora lacrimae, lacrimae nobis salutares, tibi gloriosae: et nos inuicem iam dolore discusso flebamus gaudio. nam sicut agros diuturno ardore sitientes expetitus

1 susceperimus *Bert., sed idem p. 186, 28* et quodam *cum rell.* || 5 protulimus *del. Jaegerus, alterum l. 7 Liuineius* || 12 uocare **w**: uocares **M** *Bert.* || 13 opis **W**: opus **A B C V** || 18 imperatorem **w**: imperator **M** || 19 peculia ter **A** | subs **A** || 20 aspectu *Acidalius:* affectu **M** || 21 intrepidanter *Acidalius:* trepidanter (-tem **A**) **M** || 22 apte] aperte **W** || 24 remisisti *edd.:* renuisti (rēn. **A**) **M** | ultro **A w**: ultra *cett.* || 29 lacrimae lacrimae **W**: lacrimae **A B C V**

uotis imber ubertat: ita lacrimae tuae pectora nostra gaudiis irrigabant, ut, quamuis nefas esset te flente laetari, uinceret tamen gratulatio religionem, cum lacrimae illae pietatis essent indices, non doloris.

X. Et haec quidem nobis ad summam gratulationem sufficere potuissent, etiamsi remediorum nostrorum spem distulisses et quibus nos opibus leuaturus esses dubium reliquisses. sed tam prompta in te est natura bonitatis ut quod pia mente conceperis statim uoce declares. sic ingenui largique fontes ut ubique prosint ire festinant, sic celeriter in terras caelo missa perueniunt, sic denique diuina illa mens, quae totum mundum hunc gubernat, quidquid cogitauit ilico facit. in quo tamen, imperator, si consilium alicuius amici callidioris admitteres, esset quod fortasse reprehenderet: nimium te scilicet facile ea quae sis tributurus aperire et sine ullo artificio cito promere quae sperari diu debeant. nescis, imperator, tua commendare beneficia: praestandi celeritate occupas tempus optandi. etenim indulgentiae celeritate uicisti, imperator, ipsa elementa quibus animamur et uiuimus. diu uenturi hominis partus optatur, diu uagitus inconditi locuturam differunt uocem; diu fruges hiemps cohibet, uer elicit tepore, aestas solidat calore [maturat]: tu nobis uitam pariter totam dedisti, tu fructus meritorum tuorum statim nos metere et in conditis referre iussisti. releuaturus censum definisti numerum, reliqua [debita] remissurus quantum deberemus interrogasti. quae interrogatio manifesta promissio fuit. nam cum is qui omnia potest quid sibi debeatur interrogat, non

---

4 indices **A** ‖ 10 declaras **A** | ingenii **A** ‖ 11 ubi pros. **W** | festinent **w** ‖ 14 facit *Eyssenhardtus:* fecit **M** ‖ 15 alicuius **ABVW**: alienius **C** *Bert.* | callidioris *om. Bert.* ‖ 16 reprehenderetur *edd.* ‖ 18 sperare **C** ‖ 20 etenim *Jaegerus:* sed enim **M** ‖ 24 uer elicit tepore aestas *scripsi l. l. 221:* uere licita estas flore **M**, *nisi quod* uer ≡ licit ≡ estas **V** uer elicit flores estas **w** ‖ 25 calore maturat *Acidalius:* calor ematurat **M**; maturat *seclusi* ‖ 27 in condis *Bert.* ‖ 29 debita *del. Rittershusius*

curiose percontatur ut sciat, sed liberaliter cupit audire quantum remittat.

XI. Separate igitur utraque dicam; neque enim quasi per saturam confundenda sunt tanta beneficia. septem milia capitum remisisti, quartam amplius partem nostrorum censuum, et tamen an sufficeret hoc nobis saepius requisisti. o nos utrumne uerecundos nimium dicam an satis gratos? qui reticuimus, haesimus, indulgentiae tuae ample fluenti modum fecimus. plus adhuc praestare cupiebas, si ausi fuissemus exposcere. quantum sit hoc, imperator, beneficium, quam necessarium nobis, quam utile etiam deuotionis officiis, non queo satis dicere. remissione ista septem milium capitum uiginti quinque milibus dedisti uires, dedisti opem, dedisti salutem plusque in eo consecutus es quod roborasti quam recidisti in eo quod remisisti: quasi ter tantum tibi firmum certumque redditum est, id quod *olim* irrito petebatur, siquidem desperatio perferendi debiti etiam id quod dari poterat inhibebat. nec erat ratio conandi, cum non esset spes ulla complendi. o diuinam, imperator, tuam in sananda ciuitate medicinam! sicut aegra corpora et onerata turgentium torpore membrorum resecata aliqua sui parte sanantur, ut imminuta uigeant quae exaggerata torpebant, ita nos nimia mole depressi leuato onere consurgimus.

XII. Nescit taxare indulgentiam tuam qui te putat septem milia capitum sola donasse. donasti omnia quae stare fecisti. quamquam enim adhuc sub pristina sarcina uacillemus, tamen leuior uidetur,

---

3 utraque *Bert.*: utroque **M** utrunque w ‖ 4 saturam **A W** *Bert.*: satiram **B C V** | sunt] tibi **W** | tanta] tua **C** ‖ 5 quartam **C**: quintam **M** *Bert.* ‖ 7 utrumne] utrum nos **A** *fort.* o, utrum nos uerec. ‖ 8 nimium dicam **A W**: dicam nimium **B C V** ‖ 15 plusquam **A** ‖ 17 quasi ter *scripsi*: quater **M** (quatenus **W**) quartum *Bert.* ‖ 18 olī *addidi*: *om.* **M** ‖ 23 turgentium *scripsi*: stupentium **M** tumentium *Eyssenhardtus* ‖ 27 nexit **A**

quia uicino tempore fertur: exonerandi praesumptio dat patientiam sustinendi. certe et nunc liberi parentes suos cariores habent et mariti coniuges non grauate tuentur et parentes adultorum non poenitet filiorum, quorum onera sibi remissa laetantur. ita omnium pietas olim fessa respirat et suos quemque iuuat numerare securum, cum plures adiuuant obsequia paucorum. quo magis spe futuri temporis eleuamur. recreatur animus securitate praeteriti remissisque reliquis nihil est quod respectandum timendumque sit, quod aliquid uirium uenturis pensitationibus neget. ita duorum temporum, quae sunt maxima, molestia liberati sumus: unum atque id minimum breui labore transigimus. nam cum praeteritum tempus pro modo suo longum, futurum autem infinitum sit, praesens [tempus] breue et semper in partem utramque mutabile, cum et praeterito relinquatur et transeat in futurum: unus hic annus prope sensum non habet difficultatis duorum temporum indulgentiis coartatus et quasi terminus quidam positus felicitati in utrumque confini, quae nos et praeterito liberos facit et in futuro securos.

XIII. Quinque annorum nobis reliqua remisisti! o lustrum omnibus lustris felicius! o lustrum quod merito hanc imperii tui aequauit aetatem! nobis ergo praecipue te principem di munificum creauerunt, quibus singulis haec est nata felicitas, ex quo tu imperare coepisti. quinquennalia tua nobis, set iam

---

1 uicino tempore fertur (*uel* feretur) *scripsi l. l. p. 221:* uicino nemo praefertur *Bert.* uicino perfertur **M** ‖ 5 onera] huera **A**. *an* munera? ‖ 10 quod spectandum **W** ‖ 12 neget *Liuineius:* necet **M** ‖ 16 tempus *seclus. Liuineius* | in *om.* **A** ‖ 17 et a praeterito *edd.* ‖ 19 difficultatis *edd.:* difficultas **M** ‖ 20 coartatur **W** ‖ 21 in utrumque confini *scripsi:* et utrumque confinii **M** | uos **A** ‖ 26 munificum *scripsi:* numinum *Bert.*, nūm (*uel* nuiu *uel* nuui) **A** *om.* **B** *in lac. 6*, **V** *in lac. 4 litt.*, **C**, nostri **w** immortales *Liuineius* ‖ 27 singularis haec *Acidalius* ‖ 28 set iam *scripsi:* etiam **M**

perfecta, celebranda sunt. illa enim quinto *anno* incipiente suscepta omnibus populis iure communia, nobis haec propria quae plena sunt. praeclara fertur Catonis oratio de lustri sui felicitate. iam tunc enim in illa uetere re publica ad censorum laudem pertinebat, si lustrum felix condidissent, si horrea messis implesset, si uindemia redundasset, si oliuitas larga fluxisset. quid ergo nos conuenit gratulari de hoc indulgentiae tuae lustro? lustro, quo, licet illa frugum cessarit ubertas, fecisti tamen ut omnia largiora uideantur fuisse quam fuerint. ualet enim nos tantum habuisse quantum debere desiuimus; ualet plena fuisse horrea, plenas cellas, cum in nullis reliquis haereamus. hoc nobis est ista largitio, quod Terra mater frugum, quod Iuppiter moderator aurarum: quicquid illi parcius dederant, nobis tamen ex beneficio tuo auctum est.

XIV. Quaenam toto orbe terrarum auri argentique metalla tam larga sunt, quis Tagus quisue Pactolus tanto fluxit auro quantum liberalitate tua consecuti sumus? non enim maioris est muneris abs te accepisse. quin immo quanto est durius extorqueri quod proprium fuerit quam non acquirere quod fuerit alienum, tanto dulcior est remissa soluendi necessitas quam lucrandi optata commoditas. quam multi, imperator Auguste, quos inopia latitare per saltus aut etiam in exilium ire compulerat, ista remissione reliquorum in lucem exeunt, in patriam reuertuntur, desinunt pristinam accusare pauperiem, desinunt odisse agrorum suorum sterilitatem, resu-

1 quinto anno *scripsi:* quinto **M** *Bert.* (quanto **C**) || 6 condidisset **M** || 7 *sq.* oliueta l. fluxissent **M**, *corr. Rittershusius* || 9 lustro *alterum om.* **B C V** | illa *scripsi:* nulla **M**; *an delendum?* nulla frug. bearit ub. *Eyssenhardtus* || 12 desinimus **A** *edd.* || 17 auctum *scripsi:* natum **M** || 21 est] esset *Puteanus* || 22 quanto *edd.:* tanto **M** || 27 ire comp. **C w**: recomp. **M** || 29 desinunt **w**: desinant **M** || 30 desinunt **w**: desinant **M**

munt animos, operi praeparantur, culturam melioribus adnituntur auspiciis, reuisunt domos, referunt uota templis. praesertim cum tu omnium nostrum conseruator adueneris et ille quasi maiestatis tuae comes et socius *deus:* flagrabit tota ciuitas, gaudiis perstrepet et, cum proficisceris, fortasse retinebit. dabis enim ueniam, amoris nostri contumaciam feres. omnium sis licet dominus urbium, omnium nationum, nos tamen etiam nomen accepimus tuum: iam non antiquum Bibracte, quod hucusque dictum est Iulia, Polia, Florentia, sed Flauia est ciuitas Aeduorum ****

IX.

INCERTI

PANEGYRICUS CONSTANTINO AUGUSTO

DICTUS.

I. Unde mihi tantum confidentiae, sacratissime imperator, ut post tot homines disertissimos, quos et in urbe sacra et hic rursus audisti, dicere auderem? nisi nefas esse ducerem et commissi cuiusdam sacrilegii religionem uererer, si is, qui semper res a numine tuo gestas praedicare solitus essem, haec tanto maiora pristinis silentio praeterirem, per quae non pars aliqua seruata, sed uniuersa sibi est res publica

3 nostrum **W**: nostrorum **A B C V** || 4 ille quasi *Liuineius:* quasi ille **M** *Bert.* quasi ipse *Eyssenhardtus* || 5 deus *ego: om.* **M** || 7 amori nostro **w** | contumaciam *scripsi:* contumeliam **M** || 10 Bibracte *Cusp.:* bribracte **A C V w** bribrae te **B** bribacte **W** *m. 1* | dictū *ego:* dicta **M** || 11 eduorum et cetera (*compendiose*) **A**, *unde lacunam significaui* || 16 sac. **M** || 17 hom. disert. **A W** *Bert.:* disert. hom. **B C V** || 18 rursus hic *Bert.* || 21 predicares **A** || 22 maiora a **A** || 23 sibi res est **W**

restituta. neque enim ignoro quanto inferiora nostra sint ingenia Romanis. siquidem latine et diserte loqui illis ingeneratum est, nobis elaboratum, et, si quid forte commode dicimus, ex illo fonte et capite facundiae imitatio nostra deriuat. sed quamuis conscius mihi infirmitatis ingenitae et inchoati potius studii quam eruditi cohibere me silentio nequeo, quo minus de recuperata urbe imperioque Romano tandem ex diuturna conuulsione solidato et ipse aliquid coner effari, ut inter tantos sonitus disertorum mea quoque uox tenuis exaudita uideatur. etenim si in rebus bellicis ipsisque proeliis non solum tubae ac litui, sed etiam Spartanae tibiae incentiuum aliquod feruntur habuisse (credo, quia magnos animos paruo licet modulo sufficit incitari): cur ego de tuo in me fauore diffidam, ut sermonem meum studio potius tui cultus quam suis uiribus metiaris? experiar igitur, ut possum, quamquam oppletis auribus tuis ut sic dixerim insusurrare, sine aemulandi fiducia cupidus imitandi.

II. Ac primum illud arripiam quod credo adhuc neminem ausum fuisse, ut ante de constantia expeditionis tuae dicam quam de laude uictoriae. transacto enim motu aduersi hominis et offensione uacanti utar libertate erga te nostri amoris, quem tunc inter metus et rei publicae uota suspendimus. tene, imperator, tantum animo potuisse praesumere ut bellum tantis opibus, tanto consensu auaritiae, tanta scelerum contagione, tanta ueniae desperatione conflatum quiescentibus cunctantibusque tunc imperii tui sociis primus inuaderes? quisnam te deus, quae tam

1 nostra sint ing. **A W** *Bert.:* sint ing. nostra **B C V** || 3 nobis **C w**: nomen bis **M**. *an* nobismet? || 4 facundie **w**: et facundie **M** (et facundia **C**) || 8 tandem *Eyssenhardtus:* et tandem **M** || 13 intentiuum **B C V** | aliquid **A** || 15 in me de tuo **M**, *transposui* || 22 neminem adhuc **C** || 24 motu *ego:* mutu **A** nutu **B C V** metu **w** | offensione uacanti *ego:* offensio reuocati **M** offensione reuocati **w** || 25 nunc **W** || 27 an tantum *Bert.* || 29 scel. cont. tanta *om.* **C**

praesens hortata est maiestas ut, omnibus fere tuis comitibus et ducibus non solum tacite mussantibus, sed etiam aperte timentibus, contra consilia hominum, contra haruspicum monita ipse per temet liberandae urbis tempus uenisse sentires? habes profecto aliquod cum illa mente diuina, Constantine, secretum, quae delegata nostri dis minoribus cura uni se tibi dignatur ostendere. alioquin, fortissime imperator, sic quoque, cum uiceris, redde rationem. Rhenum tu quidem toto limite dispositis exercitibus tutum reliqueras, sed hoc maiores pro te suscepimus metus quod nobis potius quam tibi consulebas nostramque pacem magis quam bellum quod aggrediebare firmaueras.

III. Ne tu, imperator, nimio nostri amore nescisti ad securitatem nobis uere prouidere, qui non omnia tecum arma mouisti, cum tua conseruatio salus nostra sit. et quid opus erat ipsi Rheno instructis et militibus et classibus, quem iam pridem barbaris nationibus uirtutis tuae terror obstruxerat? an ostentare uoluisti diligentiam tuam, diuisis copiis inter custodiam pacis et belli? an etiam iactanter et gloriose probare liberandae urbi te sufficere cum paucis? uix enim quarta parte exercitus contra centum milia armatorum hostium Alpes transgressus es, ut appareret penitus considerantibus (id quod nos fugit tui amore trepidantes) non dubiam te, sed promissam diuinitus petere uictoriam. duxerat magnum Seuerus exercitum: at hostem suum perfidia desertus armauerat. maiores postea copias Maximianus admouerat: *at* et ipse transfugis circumcisus uidebatur prospere refugisse. ipse denique qui

6 aliquid **M**, *corr. Liuineius* || 7 nostris **W** || 15 minimo **C** || 16 prouide **A** || 18 erat opus **C** || 19 quem] que **A W** || 21 noluisti **C** || 22 an ς: aut **M** || 25 Alpes *om.* **W** || 26 penitius *Liuineius* || 27 uos **A** | tui **w**: in **M** (ut **V**) || 29 at *scripsi:* et **M** || 31 at *addidi: om.* **M** | circumcisus **A** *Bert.:* circumcisis **W**, *om.* **B C V**

pater illius credebatur discissam ab umeris purpuram detrahere conatus senserat in illud dedecus sua fata transisse. mille et sexaginta annis contractas ex toto orbe diuitias monstrum illud redemptis ad ciuile latrocinium manibus ingesserat. ad hoc aliena matrimonia, innocentium capita cum bonis passim donando usque ad mortem deuotionis obstrinxerat parricidas: omnes *autem* aut insidiatos sibi aut palam aliquid pro libertate conatos poenis affecerat, armis oppresserat. et inter haec utebatur eius urbis maiestate quam ceperat, totam Italiam conductis ad omne facinus satellitibus oppleuerat.

IV. Haec omnia, imperator, cum cogitares, scires, uideres nec te paterna grauitas nec tua natura temerarium esse pateretur: dic, quaeso, quid in consilio nisi diuinum numen habuisti? an illa te ratio ducebat (sua enim cuique prudentia deus est), quod in tam dispari contentione non poterat melior causa non superare et, innumerabiles licet ille copias pro se obiceret, pro te tamen iustitia pugnabat? ut enim omittam illa quae non decet comparari, quod erat ille Maximiani suppositus, tu Constantii Pii filius; ille despectissimae paruitatis, detortis solutisque membris, nomine ipso abusiua appellatione mutilato, tu (quod sufficit dicere) tantus ac talis: ut haec, inquam, omittam, te, Constantine, paterna pietas sequebatur, illum, ut falso generi non inuideamus, impietas; te clementia, illum crudelitas; te pudicitia soli dicata coniugio, illum libido stupris omnibus contaminata; te diuina praecepta, illum superstitiosa maleficia; illum denique spoliatorum templorum, trucidati senatus, plebis Romanae fame necatae pia-

7 mortis deuotionem *Liuineius* | parricios **W** ‖ 8 autem aut *scripsi:* aut **M** autem *Langius* ‖ 16 diuinum] tuum **C** ‖ 18 tam in disp. **W** ‖ 20 pugnabat *Liuineius:* pugnaret **M** ‖ 23 paruitatis **w**: prauitatis **M** ‖ 25 ac] et **A** | haec] hoc **C** ‖ 27 inuideamus; *malim* inludamus ‖ 32 fame enectae *edd.*

cula, te abolitarum calumniarum, te prohibitarum delationum, te conseruati orbis atque homicidarum sanguinis gratulatio. in tam diuersa causarum ratione diuino consilio, imperator, hoc est tuo, non militum multitudinem, sed partium merita numerasti.

V. Magnus Alexander, cum praeter Macedonas suos cunctae Graeciae, uniuerso Illyrico innumerabilem dilectum posset indicere, numquam tamen maiores quadraginta milium copias duxit inhabile regenti ratus, quicquid excederet, et turbam potius quam exercitum. tu uero etiam minoribus copiis bellum multo maius aggressus es, tanto scilicet propria tua uirtute potior quanto ille numero instructior. et ille quidem contra leues Medos et inbelles Syros et Parthorum arma uolatica et Asiaticos optantes mutare seruitium rem gessit proelii unius euentu: tibi uincendi erant milites (pro nefas!) paulo ante Romani, armis omnibus more primae classis armati et pro facinorum conscientia numquam nisi morte cessuri. probauit hoc prima obstinatio eorum, qui sub ipsis Alpium iugis, munitissimum licet muro ac situ tenentes oppidum, ausi fuerunt te imminente resistere ac portas claudere; non credentes illi quidem, ut audio, ipsum te adesse (quis enim crederet tam cito a Rheno ad Alpes imperatorem cum exercitu peruolasse?), sed tamen qui non solum praesenti numini tuo, uerum etiam nuntiato nomini cedere debuissent. luerunt igitur ilico dementiae suae poenas, cum oblatam sibi a clementia tua ueniam recusassent. neque enim uallo fossaque obsessio inchoata est, nec cuniculis agendis nec machinis admouendis

---

2 te *del.* **w** | conseruati orbis *Arntzen.:* conseruatio **M** P.R. conseruati *Acidalius* ‖ 8 delectum **C** ‖ 9 milibus *Liuineius* ‖ 10 iratus **A** ‖ 12 maius] magis **C V** | prop. tua uirt. **A W**: uirt. tua prop. **B Ç V** ‖ 17 erant uincendi **C** ‖ 21 munitissimum *Liuineius:* munitissimo **M** | scilicet *Acidalius* ‖ 24 ipsum te **A W**: te ipsum **B C V** ‖ 26 sed qui tamen *Gruterus* ‖ 27 cedere **w**: credere **M** *Bert.* ‖ 28 igitur *del.* **w** ‖ 30 uallo *edd.:* bello **M**

nec incutiendo ariete temptati quassatique sunt muri, sed statim iniectae faces portis, scalae propugnaculis; nec caesum fundis eminus telisque missilibus, sed hastis, gladiis. ita res simul coepta et patrata, iunctusque rebellibus fuit conatus et exitus.

VI. Gomphos, urbem Thessaliae, quoniam abnueret obsequium, C. Caesar uno die sustulit. sed ille Graeculos homines adortus est, tu subalpinos; ille solos incolas, tu etiam militare praesidium; ille non potuit captos a direptione defendere, tibi licuit clementiam *a* tuis uictoribus impetrare. et illa quidem Gomphensium clades documento ceteris fuit: tibi paulo post alia in Taurinatibus campis pugna pugnata est, non trepidantibus ex uictoria tua rebellibus, sed iratis incensisque ad ulciscendum animis quos fortunae inclinatio restinguere debuisset, nec uero temere ac passim uagis hostibus ut facile palantes caederentur, sed acie in cunei modum structa, descendentibus retro in altitudinem lateribus, quae scilicet, cum prima auide confligeret, conplexa impeditos certamine circumirent. sed tu id prouidens praemisisti utrimque qui obuiam irent et simul, si quid insidiarum lateret, excuterent; ipse obtruncato illo capite deiectaque acie in fugam uersa tanto maiorem in processu stragem edidisti quanto amplioribus subsidiis instructa constiterat. ita usque ad Taurinatium muros fusi caesique obseratasque nancti portas ab incolis etiam corporum suorum mole clauserunt.

VII. Quid tibi aliud sperare potuisti, miles infelix, turpissimo illi tunc deuote prodigio? iam enim

3 caesum *ego:* solum **M** | missilibus **w**: missilibusque **M** || 6 Gonphos *et* 12 Gonphens. **M** (Gomph. **C**) || 11 clementia **A** | a t. u. impetrare *scripsi:* t. u. imperare **M** | et *Gruterus:* sed **M** | illi **C** illic *Liuin.* || 13 pugna grauior pug. **w** || 16 restinguere *edd.:* restringere **M** || 20 scilicet *Liuin.:* s. *Bert.* si **M** | conplexa *ego:* conflexa **A** reflexa **BCVW** || 21 circumiret **M**, *correxi* | premisisti **w**: premissi **A** premissis *cett.* || 22 siquid **BCw**: siquis **AV** || 23 obtruncato *scripsi:* obfirmato **M** (conf. **W**) || 24 detectaque *Liuin.* || 25 quanto **BCVw**: tanto **A** || 27 nacti **BCw** || 30 turpissimos **AV** -mus **B**

non insulto, sed doleo. Constantinum tu tantum sanguinis fundere coegisti, cui, quia salutem uestram a uobis impetrare non licuit, paene displicuit ipsa uictoria. at non Taurinatibus neque ceteris Italiae ciuitatibus idem animus fuit, qui te, imperator, exultantes gaudio certatim ad se uocauerunt. missae ab omnibus legationes, oblati undique commeatus, ut appareret quamdiu desiderassent cui se iam prompte bello adhuc restante committerent. qui fuit dies ille quo Mediolanum ingressus *es!* quae gratulatio principum ciuitatis! qui plausus populi! quae securitas intuentium te matrum, te uirginum! quae duplici fructu fruebantur, cum pulcherrimi imperatoris formam uiderent et licentiam non timerent. ostentare se omnes et tripudiare sine ullo de reliquiis belli metu et auspicium uictoriae tuae pro consummatione metiebantur: non Transpadana prouincia uidebatur recepta, sed Roma. quis enim crederet tantis successibus tuis ullum obstaculum fore, quo minus omnes exercitus se clementiae tuae traderent, cum uirtutis experimentum nouissent? muros ui ceperas, acie palam uiceras: quis tam demens uidebatur ut aut obsideri auderet aut congredi? praesertim cum tu dies aliquot Mediolani resistens tempus omnibus sibi consulendi dedisses ut de te sperarent.

VIII. Sed enim aerumnosa illa et iam pridem perdita, aetate nostra ciuili sanguine maculata, Verona maximo hostium exercitu tenebatur, acerrimis ducibus pertinacissimoque praefecto, scilicet ut, quam coloniam Cn. Pompeius aliquando deduxerat, Pom-

8 iam *ego:* etiam **M** tam *edd.* || 10 es **w**: *om.* **M** || 12 uirginum quae *Liuineius:* uirginumque *Bert.* uirginum queque **M** (uirginum quam **C**) matrum uirginumque. quae *edd.* || 15 reliquiis *Bert.* **w**: reliquis **M** || 19 tuis *post* success. **A W** *Bert.*, *post* fore *ponunt* **B C V** || 23 cum tu **B C V w**: tu cum **A** || 24 omnibus sibi *Cusp.:* sibi omnibus **M** || 25 dedisses **w**: dedisset **M** | sperarent *edd.:* sperare **M** (speraret **C**) liceret *add.* **w** || 26 et iam *Bert.:* etiam **M** (et **C**) | pridiē **A** || 27 perdita *ego:* medita **A** media **B C V W** | ciuile **A** || 29 que *om.* **W** || 30 Gn. **M**

peianus euerteret. o miserabilem Veronensium calamitatem, quos non tam tua quam intestina satellitum pressit obsidio! quippe Athesis ille saxis asper et gurgitibus uerticosus et impetu ferox oppugnationem prohibebat omnemque retro regionem inuehendis copiis tutam defensamque praestabat. quod tamen ne diutius hostem iuuaret prouidentia tua factum est, cum superioribus in locis, qua lenior amnis et ignari hostes erant, exercitus parte traiecta ancipiti periculo, clausos obsessosque omissa remora experiri armis coegisti adeoque omnes *qui* eruptionem temptauerant cecidisti ut dux ipse cum parte copiarum ad arcessenda auxilia muris excesserit, maiorem miser adducturus exercitum ut maiore comitatu cladis occideret. quo quidem tempore praecipua apparuit tua, imperator, cura simul et animi magnitudo, qui redeunti illi minore exercitu congredi quam obsidionem intermittere maluisti, ne respirare clausis aut effugere aut imminere tergo liceret.

IX. Et primo quidem, ut audio, aciem instruxeras duplicem, mox prouiso aduersarium numero explicari statim in frontem ordines et extendi latius arma iussisti, ex tuo animo nimirum animos tuorum omnium metiens; quamuis grauius inde pondus infringi posse impetu pauciorum. laudare me existimas, imperator, cuncta quae in illo proelio feceris? ego uero iterum queror. prospexeras omnia, disposueras uniuersa, summi imperatoris officia compleueras. cur ipse pugnasti? cur te densissimis ho-

3 atexis **A W** athexis **B** | asper *om. Bert.* || 4 impeditu **A** | oppugnatione **A W** || 5 inuehendis *Liuineius:* in euehendis **A W** *Bert.* euehendis **B C** euendis **V** || 8 leuior **A B V** || 9 traiecta *Mich. Uirdungus:* proiecta **M** || 10 obmissa **w**: obmissos **M** *Bert.* | remora *ego:* pemora **M** (mora **B**) spe morae **w** || 11 qui eruptionem temptauerant **w**: eruptio temptauerat **M** qua eruptio tentata erat *Liuineius* || 12 dux ipse cum **w**: ipse cum dux **M** || 21 aduersarium **A**: aduersariorum **B C V w**; *cf. Neue, lat. Form. I 113* || 23 animos tuorum omnium *om.* **W** *in lac. 8 litt.* || 25 laudari **A** || 27 quaero *Acidalius* || 28 omnia uniuersa *Bert. fort. recte*

stium globis miscuisti? cur salutem rei publicae in pericula tanta misisti? an nescire nos putas quod, dum nimio raperis ardore, in media hostium tela deueneras et, nisi uiam tibi caedibus aperuisses, spem totius generis humani et uota deceperas? toto quippe impetu ferebare, torrenti similis amni quem abruptae radicitus siluae et conuulsa funditus saxa sequerentur. quid tibi est, imperator, cum inferiore fortuna? illos pugnare fas est quibus suo cuiusque fato aut uincendum est aut cadendum: tu, cuius ex uita omnium fata pendent, ad ullum discrimen accedas? inter tot tela gladiosque uersere? quis hoc a te exigit? aut quis pati possit ut quicquam in te belli casibus liceat? deceat te, imperator, hostem ferire? immo non decet laborare.

X. Spectauit ex edito monte Xerxes nauale certamen. Augustus aliud agens uicit aput Actium. fuit etiam qui sublatus in scalas inuicem nexas concurrentes eminus uidit exercitus, ut nec interesset periculo et adesset euentui. ignaua, inquies, sunt haec exempla; sed tuta, grauiorque metus est periculi tui quam laetitia uictoriae. an non ipsi te, caesis fugatisque hostibus interfectoque etiam ipso eorum duce, comites et tribuni corripuere lacrimantes amplexique illud tuum anhelum pectus, cruentas manus et quicquid de sanguine profundae caedis emerserat hinc atque inde clamarunt: 'quid egeras, imperator? in quae nos fata proieceras, nisi te diuina uirtus tua uindicasset? quae haec est impatientia? aut quo tibi manus nostras, si uersa uice pugnas ipse pro nobis?' haec ego non dicerem, imperator, neque ab aliis dicta memorarem, nisi bene-

---

2 nos] non **A** ‖ 3 cum **C W** | rapereris **C w** ‖ 4 deueneras *Liuineius:* deueneris **M** ‖ 5—9 quid tibi — fortuna? toto quippe impetu — saxa sequerentur **M**, *transposuit Acidalius* ‖ 5 toto] tanto *Eyssenhardtus* ‖ 8 *an* inferiorū? ‖ 9 suos **A** ‖ 11 nullum **W** ‖ 12 nec inter **w** ‖ 16 spectauit *edd.:* specta **A** spectans **B C V** spectat **w** | monte *deleuerim* | Xerses **M** ‖ 22 uictoria **A** | at **A V** a **w** | te **A W** *Bert.: om.* **B C V** ‖ 23 interfectisque **M**, *corr.* **w**

ficio tuae lenitatis tutior esset nostra in uerbis quam tua in armis audacia. noua enim quadam uarietate naturae confusoque uirtutum temperamento idem es et in proeliis ferocissimus et parta securitate mitissimus.

XI. Cum enim dato obsessis tempore poenitendi Aquileiam quoque de legatis eorum [ac] supplicibus recepisses cunctique se tibi dedidissent quos obsidendo seruaueras, ignouisti omnibus et uitam quam desperauerant reddidisti. et quidem iussisti arma deponere ut multo tutius uictoris pietate tegerentur: ut tamen pertinaciae suae merita sentirent, corripi eos uincirique iussisti non ad supplicium, sed uitam, ne conscientiae timore diffugerent grauiterque delinquerent conseruarique iterum non mererentur, si seruati non fuissent. sed unde tanto hominum numero tot uincula quae continere militares et paulo ante armatas manus possent? stupere milites qui perducendos susceperant et custodiae curam abnuere et prorsus nescire quid facerent; ipsi etiam qui tibi in consilio erant, ipse etiam praefectus haerere, cum tu diuino monitus instinctu de gladiis eorum gemina manibus aptari claustra iussisti, ut seruarent deditos gladii sui quos non defenderant repugnantes.

XII. O pulcherrimum et qui omnium oculis subici debuisset triumphum uirtutis et clementiae tuae! cuius enim potentiae fuit hostibus arma deripere, huius humanitatis deditos ad impunitatem suis *ensibus* alligare atque ita uincire ut eos ferri illius quod contra te gesserant cotidie poeniteret. gladius ille, quem in te distrinxerat hostis infestus, ipse

---

3 es et *Bert.* **w**: esset **A C** esses **B V** ‖ 7 ac *del. Liuineius. an* ac mag. (*id est* magistratibus) suppl.? ‖ 8 dedissent **C V** | obsidendos **M** ‖ 10 et quidem] equidem *Eyssenhardtus* ‖ 11 totius **W** ‖ 14 conscientia **A** ‖ 19 curā **w**: cura **M** ‖ 23 ut] et **A** | debitos **C** ‖ 24 gladii **w**: gladiis **M** ‖ 27 diripere **A C W** ‖ 28 huius *ego:* cuius **M** eius **w** | ad pietatem **W** | suis ensib; *scripsi:* sui **M** *Bert.* suis armis *edd.* ‖ 29 uincere **C W** ‖ 31 distrin. ς: destrin. **M** | ipso **A**

domini sui manus tenuit et paratus ad caedem custos factus est ad salutem. magnus poeta, dum bellorum toto orbe surgentium discursum apparatumque describit 'et curuae', inquit, 'rigidum falces *conflantur in ensem*'. triste nimirum tempus illud, cum instrumenta usui pecudum praeparata in caedem hominum uerterentur. at nunc rigidi illi mortiferique mucrones in salutaria uincla curuantur et exarmatum hominem non interimunt, sed cohercent, deditosque hostes gladii sui collisi obtunsique tutantur, qui nihil illis prodesse integri acutique potuerunt.

XIII. Omnium ergo armorum ministeria ad diuersos effectus arbitrio tuo seruiunt, imperator. tibi uincunt gladii, tibi seruant, te pugnante feriunt, te ignoscente custodiunt. ut deus ille mundi creator et dominus eodem fulmine suo nunc tristes, nunc laetos nuntios mittit: ita eadem sub numine tuo tela inimicos aut supplices tuos pernicie aut conseruatione discernunt. eripuisti, imperator, aduersariis tuis gladios ne quis incumberet dolore superanti, set eosdem suis manibus innoxios reddidisti ut et clementiae et uindictae tuae satisfaceres: quorum sanguini peperceras, arma fregisti. uita enim hominum diu parta semper seruanda est, si liceat: ferrum, inuentu facile, usu mutabile *est*. ideo quae erant reparabilia conflasti, quod rediuiuum non erat reseruasti. quid simile ad laetitiam fabulae ferunt? conuersa esse humana corpora in fontes aut pecudes aut aues: foeda et degener talis conuersio. gladius mutatus in manicas,

1 custos factus — 6 in caedem *om.* **V** || 4 cur ne **A**; *cf. Verg. Georg. I 508* | conflantur in ensem *om.* **M**, falcestris te **A** falcestris, *del.* te, **w** || 5 nimium **M**, *corr.* **w** | illud aperiens **w** || 6 usui *ego:* tui **M** cultui **w** || 16 flumine **C** || 17 ita et **A** | numine *edd.:* nomine **M** || 18 tuos *om.* **A** || 19 imperator *om. Bert.* || 20 superanti set *scripsi:* superasti et **M** superatus et **w** || 21 manibus suis **C** || 22 sanguine **A** || 23 uita *edd.:* ut **M** ut en. hom. natura **w** || 24 sic ferrum **w** || 25 ē *addidi: om.* **M** || 26 seruasti *Bert.* | quid *edd.:* qui **M** cui **w** || 27 ad laetitiam *om.* **B C V**

hoc est quod securitas post timorem, quod umbraculum post calorem: splendorem mutatio perdidit, sed aciem retudit.

XIV. Studium et humanitas tua hortata est, imperator, ut hucusque exultatio nostra uerbis eluceret. et iam ad potiora redeamus. recuperata omni cis Padum Italia ipsa iam ad te supplices manus Roma tendebat, cui portentum illud insederat nihil conari ausum ad tot nuntios suarum cladium. quippe ipsa se uilissimi hominis obsidebat ignauia et degeneres, ut dictum est, animos timor arguebat: stultum et nequam animal nusquam extra parietes egredi audebat. ita enim aut prodigiis aut metus sui praesagiis monebatur. pro pudor, intra parietum custodias imperator! non ille aspirare in campum, non exerceri armis, non puluerem pati; astutus quidem, ne uirorum officia temptantem contemnerent qui uiderant deambulare aut tantum in illo palatio marmoratis pauimentis incedere; nam in Salustianos hortos ire peregrinatio et expeditio putabatur. et haec quidem deliciae toto illo tempore quo urbem obsederat, semet incluserat, turpissimam hanc eius formidinem protegebant. non enim se inbellem, sed beatum, non inertem, sed securum uideri uolebat. quotiens milites in concionem uocabat, se solum cum illis imperare, alios per limites pro se militare iactabat. 'fruimini' aiebat 'dissipate, prodigite'. haec erat miserorum breuis et caduca felicitas.

XV. Ac ne tum quidem, cum tot aduersa suorum proelia comperisset, obuiam ire conatus est *ut*

5 eluceret *scripsi:* eluderet **M** ‖ 6 et *ego:* sed **M** ‖ 11 ut dictum est **A W** *Bert.: om.* **B C V**; *cf. Uerg. Aen. IV 13* ‖ 12 animal *om. Bert.* | parietes **B C V w**: partes **A** ‖ 13 prodigus *et* presagus **A** | mouebatur **A** ‖ 17 uiderant *Liuin.:* uiderent **M** | deambulare aut *scripsi:* deambularent **M** ‖ 18 pauiētis *scripsi:* parietibus **M** ‖ 20 hec **B**: hee *cett.* ‖ 21 toto] tanto **C** | urbem *Liuin.:* orbem **M** ‖ 23 inertem **C**: hertem **M** īhertem **w** ‖ 25 imperare **w**: imperatore **A B** imperatorem *cett.* ‖ 29 tuum **A** | aduersa suorum *edd.:* diuersa tuorum **M**; *an* dextera tuorum? ‖ 30 ut *addidi: om.* **M**

ad resistendum Padi limite aut Apennini iugis uteretur, sed litteras calamitatum suarum indices supprimebat, interdum etiam palam ut usque ad portas ueniretur optabat, non intellegens maiestatem illam urbis, quae pridem admotos exercitus sollicitauerat, iam flagitiis ipsius deformatam et sedibus suis pulsam ad tua auxilia transisse nec ullis praemiis posse corrumpi quos tibi praeter liberalitatem tuam et sacramenti fidem tot uictoriarum gloriae dicauissent. quis enim miles, qui ductu atque auspiciis tuis totiens felicissime dimicasset, uulnera illi sua uenderet? belli iam paene confecti summam concederet? at enim tu id ipsum de ardore totius exercitus sentiens sine ulla haesitandi mora, qua breuissimum per Uenetos iter est, rapto agmine aduolasti, celeritatem illam in gerendo Scipionis et Caesaris hanc maxime cupienti Romae repraesentans. haec est fiducia imperatoris inuicti et suorum mentibus freti non dubitare nec trahere bellum, sed proximum quodque pugnae tempus putare uictoriam. non enim res erat tibi ut Q. Maximo cum Hannibale uictore, ut post res asperas locum tempusque captares, sed urgere te successus tuos et continuare uictorias et quam primum subuenire urbi decebat. sapientis enim est imperatoris fractis rebus cunctando consulere, secundis non deesse fortunae.

XVI. Itaque unum iam illud timebatur ne ille conterritus his uiribus, grauiter afflictus et in artum redactus boni consuleret et debitas rei publicae poe-

---

1 ad resistendum *del. Acidalius* | ut Padi **w** || 2 iudices **A B C V** | supprimebat **B V w**: supprimebant **A C** || 6 suis propulsam **W** || 8 et] ad **V** || 9 dicauissent **w**: dii cauissent **M** || 11 *malim* uenderet et belli || 14 sine ulla *Bert.*: non sine ulla **M** | Uenetos *Liuineius:* eos **M** || 16 in gerendo *ego:* in regendo **M** in re gerenda **w** | hanc *scripsi:* tunc **M** quam *Eyssenhardtus* || 21 ut Q.] utq; **A** utique **B C V** uti q̄ **w** || 23 uictorias et *Bert.*: uictoria sed **A C V** uictoriam sed **B W** || 28 conterritus *edd.:* contentus **M** || 29 et] ut *Acidalius* | penas **C V** (?) **w**: pynas **A B**

nas obsidione differret. quippe omni Africa quam delere statuerat exhausta, omnibus insulis exinanitis, infiniti temporis annonam congesserat. sed diuina mens et ipsius urbis aeterna maiestas nefario homini eripuere consilium, ut ex inueterato illo torpore ac foedissimis latebris subito prorumperet et consumpto per desidias sexennio ipsum diem natalis sui ultima sua caede signaret, ne septenarium illum numerum sacrum et religiosum uel inchoando uiolaret. at quomodo instruxit aciem tot annorum uernula purpuratus? ita prorsus ne quis euadere, ne quis, ut fit, loco motus referre gradum et instaurare proelium posset, cum a fronte armis, a tergo Tiberi amne premeretur. in quo ille non mehercule cogitauit necessitatem resistendi, sed propinquitatem refugiendi, nisi forte iam sentiens diem sibi uenisse fatalem ad solatium suae mortis uoluit secum trahere quam plurimos, ut omnes essent exitus sui comites qui scelerum participes extitissent. quid enim aliud illum sperasse credendum est? qui iam ante biduum palatio emigrauerat *et* cum uxore ac filio in priuatam domum sponte concesserat, ut res est, somniis terribilibus agitatus et nocturnis pulsus ultricibus, ut tu iam olim expectatus habitator sacris illis aedibus diu exalatis expiatisque succederes. et adeo ipse uerum sibi dixerat et uenturo tibi cesserat, quamuis in proelium ingrederetur armatus, cum excedendo palatio iam se abdicasset imperio.

XVII. Ad primum igitur aspectum maiestatis tuae primumque impetum totius tui uictoris exercitus hostes territi fugatique et angustiis Muluii pontis

5 corpore **A** || 7 sexennio *Petauius:* senio **M** || 9 uel *om.* **C V** || 10 annorum] armorum m, *Eyssenhardtus* || 12 ut sit **A** || 13 posset **w**: possit **M** | tyberi amne **w**: tiberiū ne **A** tiberim ne **V** tiberi ne **C** Tiberi flumine *edd.* | Tiberi — cogitauit *om.* **B** || 14 cogitauit **B C V w**: cogitabit **A** || 16 diem **w**: idem **M** || 21 et *add. edd.: om.* **M** || 23 somniis *scripsi:* omnis **M** furiis **w** ominibus *Acidalius* || 26 uirum **A** || 30 toties tui *Liuin.* || 31 angustis **A B V** | muluii **A B V**: miluii **C** moluii **w** | pontiis **B V** ponciis **A**

exclusi, exceptis latrocinii illius primis auctoribus qui desperata uenia locum quem pugnae sumpserant texere corporibus, ceteri omnes in fluuium abiere praecipites, ut tandem aliquod caedis compendium fessis tuorum dexteris eueniret. cum impios Tiberis hausisset, ipsum etiam illum cum equo et armis insignibus frustra conatum per abrupta ripae ulterioris euadere idem Tiberis correptum gurgite deuorauit, ne tam deforme prodigium uel hanc obitus sui relinqueret famam quod alicuius uiri fortis gladio teloue cecidisset. et aliorum quidem hostium corpora et arma praeceps fluuius uoluendo deuexit, illum autem eodem quo extinxerat loco tenuit, ne diu populus Romanus dubitaret, si putaretur aliquo profugisse cuius mortis probatio quaereretur.

XVIII. Sancte Thybri, quondam hospitis monitor Aeneae, mox Romuli conseruator expositi, tu nec falsum Romulum diu uiuere nec parricidam urbis passus es enatare. tu Romae tuae altor copiis subuehendis, tu munitor moenibus ambiendis, merito Constantini uictoriae particeps esse uoluisti, ut ille hostem in te propelleret, tu necares. neque enim semper es rapidus et torrens, sed pro temporum ratione moderatus. tu quietus armatum Coclitem reuexisti, tibi se placido Cloelia uirgo commisit: at nunc uiolentus et turbidus hostem rei publicae sorbuisti et, ne tuum lateret obsequium, eructato cadauere prodidisti. reperto igitur et trucidato corpore uniuersus in gaudia et uindictam populus Romanus exarsit, nec desitum tota urbe, qua suffixum hasta ferebatur, caput illud piaculare foedari, cum interim, ut sunt ioci triumphales, rideretur gestantis iniuria, cum alieni capitis merita pateretur.

---

5 dext.] texeris **W** || 8 tiberis **B C V w**: tiberioris **A** || 9 oblitus **B C V** || 16 Thybri **A**: Tybri *Bert.* Thyberi **W** Tybris **B** Tibris **C V** || 22 necares **w**: negares **M** || 26 et] ac **W** || 30 desitū *Puteanus:* desit a **A** desica **B C V** desiit a **w**

XIX. Sed quid ego hucusque iocularia? tecta ipsa, ut audio, commoueri et altitudo culminum uidebatur attolli, quacumque numen tuum tardo molimine currus inueheretur: tanta te populi densitas, tanta senatus stipatio prouehebat simul et attinebat. felices qui te propius aspicerent; longius positi nominabant; quos praeterieras, loci quem occupauerant poenitebat. uicissim homines inde ilico accedere, hinc sequi; certare innumerabilis multitudo et impulsu uario fluctuare; et tantum tibi hominum amici post illam sexennii cladem superesse mirabantur. ausi etiam quidam ut resisteres poscere et queri tam cito accessisse palatium et, cum ingressus esses, non solum oculis sequi, sed paene etiam sacrum limen irrumpere. inde omnibus circumfusi uiis, dum excederes, opperiri prospicere, optare sperare, ut uiderentur eum a quo obsidione liberati fuerant obsidere. gloriatus sit licet, et uere, summus orator humeris se Italiae in patriam reportatum: te, Constantine, senatus populusque Romanus et illo die et aliis, quacumque progressus es, et ulnis ferre gestiuit. nec quidquam aliud homines diebus munerum aeternorumque ludorum quam te ipsum spectare uoluerunt; qui tuus esset fulgor oculorum, quae toti corpori circumfusa maiestas, quae oris dignitas.

5 detinebat **w** || 6 aspicient **A** | nominabant] *malim* notabant || 8 homines *Lipsius:* omnes **M** | inde ilico accedere *scripsi:* inde dico accedere **A B V** in edito accedere **w** inde discedere **C** *edd.* || 9 hinc sequi] insequi **C** || 10 tibi *ego:* sibi **M** ibi *Bert.* | amici *scripsi:* animi **M** || 11 mirabantur *Lipsius:* memorabant **M** || 12 quidam **B C V w**: quidem **A** || 15 circumfusi uiis dum *scripsi:* circumfusis **M**, *tum* utrum *Bert.* uicum **M** (uitium u r); *erat, ni fallor, in archetypo* circumfusis dum (ui written above) || 16 optare sperare *edd.:* optares parere **M** || 17 fuerant **w**: fuerunt **M** || 19 Italiam **M** || 21 et ulnis *scripsi l. l. p. 221:* et oculis **M** et humeris et oculis **w** | fere **C V** || 22 numerum **A** || 23 eternorumque *Bert.:* etrorumque **M** ceterorumque **w** | uoluerunt *Hauptius Herm. V p. 314:* potuerunt **M** petiuerunt *Acidalius* || 24 quae toti corpori *Hauptius l. l.:* quae (oculorumq; **A**) totius corporis **A** *Bert.* totiusque corporis **B C V w**

gaudere cuncti spectaculorum mora et familiaribus sibi artificibus ob hoc solum fauere quod te praesente certarent.

XX. Nam quid ego de tuis in curia sententiis atque actis loquar? quibus senatui auctoritatem pristinam reddidisti, salutem, quam per te receperant, non imputasti, memoriam eius in pectore tuo sempiternam fore spopondisti. dicerem plura de diuinis orationibus tuis, de oblata potius quam impetrata benignitate, nisi mallem dicta reticere dum propero facta laudare. quamlibet uerba tua in senatu habita nobis *non* nota sint, tamen qualia fuerint clementiae tuae gloria nuntiauit. o tandem felix ciuili, Roma, uictoria! irrupit te olim Cinna furiosus et Marius iratus, qui non solo se Octauii consulis capite satiarunt, sed luminibus ciuitatis extinctis exempla, quae nunc toto sexennio passa es, reliquerunt. uicit iterum tibi ante portam Collinam Sulla, felix si se parcius uindicasset; *set* enim multis capitibus rostra compleuit. Constantinus uictoriae licentiam fine proelii terminauit: gladios ne in eorum quidem sanguinem distringi passus est quos ad supplicia poscebas.

XXI. Deditam sibi idem Sulla exarmatamque legionem in uilla publica trucidauit perculsumque morientium gemitu senatum monuit ne timeret quod ipse iussisset. at iste uictor non modo hostium, sed etiam uictoriae suae, quicquid militum bello superfuit, tibi reseruauit. tibi enim iam militant, quos exutos armis impiis aduersus hostes barbaros rursus armauit. iam obliti deliciarum circi maximi et Pom-

4 in curias **A B V** || 10 dicta **w**: recta **M** || 11 quamlibet; *malim* nam licet || 12 non *add. Jaegerus: om.* **M** ignota *Liuineius* | qualia **B C V w**: quali **A** || 14 te olim *Bert.*: olim te **M** | Cinna] Sylla *Bert.* || 15 Octauii] oceani **A** | sociarunt **A** || 16 extinctis] cunctis **A** || 17 es] est **A W** || 18 se *om.* **A** || 19 sed *edd.*: *om.* **M** *Bert.* | etenim **w** || 20 uictoriae] uictori etiam **C** || 21 quidem *om.* **A** || 22 poscebas **A**: poscebat **B C V W** || 24 perclusumq. **A** || 25 ne] te **A** || 28 militauit **A** || 30 pompeiani theat. **w**: pompei eintheat. **B** pompei emtheat. **A V** pompeii amphitheat. **C**

peiani theatri et nobilium lauacrorum Rheno et Danuuio quippe praetendunt, excubias agunt, latrocinia compescunt, certant denique cum uictoribus ut ciuili bello uicti hostili iis comparentur. nec tamen id mirum uideri potest, cum qualemcumque militem fortissimum facias tuo, imperator, exemplo. non enim fessus proeliis et expletus uictoriis, ut natura fert, otio te et quieti dedisti, sed eodem impetu, quo redieras in Gallias tuas, perrexisti ad inferiorem Germaniae limitem, magna scilicet intercapedine temporis ac breui locorum distantia post annuam expeditionem statim bellum auspicatus a Tiberi ad Rhenum, immo (ut omen et similitudo nominis, sic et tua, imperator, magnitudo animi pollicetur) a Tusco Albula ad Germanicum Albim prolaturus imperium.

XXII. Quisnam iste est tam continuus ardor? quae diuinitas perpetuo uigens motu? omnium rerum interualla sunt. cessat terra noualibus, dicuntur interdum flumina resistere, sol ipse noctibus acquiescit: tu, Constantine, solus infatigabilis bellis bella continuas, uictorias uictoriis cumulas. quasi praeterita sint obliterata si desideas, non putas te uicisse nisi uincas. ruperat fidem gens leuis et lubrica barbarorum et, robore atque audacia lectis eruptionis auctoribus, institisse Rheno nuntiabantur. ilico obuius affuisti et praesentia tua, ne auderent transitum, terruisti. et iam uidebaris rem uotis tuis fecisse contrariam quod inhibita eruptione non foret

---

1 nobilium **B C V w**: nouilium **A** noualium *Bert.* | et *om.* **B C** *del.* **w** | Danuuio quippe *ego:* danubioque **M** || 4 hostili iis *scripsi:* hostibus **M** hostilibus *Acidalius* | id] ad **A** || 7 uictoriis **C w**: uictoribus **M** || 11 *malim* per strenuam exped. || 12 bellū *ego:* bello **M** bella *Langius* || 13 ut et omen **W** || 14 sic *P. Daniel:* sit **M** || 15 Albim *edd.:* album **M** || 18 ingens **B C** || 20 sol ipse *Bert.:* sed ipse **A** sed ipse dies **B C V W** (*sed in* **V** dies *sup. lin. add.*) et ipse dies *edd.* || 23 sunt **A** | desideas *ego:* desidenas **A** desinas **B C V w** || 26 eruptionis **w**: eruptionibus **M** || 27 tua] tu **A** || 28 et iam *Liuineius:* etiam **M,** *del.* **w**

materia uictoriae; sed enim inopinato consilio usus abeundi, simulato nuntio maioris in superiori limite tumultus, occasionem stolidis ac feris mentibus obtulisti in nostra ueniendi, relictis in occulto ducibus qui securos adorirentur. quo cum ei uenissent, consilium tuum sequitur fortuna. toto Rheni alueo oppleto nauibus deuectus terras eorum ac domos maestas lugentesque populatus es tantamque cladem uastitatemque periurae genti intulisti ut post uix ullum nomen habitura sit.

XXIII. Ite nunc omnes, si placet, barbarae nationes et exitiales uobis mouete conatus: habetis exemplum. quamuis enim imperator noster amicorum regum admittat obsequia idque ipsum ualeat ad laudem uictoriae quod a nobilissimis regibus timetur et colitur, augeri tamen gloriam uirtutis suae gaudet quotiens prouocatur. nam quid hoc triumpho pulcrius? quo caedibus hostium utitur etiam ad nostrum omnium uoluptatem et pompam munerum de reliquiis barbaricae cladis exaggerat, tantam captiuorum multitudinem bestiis obiciens ut ingrati et perfidi non minus doloris ex ludibrio sui quam ex ipsa morte patiantur. inde est quod, cum exitum differre liceat, perire festinant seseque letalibus uulneribus et morsibus offerunt. ex quo ipso apparet quam magnum sit uicisse tam prodigos sui.

XXIV. Facile est uincere timidos et inbelles quales amoena Graeciae et deliciae orientis educunt, uix leue pallium et sericos sinus uitando sole tole-

---

1 sed inopinato (**A** w: -te **B C V**) consilio usus. abeundo (abeundi w) enim simul. **M**, *transposui* enim ‖ 2 superiore **B C V W** ‖ 3 feris] ferinis u, *edd.* ‖ 5 ei uen. *ego:* euen. **A** uen. *cett.* ‖ 7 maestas **B C V**: maiestas **A** funestas w ‖ 8 tantamque] tanquam **C** ‖ 9 uix *om.* **A** | ullum w: illum **A** *Bert.* illud **B C V** ‖ 12 moue **A** ‖ 13 enim nunc imp. **A** ‖ 14 ualet w ‖ 15 uictorie w: uictoria **M** ‖ 19 uoluptatem **W**: uoluntatem **A B C V** ‖ 20 tantamque *Acidalius* ‖ 21 obiciens *ego:* obici **M** obicit w, *edd.* | ut] *om.* **C** et *Bert.* ‖ 24 morsibus *scripsi:* mortibus **M** ‖ 28 grecia et **A B V**

rantes et, si quando in periculum uenerint, libertatis immemores ut*que* seruire liceat orantes. Romanum uero militem, quem qualemcunque ordinat disciplina et sacramenti religio confirmat, aut trucem Francum ferina sola carne distentum, qui uitam pro uictus sui uilitate contemnat, quantae molis sit superare uel capere? quod tu, imperator, et nuper in Italia et in ipso conspectu barbariae paulo ante fecisti. ita sine ullo discrimine omnia genera bellorum armorum hostium uni tibi cedunt, cedunt ex omni etiam memoria condita litteris monimenta uirtutum. nec uero tantummodo uetera illa dictatorum et consulum ac deinceps magnorum principum, sed etiam recentissima et pulcherrima diui patris tui facta superasti (sordet enim alios ex proximo tempore comparare): ipsum, inquam, diuum Constantium iam primis imperii tui lustris rerum gestarum laude cumulasti.

XXV. Inuitus hoc forte accipis, imperator, sed ille, dum dicimus, gaudet e caelo et iam pridem uocatus ad sidera adhuc crescit in filio et gloriarum tuarum gradibus ascendit. purgauit ille Batauiam aduena hoste depulso, tibi se ex ultima barbaria indigenae populi dedidere. ille oceanum classe transmisit, tu et Alpes gradu et classibus portus Italicos occupasti. recuperauit ille Britanniam, tu nobilissimas Africi maris insulas, quae populi Romani fuere prouinciae. ignoscat, inquam, diuus ipse Constantius. quid habeo quod comparem Italiae, Africae, Romae? merito igitur tibi, Constantine, et nuper

2 utq; *ego:* ut **M** ‖ 3 uero limitem **A** | qualemcumque *Liuineius:* qualemque **M** ‖ 5 prouectus sui **A B V** ‖ 6 utilitate **C** | quante **C w:** quanta **M** *an* quanta moles? ‖ 8 fec.] *an* sensisti? ‖ 11 etiam ex omni **w** ‖ 14 recentissima *Acidalius:* rectissima **M** ‖ 15 superastis **A** ‖ 16 inquam indiuū (*an* ipsū diuū?) Constantini **A** ‖ 17 tui *om. Bert.* ‖ 20 et iam *Bert.:* etiam **M** ‖ 23 hoste **B C V w:** hostem **A.** *an* hoste inde pulso? | indigne **C** ‖ 27 populo ro. **C** ‖ 28 *malim* agnoscit inq. d. i. Constantius: 'quid habeo — Romae?' ‖ 29 habeam **W**

senatus signum dei et paulo ante Italia scutum et coronam, cuncta aurea, dedicarunt ut conscientiae debitum aliqua ex parte releuarent. debetur enim (et semper debebitur) et diuinitati simulacrum [aureum] et uirtuti scutum et corona pietati.

XXVI. Quamobrem te, summe rerum sator, cuius tot nomina sunt quot gentium linguas esse uoluisti (quem enim te ipse dici uelis, scire non possumus), siue tute quaedam uis mensque diuina es, quae toto infusa mundo omnibus miscearis elementis et sine ullo extrinsecus accedente uigoris impulsu per te ipsa mouearis, siue aliqua supra omne caelum potestas es quae hoc opus tuum ex altiore naturae arce despicias: te, inquam, oramus et quaesumus ut hunc in omnia saecula principem serues. parum est enim optare tantae uirtuti tantaeque pietati, quem longissimum habet uita, processum. et certe summa in te bonitas est [pietas], et ideo quae iusta sunt uelle debes, nec abnuendi est causa cum possis. nam si est aliquid quod a te bene meritis denegetur, haut potestas cessauit, at bonitas. fac igitur ut, quod optimum humano generi dedisti, permaneat in aeternum omnesque Constantinus in terris degat aetates. quamuis enim, imperator inuicte, iam diuina soboles tua ad rei publicae uota successerit et adhuc speretur futura numerosior, illa tamen erit uere beata posteritas cui, cum liberos tuos gubernaculis orbis admoueris, tu sis omnium maximus imperator.

---

1 dei *edd.:* dee **M** deus *Bert.* ‖ 2 *malim* et coronam Roma ‖ 4 semper *ego:* saepe **M** | debebitur *Gruterus:* debetur **M** | aureum *seclusi* ‖ 9 tute *ego:* in te **M** | es *ego:* est **M** | qua toto infusus *edd.* ‖ 11 accidente **A W** ‖ 12 ipse **M**, *correxi* ‖ 13 es *edd.:* est **M** | qua **A W** ‖ 16 aptare **A** ‖ 18 est] et **V** | bon. et pietas est **w** | pietas *del. Jaegerus* ‖ 21 haut *scripsi:* aut **M** | at *ego:* aut **M** ‖ 23 *prius* in *Bert.:* *om.* **M** ‖ 26 illa] ita *Jaegerus* ‖ 27 cui *ego:* ut **M** si *Jaegerus*

X.

NAZARII

PANEGYRICUS CONSTANTINO AUGUSTO DICTUS.

I. Dicturus Constantini augustissimas laudes, qui tantum ultra omnium saeculorum principes eminet quantum a priuatis ceteri principes recesserunt, et dicturus in coetu gaudiorum exultantium et laetitiae gestientis, quam cumulatiorem solito beatissimorum Caesarum quinquennia prima fecerunt, sentio nullam eloquentiam nec optari nec concipi posse quae dignam afferat aut tempori gratiam aut materiae copiam aut uestris studiis facultatem. iactat quippe se nunc cum maxime alacris omnium ac beata deuotio. nec operta mentium rimari necesse est: extat in uultu cuiusque hilaritatis publicae decus et in serenis frontibus animorum indicia perleguntur. non enim se capit exundantis laetitiae magnitudo, sed dedignata pectorum latebras ita multa et candida foris prominet ut intellegatur non ingentior esse quam uerior. nec uero mediocribus bonis gaudent qui exultandi modum non habent.

II. Fruimur nos quidem praesentium maxima uoluptate, sed lenocinatur his iam futuri ratio, et quae temporibus disparata sunt animorum praesumptione iunguntur. quintum decimum maximus princeps salutaris imperii annum degit, sed auguramur iam uicennalia et uenturis fidem superiorum

---

14 alacris omnium studium ac beata W || 15 opertamentum A || 17 iudicia A || 18 exnudantis A || 23 quidem nos C || 24 uolūtate A || 25 disperata A C *Bert.* || 27 annum *post* imperii *Bert.* A, *post* quintum decimum B C V W *ponunt* | auguriamur A C V || 28 uicinalia A C V | uenturis *ego:* uenturi M

felicitate sancimus. quinquennalia beatissimorum Caesarum occupatos *nos* in gaudiis habent, sed iam in destinatis decenniis uota properantia et spes uolucres constiterunt. horum dehinc compotes propagabimus optabilis boni seriem. ita omnia quae ex principibus nostris prospera eueniunt continuatos fructus ferunt nec magis recepta delectant quam expectata iuuerunt. uerum quid agimus uicenis aut iam tricenis annis circumscribendo quae aeterna sentimus? ampliora sunt merita principum quam optata uotorum. eat quin immo in inmensum felicis cursus imperii, nec humanorum terminos curent qui semper diuina meditantur. certe cupitorum irriti non sumus qui, cum optemus maxima, id *haud* faciamus benignius quam securius, quod propter caelestem in illos fauorem tam certa adipiscendi spes est quam optandi soluta libertas. has igitur gratulationes, quae praesentibus excitantur quaeque superiorum memoria uigent aut quas in posterum redundaturas cogitatio auida depascitur, quis omnium queat flagrantissimis audientium studiis satisfacere dicendo? iam uero, cum publicas tantum utilitates amplecti uelim et unusquisque priuatim suas cogitet, tremebunda proferatur oratio *uoce necesse est,* quae tacita reputatione uincenda est. in ipsis etiam publicis gestorum ingentium professa laudatio *cum* augendi cupiditatem prae se ferat, non iniuria minuendi metum faciunt quae spem amplificationis ex magnitudine sustulerunt.

---

1 sancimus ς: sanximus **A** *Bert.* sanciamus **C** sanctiamus **B V** satiamus **w** ‖ 2 nos *addidi: om.* **M** ‖ 4 constituerunt **C** | propagauimus **M** ‖ 6 prospera euen. *scripsi:* prospere uen. **M** ‖ 11 in **A B** *Bert.* **w**: *om.* **C V** ‖ 14 haud *ego: om.* **M** id fac. non ben. *Acidalius* ‖ 16 illos *scripsi:* illo **M** ‖ 19 quasi in p. redundatura **M**, *corr. Rhenanus* ‖ 20 quis hominum *Liuineius* | flagrantissimus **A** ‖ 24 uoce necesse est *addidi: om.* **M** proferetur *uel* necesse est tremeb. proferatur *Acidalius* ‖ 26 cum *Acidalius: om.* **M** *Bert.*

III. Quis, oro, Constantine maxime (praesentem enim mihi alloqui uideor qui, etsi conspectu abes, reuelli tamen mentibus non potes), quis, inquam, aspirare laudes tuas audeat aequiparandi magis spe quam gratia non tacendi? quis tam potens fandi, cuius copia tam larga tamque felix quae, cum uirtutes tuas attrectauerit, non aut circumuenta numero desperato exitu stupeat atque obterat magnitudinem aut splendore obsolefacta tantum nitoris habeat quantum ex rerum luce collegerit? cuius cum diuina uirtus et eius misericordia comes appendixque uictoria urbem Romam non praecipitantem exceperit, sed afflictam ac plane iacentem excitarit recrearit erexerit cumque aliae felicissimae tuae prius ac deinceps expeditiones non minus in sese operis amplexae sint quam ex ipsis faucibus fati Roma seruata: quid dignum magnitudine tua excogitari ac dici potest, in cuius laudibus id maximum non est quod in terrarum orbe primarium est? nobilissimorum quoque Caesarum laudes exequi uelle studium quidem dulce, sed et cura non mediocris est, quorum in annis pubescentibus non erupturae uirtutis tumens germen, non flos praecursor indolis bonae laetior quam uberior apparet, sed iam facta granifera et contra rationem aetatis maximorum quorumque fructuum matura perceptio. quorum alter iam obterendis hostibus grauis terrorem paternum, quo semper barbaria omnis intremuit, deriuare ad nomen suum coepit; alter iam consulatum, iam uenerationem sui,

---

4 audeat] ualeat *edd.* ‖ 6 tamq; *ego:* tam **M** ‖ 7 tuas **A:** *om.* **B C V W,** *sed post* attrect. **w** *addit* | attractau. **B C V** ‖ 8 atq; *ego:* aut **M** | obteratur magnitudine **w,** *edd.* ‖ 11 eius mia comes *Bert.* ‖ 15 sint *edd.:* sunt **M** ‖ 17 excogitare **A** ‖ 21 et cura non *Eyssenhardtus:* non et cura **M** ‖ 23 uber app. **W** ‖ 24 grandifera **M,** *corr. Acidalius* ‖ 25 maximorum quorumque *ego:* maximorumque **M** maximorum quoque *Liuineius* maximorum *Eyssenhardtus* ‖ 26 iam] non **A** ‖ 27 quo] quem **w** ‖ 28 deuiare **W**

iam patrem sentiens, si quid intactum aut parens aut frater reseruet, declarat mox uictorem futurum, qui animo iam *nunc* uincit aetatem. rapitur quippe ad similitudinem suorum excellens quaeque natura; nec sensim ac lente indicium promit boni, cum inuolucra infantiae uiuidum rupit ingenium. unde enim principis maximi tam effusus in liberos animus, nisi quod iam in illis simulacrum sui conspicit?

IV. Commendet inferioribus suos sola necessitudo naturae, et qualescumque diligant qui in illis quod ex se desiderent non habent: praestantissimum principem hoc maxime iuuat quod in annis primoribus iam sunt ductae lineae quibus uirtutum suarum effigies possit includi; et pater optimus, sed melior imperator, non tam sibi quam reipublicae gaudet, cum liberos sibi similes intuetur. quibus ad perficienda quae ingenerata sunt bona non segnis uirtutum opifex disciplina coniungitur, ut spes aequiparandi patris certa sit. quippe indoles similis est, sed sub eodem magistro discendi fortuna felicior. ipsum a tenero intuentes, in ipsum oculis ac mente conuersi nihil ab eius contemplatione deflectunt, incerti mirentur an diligant; nisi quod necesse est utrumque permixte simul fieri. nam et amor factorum commendator est, unde nascitur admiratio, et facta cum mira sunt amorem inuicem creant. ita spectantibus liberis, quicquid ab eo pulcherrime geritur, cum propter ipsum magis placuit, tum studio imitationis inolescit. iam tibi quidem in erudiendo, imperator optime, non omnia proponebantur quae

---

1 iam patrem A *Bert.*: *om.* B C V W || 2 declarat] dederat C | *puto* uictorem facturum || 3 nunc *ego*: *om.* M || 6 rupit ς: rumpit M | principes A || 7 infusus W || 8 iam quod in illis A quod in illis iam C || 10 qui in W: quin A B C V || 12 primoribus C: primioribus M || 13 quibus] quarum A. *malim* e quibus uirtutum futurarum eff. poss. concludi || 14 posset M, *corr. Acidalius* || 17 generata W | *malim* non segnibus || 19 simil est *ego:* similes M indole similes *edd.* || 29 *malim* in rudimento || 30 preponeb. w: preponeb. M

sequi uelles; nisi quod recte factorum contemplator acerrimus, si quid secus fieret, a spectandi cura pudentes oculos abstrahebas. dabit enim ueniam clementia tua, si audaciorem ueritas facit.

V. Existimare quidem de principibus nemini fas est. nam et in uestibulo suo inquirentem repellit obiecta ueneratio et si qui mente propius adierunt, quod oculis in solem se contendentibus euenit, praestricta acie uidendi facultate caruerunt. uerum tu facis, principum maxime, ut patere uideantur quae obstructa prius fuerant, qui tam optas totus uideri quam ceteri recusabant. non terror obtentu est nec occultandis quae plerumque intrinsecus latent demorandoque aspectu ostentatio speciosa perhibetur. obtutus hominum benignus receptas; nec intuentem iniquus fulgor retundit, sed serenum lumen inuitat. nunc denique intellegimus quae desideranda in prioribus fuerint, postquam ea quae operta in ceteris ueriti sumus in te reserata ueneramur. igitur, ut facitis, beatissimi Caesares, per omnes paternarum laudum uias ite securi. non simplici quidem itinere numerosae eius uirtutes ingrediuntur, sed omnia ad eundem gloriae exitum ferunt. nullae cupiditatum deflexiones, nullus erroris anfractus: ut uerenda progredientibus non sit dispendiosa reuocatio. itaque maturiorem cursum instituistis qui moram considerandi itineris non habetis. sed mihi circumuento hac ipsa rerum copia, quae potissimum capessenda sit uia, qui aditus fiat, incertum est: ita se multa offerunt specie paria, magnitudine congruentia.

---

4 *malim* audaciorem me ‖ 7 mente **w**: mentem **M** *Bert.*, *quo retento* adegerunt *uel* adiecerunt *docti* | mentem propius **A** *Bert.*: propius mentem *cett.* ‖ 11 prius obstructa **C** ‖ 12 obtentui **B W** *m. 1*, obstentui **w** ostentui ς ‖ 13 extrinsecus **M**, *corr. Liuineius* ‖ 14 perhibetur *edd.*: prohibetur **M** *Bert.* praehibetur *Acidalius* praebetur *Liuineius* ‖ 16 iniquum **w** ‖ 17 intelligimus **A w**: intelligamus *cett.* ‖ 18 fuerunt **M** *Bert.*, *corr. Acidalius* ‖ 22 *malim* omnis ‖ 28 capessanda **A**

VI. Uerum ut in magnis domibus interiorem ornatum uestibula ipsa declarant, sic nobis uenturis ad ingentium uirtutum stupenda penetralia debet laudationis ingressum et praedicationis ianuam Roma praebere. quae demersa quondam tyrannidis impiae malis et quo maior eo miserabilior maiestatis pristinae decus ad misericordiae ambitum conferebat: tibi tamen, Constantine maxime, etiam in illa sui sorte uenerabilis, quod quos impense amamus obseruantia illorum integra est, etiamsi dilapsa fortuna est. in abiectos officia gratiora sunt quae non ex misericordia, sed ex honore uenerunt. sed nimirum recte a sapientibus ponitur conexio inter se apta uirtutum. sic enim mutuo et operam iuuant et fructum operae partiuntur, ut facile appareat inseparabilis et indiscreta permixtio. gessisti bellum, imperator maxime, quod tibi non minus honos urbis imposuit quam eiusdem aerumna persuasit. itaque non plus ex eo laudis fortitudini tuae datum quam pietati tributum est quod, dum scelestos persequeris, miseros liberasti. constituta enim et in perpetuum Roma fundata est, omnibus qui statum eius labefactare poterant cum stirpe deletis.

VII. Non enim, qui bellorum euentus solent esse, per uarios et uolubiles casus Mars dubius errauit, nec fortunae uicissitudo, quae plerumque prosperis rebus triste aliquid adglutinat, uictorum laetitiam uulnerauit; sed tanta hostium et tam ampla caedes, tam felix et incruenta *fuit* uictoria ut credas non bello ancipiti dimicatum, sed solas impiorum poenas expetitas. tantum etiam inter arma bona conscien-

---

3 stupenda **w**: stipendia **M** ‖ 10 dilapsa fortuna *Bert.*: delapsa fortuna **A** fortuna delapsa **B C V W** ‖ 14 operam *Arntzenius:* opera **M** | iuuant **W**: iuuat **A B C V** ‖ 17 honos **w**: onus **M** ‖ 20 persequeris **A B**: persequereris **C V W** ‖ 23 cum] ut **A** ‖ 25 mars **w**: maris **M** ‖ 28 cedes **w**: cedis **M** ‖ 29 fuit *ante* uictoria *addidi*, *post* uict. *edd.*: *om.* **M** ‖ 31 tantū **w**: tanta **A** tanto **B C V**

tia sibi uindicat ut iam coeperit non uirtutis magis quam integritatis esse uictoria. spectat enim nos ex alto rerum arbiter deus et, quamuis humanae mentes profundos gerant cogitationum recessus, insinuat tamen sese totas scrutatura diuinitas, nec fieri potest ut, cum spiritum quem ducimus, cum tot commoda quibus alimur diuinum nobis numen impertiat, terrarum se curis abdicauerit nec inter eorum uitas diiudicet quorum utilitates gubernat. illa igitur uis, illa maiestas fandi ac nefandi discriminatrix, quae omnia meritorum momenta perpendit librat examinat, illa pietatem tuam texit, illa nefariam illius tyranni fregit amentiam, illa inuictum exercitum tuum tot uictoriarum conscientia plenis pectoribus ardentem tantis insuper uiribus iuuit quantas praestare aut deus potuit aut amor tuus debuit, ut horrendas acies, ut incognita ferri et corporum robora fulmineus miles euerteret, ut, quicquid instruxerat diuturni sceleris longa molitio, felici congressione consumeres.

VIII. O tuam, imperator, non uictoriam magis quam clementiam praedicandam! grauate aput animum tuum etiam mali pereunt. inuitus pugnasti qui tam facile uincebas. iamdudum quippe praeuideras hominem non imperando habilem, non tantae maiestatis capacem, quod magnitudo male crediti muneris extra animi angustias effluebat. quam qui tueri nequeunt, ubi sub tanto onere fortunae infirmitas lapsa est, faciunt licentiam de potestate. quid ego referam infelicium indignissimas caedes? quid inexpletos libidinum pastus? quid miseras patrimoniorum direptiones? sileantur haec sane, non tan-

5 totas *ego:* totam **M** | seruatura **C** ‖ 19 longo **A** ‖ 22 grauate] grauiter **w** ‖ 23 etiam *ante* mali **A** *Bert., ante* apud **B C V W** *ponunt* ‖ 24 peruideres **A** ‖ 27 quam] quod *edd.* ‖ 29 fac. de pot. licent. **w** ‖ 32 haec ς: hee **A** he **B V** hae **C** h' **w** hoc ς

tum ne sopitam malorum memoriam oratio mea suscitet, sed ne sanctissimas principis laudes, dum aliena uitia depromimus, sermo talis incestet. incrementum quidem adeptae felicitatis est malorum commemorata depulsio: uerum ut in segetibus, etiamsi multa quae humum obsederant industria reuellenda sunt, laborem tamen purgati soli nesciunt qui fructus editos intuentur, sic Constantini laudibus satis est, dum efflorescentia bona cernimus, ne mala excisa reputemus.

IX. Ferebas tamen, imperator, ferebas illum in tantis malis ludentem et, cum omnia tu scires, uota hominum coniuenti patientia fatigabas, qui ne sic quidem iniuste arma caperes etsi nondum ab homine lacessitus, iam tamen uitiorum eius inimicus, sed (quod erat consentaneum clementiae tuae) experireris remedia molliora ut, quod leniri quam resecari malles, mitior medicina sanaret. quin extorques animo tuo et conueniendi studium et concordiae uoluntatem, si concordiam quam ueniam appellari fas est, cum qui potest uincere optat ignoscere. et non dubito quin hanc rationem caelestis prudentia tua duxerit, quod coniunctione sua flagrantissimas hominis cupiditates uel extingueret penitus uel modice temperaret. nulla quippe est libido tam uecors quam non capiat cum in consortium uenerit temperantia. deicit oculos deformis ignauia ubi ei pulcritudo uirtutis obiecta est. tergiuersari atque haerere petulantiam uideas grauitate, modestia et decore confusam, ut appareat te, imperator optime, concordia

2 ne **A w**: *om.* **B C V** || 4 est *om.* **W** || 6 reuellenda *Bert.*: reuellanda **A** reuelanda **B C V W** || 8 sic **w**: si **A C V** sed **B** || 12 tu *edd.*: tua **M** || 13 patientia **w**: patienti **M** conniuendo patiendo *edd.* || 16 experiris **A** experiebaris *edd.* || 17 ut] uel **C** || 18 males **B V W** || 19 *prius* et *om.* **M**, *add.* *Bert.* || 26 in consortium **w**: in sortium **M** | temperantia uenerit **M**, *transposui* || 27 deicit **W**: deiecit **A B C V** || 29 grauitate modestiae *Liuineius*

impetranda non illi impunitatem uexandae urbis daturum, sed leniorem petisse uictoriam, cum malles uitia eius quam arma superare.

X. Sed profecto nulla ui possunt coire quae naturali diuortio dissident, nec ulla tam fidelis est copula quae in diuersum tendentia nexu suo teneat. perpendit scilicet secum excellens prudentia tua eique semper pietas applicata omnes concordiae commoditates: illam esse fundamentum ac radicem otii, bonorum ciuilium seminarium, quietis publicae segetem et almam pacis altricem. sed o quam aeger est ad honestatem recursus his qui iam gradum ex nequitia protulerunt! uocas ad societatem: appetitum tuum refugit auersatur horrescit, nihil sibi putat tecum commune quia nihil simile est. iam certe quiescere uirtuti integrum non est. nam bellum animo gerere armis abstinentem non concordiae ratio est, sed ignaua dissensio.

XI. Licet non sit in his ratio desideranda qui semel de uia praecipites ire coeperunt, *non* mirari tamen non queo, cur id delatum non amplexus sit quod impudens esset si auderet optare. utrum urbis funestam illam lacerationem lente ac remisse te laturum putauit? sed natura fert ut iniuriae eius quem diligas, etiam si re ipsa graues sunt, fiant tamen amore grauiores. an credidit conserenda manu non inferiorem *fore?* hoc uero quam opinari non potuerit exitus docuit, cum signis tam saepe collatis nihil umquam fuerit quod aut spes aucuparetur aut

---

1 imperanda **M**, *corr. Liuineius* | illi **A C w**: ulli **B V** | fuisse daturum *Liuineius* ‖ 11 et *om. edd.* ‖ 14 auersatur *Liuineius:* aduersatur **M** ‖ 17 animo *om. Bert.* ‖ 19 sit] sic **B C** | desiderandi **w** ‖ 20 non *ego: om.* **M** ‖ 21 non queo **A**: nequeo **B C V W** satis nequeo *Liuineius* | cur *Puteanus:* cum **M** ‖ 24 natura affert **M**, *corr. Puteanus* ‖ 25 fiunt **A** ‖ 26 conserendū **w** ‖ 27 inferiorē fore (*uel* se fore) *ego:* inferiore **W** inferiorem **A B C V** ‖ 29 *malim* nihil usquam

fortuna promitteret. dolis, credo, existimauit decipi posse. sed non uirtus tua de congressione quam prudentia est de fraude securior. quis enim ad praesentiendum sagacior? quis uigilantior ad uitandum? quis contemplatur praesentia acrius, uentura prolixius, ambigua certius, captiosa felicius? non hinc tecum Lynceus ille certaret qui, ut poetae ferunt, parietum septa et arborum truncos uisu facile traiciebat aut etiam ille quem eadem uetustas locuta est, cum in Siciliensi specula constitisset, conspicari solitum naues quae Africae portum subirent, cum prospectum hominis non aer offusus quem crassiorem exalatio maris faceret, non tanta disiunctarum regionum longinquitas impediret.

XII. Cum spes omnis frigere debuerit et uoluntas pacificandi alienata sit, quis dubitet diuinitus armis tuis deditum, cum eo dementiae processerit ut ultro etiam lacesseret quem ambire deberet? o quam acres dolorum aculeos habes, contumelia, quam imponit inferior! ecce enim, pro dolor! (uerba uix suppetunt), uenerandarum imaginum acerba deiectio et diuini uultus litura deformis. o manus impiae! o truces oculi! ita non caligastis? in quo lumen mundi obscurabatis, meritas ipsi tenebras non imbibistis? commouere tandem, conscia uirtus, nec permittas hoc furori cui de te aliud non licebat. sed quid tandem assequeris, caeca dementia? aboleri uultus hic non potest. uniuersorum pectoribus infixus est nec commendatione cerae ac pigmentorum fucis renitet, sed desiderio efflorescit animorum. una demum Constantini obliuio est humani generis occasus. nunc

---

1 *malim* te decipi ‖ 4 uitandum *scripsi:* uidendum **M** ‖ 5 contempletur **M** ‖ 7 lincheus **M** ‖ 12 effusus **M**, *corr. Liuineius* ‖ 13 exaltatio **W** | tanta ς: tantum **M** tam *Liuin.* ‖ 17 dementia **A B C V** ‖ 18 etiam *del.* **w** ‖ 19 habet **V** | habes *post* aculeos **A** *Bert.*, *post* habes **B C V W** *ponunt* ‖ 21 acerba **w**: acerua **M** ‖ 27 hic uultus **C** ‖ 29 ac] aut *edd.* ‖ 31 est] esset *Eyssenhardtus*

uero commendabiliorem iniuria tua faciet amentiam eius: auidius expetent quem pictura non reddit. flagrantiora sunt animorum desideria, cum oculorum solatia perdiderunt.

XIII. Nihil profecto grauius, nihil miserius, Roma, doluisti. quamuis recondite [alte] magis gemeres et ingestos cotidie luctus callo quodam obduratae patientiae sustineres, confessus est se inconsultior dolor nec timuit deprehendi, et male clausi signa maeroris per uultus indices exierunt. hoc enim, Roma tot uulneribus saucia, uindicari uolebas, cum tamen praestantissimus princeps iniuriae suae neglegens ulcisci tuas mallet. ita ambo, benigni ratiocinatores officiorum, paria fecistis: tu uoto quo solo ualebas, ille amore pariter et facultate, ut tantum bonorum tibi tribueret quantum te sibi uelle cognosceret. pugnasti igitur, imperator, coactus quidem, sed hoc maxime uictoriam meruisti quia non desiderabas. optasti pacem, sed ignosce si plus omnium uota ualuerunt. nec illa diuinitas obsecundare coeptis tuis solita in hoc refragata est, sed aliquid ex sententia tua non dedit ut plus pro meritis iniret. negata est concordia cui erat parata uictoria.

XIV. In ore denique est omnium Galliarum exercitus uisos qui se diuinitus missos prae se ferebant. et quamuis caelestia sub oculos hominum uenire non soleant quod crassam et caligantem aciem simplex illa et inconcreta substantia naturae tenuis eludat: ibi tamen auxiliatores tui aspici adirique

---

1 amentiam *idem:* patientiam **M** ‖ 2 expectent **A** ‖ 6 alte *del. Liuineius* ‖ 10 per *om.* **W** | extiterunt **w** ‖ 14 uolebas **M** ‖ 16 retribueret **C** | cognosceret (cognoscet **A**) *Bert.* **w**: recognosceret **B C V** ‖ 20 diuinitas *Bert.* **C W**: diuinitus **A B V** | obsecundare ceptis *Bert.* **w**: obsecunda receptis **M** ‖ 22 dedit *ego:* cedit **M** cecidit *Acidalius* | iniret *corruptum;* ueniret *Acidalius* inires *Liuineius.* *fort.* indulgeret *uel* tribueret ‖ 28 illa **A** *Bert.: om.* **B C V W** | et *om.* **V** ‖ 29 ibi *Bert.* **A V W**: illi **B C** | adirique *ego:* audirique **M**

patientes, ubi meritum tuum testificati sunt, mortalis uisus contagium refugerunt. sed quaenam illa fuisse dicitur species? qui uigor corporum? quae amplitudo membrorum? quae alacritas uoluntatum? flagrabant uerendum nescio quid umbones corusci et caelestium armorum lux terribilis ardebat: tales enim uenerant ut tui crederentur. haec ipsorum sermocinatio, hoc inter audientes serebant: 'Constantinum petimus, Constantino imus auxilio'. habent profecto etiam diuina iactantiam et caelestia quoque tangit ambitio. illi caelo lapsi, illi diuinitus missi gloriabantur quod tibi militabant. ducebat hos, credo, Constantius pater qui terrarum triumphis altiori tibi cesserat, *dum* diuinas expeditiones iam diuus agitabat. magnus hic quoque pietatis tuae fructus *ut*, quamuis particeps caeli, ampliorem se fieri gratia tua senserit. et cuius munera in alios influere iam possunt, in eum ipsum tua munera redundarunt.

XV. Cedat tibi non recentium saeculorum modo, sed totius memoriae uetustas, quamuis illa recti appetens et nullo umquam in officio deprauata glorietur penes se sanctitatis famam stetisse. sed necleguntur praeconia hominum, ubi quaeruntur iudicia diuina. illi igitur ueteres, laudati uitae moderatores, qui refrenandis cupiditatibus restricte contenteque uixerunt, quorum omnis aetas armis conterebatur, quando tantam in proelio diuinam opem pro merito integritatis habuerunt? ut, qui longe a uirtutibus

---

2 refugierunt **B C V W** ‖ 4 *an* alacr. uolitantum? ‖ 5 qui dū bonescorusci **A** umbone **B C V W** ‖ 8 sereb. **A**: fereb. **B C V W** ‖ 9 unus **A** ‖ 10 etiam] et **C** ‖ 14 altior **w** | dum *addidi: om.* **M** ‖ 16 ut *addidi: om.* **M**, quod *edd.* | ampliore **C** ‖ 17 *an* gloria tua? ‖ 18 possunt *ego:* possint **M** possent *et* redundarint *Acidalius* ‖ 20 non] nunc **A** ‖ 21 memoria uetustatis *Jaegerus* ‖ 22 deprauata in officio **B C V W** ‖ 23 famam stetisse **w**: fama instetisse **M** | *malim* stetisse: necleguntur | nec leguntur **M** ‖ 24 indicia **A** ‖ 25 igitur] ergo **W** ‖ 26 contenteque *Liuineius:* compteque **M** ‖ 27 conticebatur **V**

tuis distant, in proximo saltim iustitiae gradu reponantur. Romano quodam in bello ferunt duo cum equis iuuenes extitisse spectandos forma pariter ac uiribus, quia in dimicando praeter ceteros insignis fuissent, iussu imperatoris ad remunerandam industriam requisitos. ubi nulli inueniebantur, fides habita est diuinos fuisse, quod cum laborem sedulo communicauissent, laboris pretium respuissent. equidem historiae non inuitus assentior. neque enim in hoc ueri interpolatrix tenenda quae se non uanam antiquitatis nuntiam pollicetur. sed tamen illi qui hoc annalium monimentis illigauerunt uerebantur ne aput posteros miraculi fides claudicaret. estote, o grauissimi auctores, de scriptorum religione securi: credimus facta qui maiora nunc sensimus. magnitudo principis nostri gestis ueterum fidem conciliat, sed miraculum detrahit. pro auxilii copia negotiorum ratio metienda est. duo quondam iuuenes, sed nunc exercitus uisi. hoc certe uberius nec infirmius ueritate. stat argumento duplici fides nixa: sic Constantinus iuuari meruit, sic debuit Roma seruari.

XVI. Magnum hoc, imperator maxime, sed de tua pietate non mirum. adesse tibi in omnibus summam illam maiestatem quae te circumplexa tueatur, coniectura mentium tenebamus, etsi nondum ad fidem patebat oculorum. etenim cum mens tua *a* mortali contagione secreta, pura omnis, funditus sincera ubique se promerendo deo praestet, cum gloria tua humanum modum superegressa sit: qui est omnium

---

2 duos **C W** ‖ 3 spectandos *scripsi:* spectant os **A** spectatos **B C V W** ‖ 4 quia] qui *Bert.* | insignes **C** ‖ 5 remunerandum, *om.* industriam, **C** ‖ 7 cum **A** *Bert.: om.* **B C V W** ‖ 8 communicassent **B V W** | respuerunt **A** ‖ 10 interpellatrix **C** ‖ 12 alligauerunt **W u** ‖ 15 credimus *Langius:* credamus **M** ‖ 19 uisi] nisi **W m** | certe uel uberius *Bert.*, et uber. *Liuineius* ‖ 20 sat **C** ‖ 24 circumplexa *Liuineius:* circumflexa **M** ‖ 25 coniecturam **M** ‖ 26 a *addidi: om.* **M** ‖ 29 superegressa **A**: supergressa **B C V W** egressa *Bert.* | quis est *edd.* | omnium **A**: hominum **B C V W**

quin opitulari tibi deum credat, cum id et uita mereatur et rerum gestarum magnitudo testetur? parumper igitur ab instituto cursu non ingrato deuerticulo recedamus. tenebo hunc orationis modum ut nec inhumane de praeteritis muta sit nec odiose instantibus obloquatur. tu, imperator optime, inito principatu, adhuc aeui immaturus, sed iam maturus imperio, ostendisti cursum aetatis non expectandum in festinatione uirtutis. tu exinde domi militiaeque iuxta bonus nusquam gradum extulisti quin ubique te gloria quasi umbra comitata sit. tu ferocissimis regibus Ascarico et comite suo captis tanta laude res bellicas auspicatus es ut eam inauditae magnitudinis obsidem teneremus. ut Herculem ferunt tenerum adhuc atque lactentem duos angues manu elisisse, ut iam *in* infantulo indoles futuri roboris emicaret, sic tu, imperator, in ipsis imperii tui cunabulis, quasi geminos dracones necares, per saeuissimorum regum famosa supplicia ludebas.

XVII. Franci ipsi praeter ceteros truces, quorum uis cum ad bella efferuesceret ultra ipsum oceanum aestu furoris euecta Hispaniarum etiam oras armis infestas habebat, hi igitur sub armis tuis ita conciderunt ut deleri funditus possent, nisi diuino instinctu, quo regis omnia, quos ipse affeceras conficiendos filio reseruasses. quamquam ad gloriam uestram fecunda malis suis natio ita raptim adoleuit robusteque recreata est ut fortissimo Caesari primitias ingentis uictoriae daret, cum memoria acceptae cladis non infracta, sed asperata pugnaret. differamus parumper

2 testatur **A** ‖ 3 diuerticulo **C w** ‖ 5 praeteritis *Marklandus ep. crit. ad Fr. Hare p. 142:* ceteris **M** ‖ 6 de instant. *edd.* ‖ 12 astarico **C** ‖ 13 eam *Bert.* **A B V**: iam **W C** ‖ 15 lactantem **M** ‖ 16 in *Acidalius: om.* **M** ‖ 17 emicaret **w**: immicaret **M** ‖ 21 ad bellū **A** ‖ 22 hispaniorum **A** ‖ 23 habebant **M** ‖ 24 possint **A B C V** ‖ 26 uestram] nostram **B** | uestram gloriam *Bert.* ‖ 27 adoleuit **w**: aboleuit **M** ‖ 28 primitias] prouincias **W**.

Italicas expeditiones quibus Segusiensium ciuitatem, quae superatis Alpibus Italiae claustrum obicit, cum ui ac uirtute uelut ianuam belli refregisses, inde per obiectas acies, per exercitus obuios usque ad Romana moenia inoffensus uictoriarum impetus percucurrit.

XVIII. Quid memorem Bructeros? quid Chamauos? quid Cheruscos, Uangionas, Alamannos, Tubantes? bellicum strepunt nomina et inmanitas barbariae in ipsis uocabulis adhibet horrorem. hi omnes singillatim, dein pariter armati conspiratione foederatae societatis exarserant. tu tamen, imperator, cum tantam belli molem uideres, nil magis timuisti quam ne timereris. adis barbaros et dissimulato principis habitu, quam proxime poteras, cum duobus accedis. numquam est excelsior principatus quam cum se publico submittit officio. facis uerba, spem illorum agitas et uersas credulitatem, negas te esse praesentem. o uere caeca barbaria quae in illo uultu signa principis non uideris, quem ne sic quidem senseris, cum intra iactum teli securus sui staret, Constantinum esse! qui hoc poterat non timere, dubitare quisquam potest eum per omnia subnixum deo uadere? inuictos ducis, set solus timeris. tot regna, tot populi et tantarum nationum congregatio indignam se uiribus tuis putat, quem credit absentem. tibi tamen incrementum laudis ex multiplicatione terroris est. magnificentius congregata obteris quae scrupulosius dispersa sequereris. innu-

---

2 clastrum **A** *expuncto* claustrum | obiecit **M** || 3 ui ac *ego:* uie *uel* uiae **M** tua **w** ui et *edd.* || 7 bruteros quid clamasos (clamosos **W** clamascos **B** clamauos *Bert.*) quid (quis **A**) heruscos (eruscos **C**) Lancionas (laucianas **A** lantionas **B** Logionas *Liuin.*) halamannos (alamanos **C**) **M** || 12 federato **A** | tu] ut **A** || 13 tanti **W** | uideres **C w**: uideris **M** || 14 dissimulatu **A** || 18 crudelitatem **M**, *corr. Acidalius* || 20 que ς || 23 quisquam **A**: quicquam **B C V W** | potest eū *ego:* potes te **M**, *sed* te *om.* **C** || 24 set *ego:* et **M** || 27 tamen] tum **C**

merae simul gentes ad bellum coactae, sed uno impetu tuo fusae, dum collatiuam uim comparant, compendiosam uictoriam praestiterunt.

XIX. Uno hoc bello, si debitis laudibus immorari uacaret, dies integer conderetur. nunc ita omnia praeteruolans tetigit oratio ut uictoriarum tuarum non summam euolueret, sed ornamenta monstraret. his rebus semper e re publica gestis tanta ui tantoque successu ut numquam uirtus tua intremuerit, prudentia haeserit, felicitas claudicarit, satis, ut opinor, probatum est perpetuam in te benignae maiestatis opem fluere, ut caelestis exercitus tui non tunc primum missi, sed tum demum intellecti esse uideantur. talis igitur ad liberandam Italiam et tam tutus accedis ut, cum res bellica caecos habeat euentus, tute tamen dimicandi uoluntatem pro uictoriae pignore teneres, etiamsi abessent auxilia diuina. aderat enim robustus et florens, plenus uirium, animi plenus exercitus, laetus armis et militiae munia exequens studio magis quam necessitate, quippe cui stipendia sunt pauciora quam proelia (cum dico proelia, significo uictorias), praeterea tam amans tui quam tibi carus. ignosce enim, superba uirtus, quantumuis fiduciae et spiritus capias, amor principis facit militem fortiorem.

XX. Antiqua admodum res est quam proferam, sed non indigna memoratu. Illyrii quondam despicientes Aeropi regis infantiam Macedonas bello lacessierunt. et prima quidem congressio secundum illos fuit; uerum Macedones cum bellum reficerent, regem suum in cunis ad aciem detulerunt. cum illos

---

2 collatinam C ‖ 4 hoc] ex W ‖ 6 tetigit ***Acidalius:*** **cecidit M ‖ 7 summam euolueret w: summa me uolueret M (summa reuolueret V** ***ex corr.*****) ‖ 12 celestes w ‖ 13 primum W: primo A B C V | sed tunc** ***edd.*** **‖ 16 tute** ***ego:*** **in te M ‖ 17 teneres** ***Bert.:*** **tenerebas A tenebas B C V W ‖ 20 cui** ***Bert.*** **w: tui M ‖ 21 sint A ‖ 24 principem W ‖ 27 Illiri A ‖ 28 eropi M | macedones B C V W;** ***at cf. Iustinus VII 2, 7*** **| lacesserunt B C V W**

ira, hos miseratio, illos signorum cantus, hos pueri uagitus accenderet, mutata est ratio certaminis: uicerunt qui amore pugnabant. quanto igitur est amor fidelior accepti beneficii memoria quam praesumptione futuri, quod illic percepta res iuuat, hic expectata blanditur: tanto tui animosius dimicauerunt qui non puero spem gratiae munerabantur, sed principi post natos homines benignissimo meriti debitum rependebant.

XXI. Primam igitur Segusiensium ciuitatem, quam proximam iter dederat, uictoria facilis amplexa est. quae resistendi pertinacia ita in se imperatoris uim conuertit ut pietatem tamen non alienauerit. nam cum introitus ui manuque quaereretur et portarum inflammatio ignem late distulisset, cuius facilis per adiuncta contagio pastu pestifero ualescebat, maxima benignissimi imperatoris fuit cura, non modo ut incendium non adiutum senesceret, sed oppressum emori posset; et longe operosior clementia eius quam fortitudo perspecta est, cum plus in conseruanda urbe quam in capienda fuerat laboris oreretur. itaque digrediens sic ciuitatem cupidam sui fecit ut eam ad omne obsequium non uictoriae metus componeret, sed admiratio lenitatis.

XXII. Optima esse aiunt remedia quae ad usum corrigendi nostri ex aliena calamitate nascuntur; uerum animus prauitate uelut morbo impeditus dilectum boni non habet. ecce iam aput Taurinos uenientem pugna grauior expectat; nec Segusiensium uastitas monet ut sibi caueant, nec cogitant quo cum principe res futura sit, quod neque uis eius resistendi spem faciat nec mansuetudo rationem.

2 accenderent **V** ‖ 7 munerabant **W** numerabantur **C** ‖ 8 homines **w**: hominis **M** ‖ 11 qua **A** | proximam *ego:* primam **M** ‖ 14 manuque *Pulmannus:* manu **M** ‖ 15 detulisset **w** ‖ 16 pastu *Juretus:* partu **M** ‖ 18 non iutum **W** ‖ 22 oreretur *ego:* ororetur **A** oriretur *cett.* | disgred. **A** | ciuitatem **B w**: cupiditatem **M** ‖ 25 aiunt esse **C** ‖ 26 calaminate **A** ‖ 29 segusium **M** ‖ 30 mouet **C** | quo *Liuineius:* quod **M**

campum late iacentem tantus miles oppleuerat ut non improbaret fiduciam qui instructos uideret. quae enim illa fuisse dicitur species? quam atrox uisu? quam formidolosa? operimento ferri equi atque homines pariter obsaepti. clibanariis in exercitu nomen est. superne hominibus tectis, equorum pectora oribus demissa lorica et crurum tenus pendens sine impedimento gressus a noxa uulneris uindicabat.

XXIIII. Te tamen, imperator, non terruit nec quod tanto munimento duplicabat armatura terrorem nec quod uim armis numerus addebat. certum est enim pro negotii modo animosam esse uirtutem, quod ex specie rerum captum suum temperat: in paruis prope ad securitatem remissa, in mediocribus modice intentior, ubi magna uenerunt, iuxta magnitudinem exanclandi operis erigitur. illa armorum ostentatio et operti ferro exercitus, qui imbelles oculos uulnerassent, inuictas mentes incitauerunt. *quid?* quod imbutus imperatoris exemplo totis animis eius miles ardescit, cum inuenit hostem, quem uinci deceret? catafractos equites, in quibus maximum steterat pugnae robur, ipse tibi sumis. his disciplina pugnandi est *ut*, cum aciem arietauerint, seruent impressionis tenorem et immunis uulnerum, quicquid oppositum, sine haesitatione perrumpant.

XXIV. Sed tu, imperator prudentissime, qui omnes bellandi uias nosses, opem ex ingenio repperisti: quod tutissimum *est* eludere quos est difficillimum sustinere, diducta acie *in* inreuocabilem im-

---

1 late **W**: laxe **A B C V** *Bert.* ‖ 4 uisu *om.* **C** ‖ 5 hominis **M**, *corr.* **w** ‖ 6 hominibus *scripsi:* omnibus **M** | pectora oribus *scripsi:* pectoribus **M** ‖ 10 munimento *scripsi:* numero **M** ‖ 11 enim *om.* **C** ‖ 13 specie (spē) *scripsi:* se **M** serie **w** ‖ 16 exanclandi **A** exalandi **C** audendi **w** ‖ 18 quid *ego: om.* **M** ‖ 22 tibi *om.* **A** | ut *Arntzenius: om.* **M** ‖ 23 impressiones **M** | terrorem **w** ‖ 24 innums **A** immunes **w** | quicquid **A w**: quicquam *cett.* ‖ 28 est *edd.: om.* **M** | elidere **M** *Bert.* *an* ēdiuidere? | quos *Jaegerus:* quod **M** ‖ 29 deducta **B C V W** | in *Gruterus: om.* **M** | irreuocabili impetu **w**

petum hostis effundis, dein quos ludificando receperas, reductis agminibus includis. nil proderat contra tendere, cum ex industria tui cederent. flexum ad insequendum ferreus rigor non dabat. ita nostri proditos sibi clauis adoriuntur, quae grauibus ferratisque nodis hostem uulneri non patentem caedendo defatigabant ac maxime capitibus applicatae, quos ictu perturbauerant, ruere cogebant. tunc ire praecipites, labi reclinis, semineces uacillare aut moribundi sedilibus attineri, permixta equorum clade impliciti iacere, qui reperto sauciandi loco passim equitem effreni dolore fundebant. ad unum omnibus interfectis hostibus, tuis integris, horrorem armorum ad miraculum uictoriae transtulerunt, quod qui inuulnerabiles habebantur sine tuorum uulneribus interissent. Antoninus imperator in toga praestans et non iners nec futtilis bello, cum aduersum Parthos armis experiretur, uisis catafractis adeo totus in metum uenit ut ultro ad regem conciliatrices pacis litteras daret. quas cum rex immodicus animi respuisset, insolentia quidem barbari debellata est, sed patefactum est in his armis tantam inesse uiolentiam ut iam et uincendus fideret et superaturus timeret.

XXV. Quid ego referam post tantam et tam grauem pugnam quod aput Brixiam magnus quidem et acer equitatus, sed fuga quam ui sua tutior [et] primo impetu tuo pulsus Ueronam usque contendit ad praesidia maiora? neque id dedecori fuit, quod excusati fugiunt qui tibi cedunt. contingat quin immo mi-

---

1 hostes **B W** hostem **V** in hostes **C** | ludificandos **M**, *corr. Acidalius* ‖ 3 creder. **A** ‖ 6 credendo **A** ‖ 7 applicate **w**: afficate **M** afflictatae *Bert.* ‖ 8 perturbauerunt **A** ‖ 9 recliuis **A** -ues **B C** -nes **V W** ‖ 12 omnibus *Bert.*: *om.* **M** ‖ 13 hostibus *scripsi:* omnibus **M** (*Bert., ut uid.*) ‖ 16 Antonius **W m** ‖ 17 aduersus **W** ‖ 19 ad *om.* **A** ‖ 23 iam *ego:* eam **M** | et *prius* **A** *Bert.*: *om.* **B C V W** ‖ 24 ergo **C** ‖ 25 quod cum apud **w** | quidam **M**, *corr. Liuineius* ‖ 26 sed *idem:* esset **M** | ui sua tutior **w**: uisu astutior (astacior **A**) **M** | et *del. Jaegerus* ‖ 27 tetendit at pres. **A** ‖ 28 id] illud **A**

serae timiditati res ostentanda, fuga quae habuerit dignitatem. ipsa autem Uerona farta immanibus copiis, quas in unum aduentus tui formido conduxerat, cum multorum iam clades accepisset, facta est parumper metu cautior, non ratione felicior: muris se ab impetu uindicauit. aderat ibidem Ruricius, experientissimus belli et tyrannicorum ducum columen. per tota moenia admodum magna uis hominum; sed apud Brixiam plerique iam fracti. ut in corpore cum aliqua pars aegra est, ualitudo omnis contaminari solet: sic illius multitudinis portio malo affecta totum *in* exercitum timoris contagium dissiparat. quam faciles lapsus infirmitas habeat, cum eam intempestiua mouit audacia, cum saepe alias, tum maxime in illa obsidione perspectum est. clausi impetum faciunt et qui se aliquamdiu latendo a morte defenderant, facta pugnandi copia, poenas eruptionis temerariae pependerunt. idemque Ruricius magna suorum clade reiectus in moenia, spe iam lassa, sed adhuc mente uesana cum se Uerona proripuisset, nouos eodem egit exercitus et praecipitante iam die bellum non detrectauit, pugnae auidior quam salutis. sed eum exitus magis quam merita fefellerunt. nam furorem mors demum domuit, quem non potuerat nec considerati ratio nec uicti formido sanare.

XXVI. O nox illa aeternis saeculis monumentisque mandanda! cum spissis tenebris quippe congressu *facto*

---

1 timidit. miserae C ‖ 2 farta *ego:* ferta (freta C) M referta w ‖ 6 uindicant M, *correxi* | aderat quidem Rur. M, *correxi* ‖ 7 experientissimū A V ‖ 8 admodum moenia M, *transposui* ‖ 9 sed *Liuineius:* et M ‖ 12 in *Acidalius: om.* M | contagio w ‖ 13 habeat *Acidalius:* habet M haberet *Bert.* ‖ 14 mouet *Bert.* ‖ 17 copia *Bert.:* causa M ‖ 19 sed *Langius:* et M ‖ 20 Ueronam M, *corr. Liuineius* ‖ 21 egit] cogit C ‖ 24 demū domuit *ego:* demuit B C V W domuit A *edd.* ‖ 25 considerati; *malim* confederati ‖ 26 O uox A ‖ 27 spissis *edd.:* spis A *et* W *cum signo corruptelae*, spiculis *Bert.*, spiris B C V | tenebris quippe *ego:* tenebrisque M | facto *addidi: om.* M

Fortunae totum liceret, tu tamen, imperator, non tutior tempore quam deo tectior saeuissimo hosti multus instares et libertate caedis exultans donum noctis duceres quod pugnantem nemo seruaret. per infestas acies interritus uadis, densissima quaeque perrumpis deicis proteris. mortis decus perdunt quos ignoratus affligis, nisi quod te ipsa uis tua cogit agnosci. nihil enim te permouent tubarum fractae uoces, horrendus militum clamor, permissa casibus uulnera, illisi cominus gladii, cadentum graues gemitus, arma late strepentia et in unum quemdam sonitum diuersi fragoris acta confusio, quod haec omnia aut uirtus neglegit aut ira non sentit. nox ipsa, iustissima bellantibus causa terroris, uehementiorem te agendis stragibus fecerat. quod solum enim uirtutis tuae impedimentum est, miserationem tenebrae non habent, ut intellegi liceat quantum illo in bello uis tua perfecerit pietate non retenta et maiestate secura. proelio uix multa nocte confecto fessus caedibus, anhelus ex bello, cruore oblitus, sed hostili, ad obsidionis uigilias recurrebas. o fortuna! o praepotens Roma! quam tu umquam gratiam pro tantis his laboribus referes? nisi quod indulgentissimus princeps, tamquam hoc ipsum tibi debeat, eo cariorem habet quo maiore labore seruauit.

XXVII. Et, quoniam me ad urbis commemorationem fors quaedam intulit, non rerum ordo deduxit neque reuocare inde orationem fas est quo iamdudum contenta ueniebat, praetereo te, Aquileia, te, Mutina, ceterasque regiones quibus propter insecutas incredibilium bonorum commoditates gratissima fuit ipsius oppugnationis iniuria. senserunt enim translatis ad fortissimum principem fortunarum

2 tutior ς: intutior **M**; *an* munitior? ‖ 4 duceris **A** ‖ 8 turbarum **A V W** ‖ 9 clam perm. **A** ‖ 10 illisi **A**: illusi **B C V W** ‖ 12 haec] hec **A** ‖ 14 uehementiore in te **A** ‖ 17 habebant **A** *Bert.* | quantum **B w**: quanto **M** ‖ 20 bello; *malim* uelocitate ‖ 23 refers **C** ‖ 28 reuocari **A** ‖ 32 fuit] sint **A**

suarum gubernaculis quam facile omnia ad salubrem cursum redirent; quae ita deferebantur ut mox aut malorum omnium scopulis illiderentur aut miseriarum uadis adhaerescerent. praetereo, inquam, et haec et alia complura quorum est et singillatim onerosa moles et omnium simul aceruus onerosior. nam quae diducta ferre nequeas, his congregatis subire spei importunioris est quam fiduciae promptioris. recuperata igitur Italia hic primus fuit liberandae urbis gradus et ad uictoriam facilis ascensus, quod illum semper exedendae urbis uisceribus inhaerentem ex assuetis latebris uis diuinitatis excussit. in quo quidem tantum momenti fuit ad perficiendae rei facilitatem ut non tam gloriandum sit uirtuti tuae, praestantissime imperator, quod eum uiceris quam gratulandum felicitati quod ad pugnam potueris euocare.

XXVIII. Non enim casu, non fiducia factum putemus ut ultro etiam exercitum educeret aduersum eum cuius aduentus stridorem ipsum perhorresceret, nisi animum iam metu deuium infestior deus et pereundi maturitas perpulisset; quod ipsa ratio disponendi exercitus docuit ilico, mente perdita implicatoque consilio cum eum pugnae locum caperet ut interclusa fuga moriendi necessitatem imponeret, cum spem uictoriae non haberet. quod quidem imperatori nostro optandum largiter fuit, qui hoc uno maxime offenditur si certamen lubricum faciat spes prompta fugiendi. relaxauerit acies aut frons impulsa titubauerit, fiducia manuum ad pedes migrat. non amas, imperator, bella nisi feruentem hostem in gradu suo praecisa fuga teneat, ut aut ferro concidat aut miseratione seruetur. aput Tiberim igitur suos

---

6 moles w: molis M ‖ 7 deducta B C V W ‖ 10 gradus — 11 urbis *om.* V ‖ 10 ascensus *Bert.*: accensus A accessus B C W ‖ 13 ad] aut A V ‖ 22 pepulisset C ‖ 23 ilico *scripsi*: illum M ‖ 29 impulsa w: impulsati M

instruit sic ripae locatos ut ultimorum uestigia praesagio quodam euenturae cladis unda fatalis allueret, ita uero multitudine suppeditante ut ultra quam uisus agi posset extenta acies pertineret; non quo frons inbecilla tractu inualido duceretur, sed tanta subsidiorum atque ordinum confirmatione ut acies non porrectior quam robustior murum utrimque praeberet, quod eam nec constipatio contraxisset nec longitudo tenuaret.

XXIX. Praetermittam hoc loco, Constantine maxime, disponendi militis tui miram incredibilemque rationem. hoc enim persequi *qui* uellem? quem tenuisse locum caelestis exercitus dicam? quamquam illos non arbitror stetisse nisi tecum. difficillimam enim pugnae partem tibi deligis et, tamquam pro fortunae gradu modus uirium debeatur, ita inter tuos non uis principatu magis excellere quam labore. cumulatissimum quidem principis munus est, si manu cesset, non cessasse consilio, sed tu non segnior gerere quam iubere simul exercitus tuos monitu regis, opere iuuas, incendis exemplo. quod hic etiam facis promptius quam in ceteris proeliis, quod in praesenti erat tam ampla pugnae merces quam pugnator illustris et statim Roma uictoris. cuius rei cum imaginem cepi, dicturus horresco. inuadis primus aciem, solus irrumpis. obumbrant euntem telorum irriti iactus, sonat ictibus umbo securis. quos trabalis hasta *tua* deiecit, insultans ecus proterit. fulget nobilis galea et corusca luce gemmarum diuinum uerticem monstrat. auro clipeus, auro arma

---

1 instruxit *edd.* ‖ 4 possit A ‖ 7 mirum M | utrumque A ‖ 12 qui *ego: om.* M ‖ 13 tenuisse *censor editionis Jaegerianae in bibl. philol.:* tenuisset M ‖ 16 uirium] uirtutum *edd.* ‖ 18 cumulat.] cum ualentissimum W ‖ 19 non *om.* A ‖ 20 mo[is]nito M; *an* monitor? ‖ 27 securis (securus) *ego:* securus his M securus. hos *edd.* ‖ 28 tua *addidi: om.* M | ecus *ego:* secus M ferus *edd.*

collucent. o quantam uim possides, uirtus, quae in hoc habitu plus terroris praeferas quam decoris! secuti hunc ardorem fortissimi milites et dignos se ductu eius imperioque testati sic uiritim laborauerunt, quasi summa res singulorum manu teneretur.

XXX. Non commemorabo hic tectas continuis stragibus ripas, non oppletum aceruis corporum Tiberim et inter congestas alte cadauerum moles aegro nisu ac uix eluctantibus gurgitibus exeuntem quodque illum ipsum tyrannum non mors uirilis, sed fuga turpis prodidit et digno ignauiae et saeuitiae exitu fluctus sanguinei necauerunt. perstringi haec satis est, quod et iam pridie prolixius mihi dicta sunt neque pro dignitate exequi copia est, ut ne pugna raptim gesta diutius narrata quam confecta uideatur. o si nunc mihi facultas daretur sermonis pro *pondere* rerum figurandi! adhiberem omnes flosculos et abuterer exquisito quodam lepore ac uenustate dicendi. iam strepitus Martii, iam tubarum sonores festis et resultanti fauore mutantur. dicendus in urbem ingressus est imperatoris, et in exprimendo senatus populique Romani maximo gaudio ingrata, nisi et ipsa lasciuit, oratio. nullus post urbem conditam dies Romano illuxit imperio cuius tam effusa tamque insignis gratulatio aut fuerit aut esse debuerit, nulli tam laeti triumphi quos annalium uetustas consecratos in litteris habet.

XXXI. Non agebantur quidem ante currum uincti duces, sed incedebat tandem soluta nobilitas. non coniecti in carcerem barbari, sed educti e carcere consularis. non captiui alienigenae introitum illum honestauerunt, sed Roma iam libera. nil ex

5 tener.] niteretur *Cusp.* ‖ 9 nixu **B C V W** | eluctatibus **A** ‖ 11 digno **w**: dignum **M** ‖ 12 tiecauerunt **A** ‖ 13 et iam *ego:* etiam **M** (et **B**) | pridem *Acidalius* ‖ 14 ut ne *ego:* et ne **A** ‖ 17 pondere *ego: om.* **M**, dignitate *add. edd.* | figurandi] |||||randi **w** perorandi ς ‖ 18 aduterer *Eyssenhardtus* ‖ 19 sonores] soni **w** ‖ 20 festis **w**: festus **M** festiuis uocibus *Cusp.* ‖ 29 incedebant **A** ‖ 30 deducti **M**, *corr. Liuineius* ‖ 31 consulares **B C V W** | captiue **W**

hostico accepit, sed se ipsam recuperauit, nec praeda auctior facta est, sed esse praeda desiuit; et (quo nil adici ad gloriae magnitudinem *potentius* potest,) imperium recepit, quae seruitium sustinebat. duci sane omnibus uidebantur subacta uitiorum agmina quae urbem grauiter obsederant: scelus domitum *et* uicta perfidia, diffidens sibi audacia et importunitas catenata, furor uinctus et cruenta crudelitas inani terrore frendebant; superbia atque arrogantia debellatae, luxuries coercita et libido constricta nexu ferreo tenebantur. sequebatur hunc comitatum suum tyranni ipsius taeterrimum caput; ac, si qua referentibus fides est, suberat adhuc saeuitia et horrendae frontis minas mors ipsa non uicerat. iaciebantur uulgo contumeliosissimae uoces. nam et ludibriis oppressoris sui auspicari libertatem iuuabat et mira cum uoluptate conceptus e uita terror insultatione interitus obterebatur.

XXXII. Quis triumphus illustrior? quae species pulcrior? quae pompa felicior? dicam itaque, imperator, quo uno satis mihi uideor diuinam gloriam tuam significaturus. quot in illo turpitudinum notas extinxeras, tot in te laudum infulae refulserunt. fraudari indulgentissimus princeps ea gratia neminem uoluit quo minus omnia, quaqua odium eius peruaserat, spectaculum tyrannici funeris expiaret. ubique quidem iam laetitiam gestae rei diffuderat Fama uelox et ad celeritatem nuntii pinnata Uicto-

---

2 desinit **A C W** ‖ 3 potentius *ego: om.* **M**, maius *edd.* ‖ 4 recipit **B C V** recipitq; seru. **A** ‖ 5 subiecta **C** ‖ 6 domiciū **A** | et *addidi: om.* **M** ‖ 7 importunitatis **A** ‖ 8 inmani *Eyssenhardtus* ‖ 9 frendebat **A** ‖ 10 nexui **A C V** ‖ 14 iaciebantur **W** (**w**?) *Bert.:* faciebantur **A B C V** ‖ 15 ludibriis *edd.:* laudibris **A B V** laudibus **C W** ‖ 16 iuuabat *edd.:* iuuat **M** ‖ 17 uoluptate *edd.:* uoluntate **M** | terroris insult. **M** ‖ 18 interritus **W** ‖ 22 turpitudinis **W** ‖ 23 insule **A** | refulxerunt **B C V W** ‖ 24 ea *edd.:* e **M** ‖ 25 quaqua odium *scripsi:* quam odium quam **M**, *alterum* quam *del.* **w** ‖ 26 persuaserat **M** ‖ 27 iam quidem **M**, *transposui.* iam pridem *Eyssenhardtus* ‖ 28 pennata **B C V W**

ria, insequebatur tamen uberiore cum gaudio ipsius rei fructus, quod ad animum languidius accedunt quae aurium uia manant quam quae oculis hauriuntur. itaque tanti per Italiam concursus hominum excitabantur, tantae ex oppidis effusiones ut facile ante acti terroris testificatio in praesenti exultatione eluceret. pari studio missum eiusdem tyranni ad permulcendam Africam caput, ut quam maxime uiuus afflixerat laceratus expleret. et nondum satis tempestiuo mari affuerunt tamen nauigantibus felices aurae et fluctus secundi beatissimamque uictoriam ipsa etiam elementa iuuerunt. caput, in quo titulus tantae laudis circumferebatur, reddidit Tiberis, prosecuti sunt uenti, maria seruarunt. quonam modo te, potens Africa, quanto laetitiae fremitu, quam insolenti uoluptate iactasti! nil quippe est immoderatius quam post longam tristitiam recens gaudium: impetu suo feruet nec, ut primum liberum, continuo defaecatum [statim purum] est. nam ut fistulae, cum diu intersaeptae sunt, exitu dato quo largiores eo crassiores aquas euomunt, sic uota hominum metu interclausa turbidi aliquid egerunt, cum cumulata ruperunt.

XXXIIII. Haec uictoriarum gratulationes. nec minus uberes fructus reliquarum uirtutum fuerunt. implicatam quidem atque obsitam urbem grauissimis malis euoluerunt indefessa uis atque eximia fortitudo: sed quantum boni prudentia excogitauit, benignitas et clementia contulerunt! quorum quid magis iuuerit difficilis existimatio est. nam et calamitate ob-

---

1 tamen] tum **C** ‖ 6 testificationi praes. **W** | luceret **M**, *corr. Acidalius* ‖ 8 uiuus] unus **C** ‖ 10 tamen] tum **C** ‖ 16 uoluntate **M**, *corr. Acidalius* ‖ 17 recens *Arntzenius pater:* repens **M** ‖ 19 statim purum *glossema seclusi* ‖ 20 cum ut diu **C** | diu *om.* **W** | intersepte **A B C**: intercepte **W** interscepte **V** ‖ 22 interclusa **B W** | turbide **M**, *corr. Liuineius* ‖ 23 eruperunt *Langius* ‖ 24 hec **A**: he *cett.* ‖ 26 urbem obsitam **A** ‖ 30 aestimatio *edd.* | obsessi **M**

sessis finis est uoti miseria liberari et mox uacuitas miseriarum parum grata est, nisi laetitia consequatur. ita pro se quaeque officiis suis functae Fortitudo et Liberalitas imperatoris cumulatissimam urbi beatitudinem *aegritudine* exhaurienda et congerendis commodis reddiderunt. facilior quidem *et* multo procliuior laedendi quam commodandi semper est uia, uulnerare integrum quam sauciato mederi, dissipare parta quam diuulsa componere: cessit tamen haec rerum conditio principi nostro. nam quicquid mali sexennio toto dominatio feralis inflixerat, bimestris fere cura sanauit. sanauit dico? redintegratio status pristini permulcendo dolori satis est, non etiam arcessendae gratulationi; nunc amplius postules quam ut eum sui non poeniteat solii. qui non modo id egit ut recuperatis *quisque* quae amiserat non doleret, sed etiam ut nouorum adeptione gauderet. praetereo priuatim reddita omnibus patrimonia quos illa monstrosa labes extorres domo fecerat; praetereo, inquam, quia uix sufficit oratio facta publicitus explicare; quamquam, cum ex singulis sit coagmentata res publica, et quicquid in eam confertur ad omnes pro portione permanat et uicissim necesse est, quod singillatim omnes adipiscuntur, in commune rei publicae redundare.

XXXIV. Iam illa uix audeo de tanto principe

---

1 uacuitas *Langius:* facultas **M** || 4 urbi *ego:* urbis **M** (*om.* **W**) || 5 aegritudine *ego: om.* **M** | exhauriendis **W** malis *add.* **w** miseria exhaurienda *Liuineius* || 6 et *om.* **M**, *add.* **w** || 7 commodandis **A** || 9 parta *nescio quis:* reperta (repta **A**) **M**, *quod fortasse defendi potest coll. Uerg. A. VI, 610* apta *Liuineius. an* referta? || 10 rerum haec **C** || 13 doloris **M** dolores **w** | etiam] et **C** || 14 nunc *ego:* nec **M** || 15 solii qui (*uel* quia) *scripsi:* qui solita **M** *Bert.* qui solita diligentia ς qui solitario modo *Rhenanus* qui non solummodo *Liuineius idemque postea* amiseras, doleres, gauderes || 16 quisque *ego: om.* **M** || 19 monstruosa **W** || 21 coagmentata *Bert.:* coaugmentata **A** augmentata **B C W** augumentata **V** || 23 permanat et] permanet *Jaegerus*

commemorare quod nullam matronarum, cui forma emendatior fuerit, boni sui piguit, cum sub abstinentissimo imperatore species luculenta non incitatrix licentiae esset, sed pudoris hortatrix. quae sine dubio magna seu potius diuina laudatio saepe in ipsis etiam philosophis non tam re exhibita quam disputatione *est* iactata. sed remittamus hoc principi nostro qui ita temperantiam ingenerare omnibus cupit ut eam non ad uirtutum suarum decus ascribendam, sed ad naturae ipsius honestatem referendam arbitremur. quid? faciles aditus, quid? aures patientissimas, quid? benigna responsa, quid? uultum ipsum augusti decoris grauitate, hilaritate admixta, uenerandum quiddam et amabile renitentem, quis digne exequi possit? quarum rerum miraculo sic homines deuinciebantur ut non tam omnes dolerent quod illum tyrannum ita diu tulerant quam quod tali principe tam sero fruerentur.

XXXV. Longum est ex illo percensere beneficia principis quae in orbem sine modo redeuntia contexta eius benignitate fulserunt ita infinita numero, commodis magna, ut numquam obliuionem gratiae obductura sit uel multitudo omnium uel utilitas singulorum. sensisti, Roma, tandem arcem te omnium gentium et terrarum esse reginam, cum ex omnibus prouinciis optimates uiros curiae tuae pignorareris, ut senatus dignitas non nomine quam re esset illustrior, cum ex totius orbis flore constaret. populi uero Romani uis illa et magnitudo uenerabilis ad imaginem antiquitatis relata non licentia effrenis

---

2 abstinentissimos imperatores **M**, *corr.* **w** ‖ 3 locul. **A** ‖ 4 hortatrix *Acidalius:* ornatrix **M** ‖ 6 etiam in ipsis phil. **A** ‖ 7 ē *addidi: om.* **M** iactata est **w** ‖ 8 intemper. generare **C** ‖ 10 ad *om.* **W** ‖ 11 arbitretur **w** ‖ 13 admixta **A** *Bert.:* permixta **B C V W** ‖ 14 uenerabile *Bert.* | renidentem *edd.* ‖ 16 homines *ego:* omnes **M**; *alterum* omnes *seclusit Jaegerus* ‖ 17 ita] tam **W** ‖ 20 urbem **M**, *corr. Liuineius* ‖ 21 fulserunt **w**: pulserunt **M** | tumero **A** ‖ 22 obliuione **M**, *corr.* **w** ‖ 26 pignerareris **B C V W** pigneraueris *edd.*

exultat, non abiecta languide iacet, sed sic assiduis diuini principis monitis temperata est ut, cum ad nutum eius flexibilis et tenera ducatur, morigeram se non terrori eius praebeat, sed benignitati. placidam quippe rerum quietem et profundum urbi otium gentes perdomitae condiderunt. uacat remissioribus animis delectamenta pacis adhibere. celeberrima quaeque urbis nouis operibus enitescunt; nec obsoleta modo per uetustatem rediuiuo cultu insigniuntur, sed illa ipsa quae antehac magnificentissima putabantur nunc auri luce fulgentia indecoram maiorum parsimoniam prodiderunt. circo ipsi maximo sublimes porticus et rutilantes auro columnae tantum inusitati ornatus dederunt ut illo non minus cupide conueniatur loci gratia quam spectaculi uoluptate.

XXXVI. Tantorum Roma compos bonorum, quae quidem ei sunt cum toto orbe communia, haurit insuper ingentis spei fructum quam propositam sibi ex Caesaribus nobilissimis habet eorumque fratribus. quorum iam nomina ipsa ueneramur, etsi uota nostra interim proferuntur. nec Lacedaemoniis magis licuerit hoc instituto rem publicam tueri suam, cum regem nisi ex stirpe Herculis non haberent. tuos, Constantine maxime, tuos liberos ac deinceps nepotes tecum optat ut tanto a pluribus petantur quanto maiora noscuntur. declarant ecce rationem cupiditatemque uotorum facta Crispi, Caesarum maximi, in quo uelox uirtus aetatis mora non retardata pueriles annos gloriis triumphalibus occupauit, cuius ita iam uberes scatent laudes ut plenae possent uideri nisi coepisse et partem cogitaremus. qui quidem

6 gentis perdomicie (*uel* -itie) **M**, *corr.* **w** ‖ 7 celeberrima queque **A W** *Bert.:* celeberrimaque **B C** celeb. quam **V** ‖ 8 nouis **w**: nobis **M** | obselata **A V** ‖ 9 cultui **W** ‖ 10 ante ac **A V** antea **w** ‖ 12 circo **w**: idcirco **M** ‖ 17 coī. haurit **A** ‖ 25 quanto ad maiora nascuntur *edd.* *post* maiora *inseruerim* eorum facinora ‖ 31 partem *Acidalius:* patrem **M**; *an* coepisse propter aetatem cog.? nisi sic coep. et patrem *Withofius*

nunc nobilissimus Caesar uenerandi patris, fratrum suorumque omnium fruitur aspectu seque fruendum omnibus praebet. cruda adhuc hieme iter gelu intractabile, immensum spatio, niuibus infestum incredibili iuuenalitate confecit, ut intellegamus alacritati eius nihil asperum qui ipse eam quam a suis petebat tam laboriosam instituerit uolucritatem.

XXXVII. Quae tuum, Constantine maxime, mite pectus inundauit gratulatio, cui tanto interuallo uidere filium licuit et uidere uictorem? narrauit ubique exhausta bella, et hoc ad tuam gratiam, non ad sui ostentationem: quam agilis excipiendo hoste, quam resistenti uehemens, quam facilis supplantanti. audiuit haec frater intentus et puerilem animum spes laeta et blanda gaudia titillarunt; cumque miraretur fratrem, etiam sibi fauit quod ex annis eius quam proximus tantae gloriae esset agnouit. nunc te, Constantine maxime, omnes rogamus, cum praesentem laudaueris, cum iam rei publicae flagitanti, cum Gallis desiderantibus reddes, iterum atque iterum moneas reuertentem (neque enim persuaderi facile potest) ut, si quando armis uestris contusa barbaria aliquid tamen mouerit, sit ille animo, sit consilio tui similis; temperet modo dexterae, manu parcat et sit aliquid quaesumus in quo te iterum nolit imitari. te uero, Constantine Caesar, incrementum maximum boni publici, quibus uotis am-

---

1 nunc *om. Bert.* | *uerba* qui quidem nunc — 3 praebet *in finem huius capitis transposuerim* ‖ 5 iuuenalitate *uel* uirilitate *tentaui:* liberalitate **M** celeritate **w** | alacritati eius (*an* illius?) *Liuineius:* alacritatibus **M** alacritati **w** ‖ 6 ipse eam *ego:* ipsam **M** ipse *Puteanus* ‖ 7 uolucritatem *scripsi:* uoluntatem **M** instituerit uoluptatem *Liuineius* ‖ 10 ubique *Eyssenhardtus:* utique **M** ‖ 11 tuam *Sigonius:* suam **M** sui *Bert.*, *unde* tui *Liuin.* ‖ 12 quam agilis (*uel* grauis) *scripsi:* qualis **M** quam ualidus *Eyssenhardtus* | hosti *Jaegerus* ‖ 13 supplātanti **A**: supplicanti **B C V W** ‖ 15 titularunt **W** ‖ 17 num **A B V** ‖ 20 Galliis *Acidalius* ‖ 24 dextre **B C V** | manu **A** *Bert.:* manui **B C V W** ‖ 25 si tali quid **M** (si tale quid **W**) | te interim *Acidalius*

plectitur Romana felicitas? quae de te tantum expectat quantum nomine polliceris. et licet aetas adhuc te auocet ab imitatione uirtutis paternae, iam tamen ad pietatem eius natura deducit: iam maturato studio litteris habilis, iam felix dextera fructuosa subscriptione laetatur. delegat multa indulgentissimus parens et quae per te concedit referri ad gratiam tuam mauult.

XXXVIII. Quid igitur his temporibus fortunatius euenit beneficio Constantini maximi, qui tam mature nobis Caesares dedit ut utamur maximis eorum commodis et integra aetas supersit? nihil inminuitur et plurimum sumitur, ut, cum res largiter suppetat, spes tamen illibata permaneat. quinquenniis igitur feliciter inchoatis, decennia Caesarum nobilissimorum ultra posteros nostros extendenda quam impense orare et rogare nos conueniat, ipsis bonis temporum et rei publicae utilitatibus admonemur. iacet in latere Galliarum ut in sinu tuo fusa barbaria; Persae ipsi, potens natio et post Romanam magnitudinem in terris secunda, amicitiam tuam, Constantine maxime, non minus trepide quam amabiliter petiuerunt. nulla in terris tam ferox natio est quae te non metuat aut diligat. omnia foris placida, domi prospera; annonae ubertas, fructuum copia. exornatae mirandum in modum ac prope de integro conditae ciuitates. nouae leges regendis moribus et frangendis uitiis constitutae. ueterum calumniosae ambages recisae captandae simplicitatis laqueos perdiderunt. pudor tutus, munita coniugia. securae facultates

---

3 te auocet *ego:* euocet **M** reuocet *edd.* || 4 maturus stud. **W** || 7 te] se *Gruterus* || 10 euenit (eūit) *ego:* cum **M** *Bert.* || 11 ut *del. Liuineius* || 13 *an* p̄sumitur? || 14 quinquennis **A B C V** || 16 extendendū **A** || 17 rogare et orare **C** || 19 ut *Eyssenhardtus:* aut **M** at *Acidalius* | suo *Liuineius* || 20 ipsi **A** *Bert.:* ipsa **B C V W** | rōam **A**: romane **B C V W** || 25 annone **w**: annon **M** | ubertas **W**: ubertate **A C V**; *in* **B** nonae ubertate — in modum *desunt. an* annonae ubertates, fructuum copiae? || 27 legis **A** || 28 ambagis **A**

ambitione sui gaudent; nec aliquis habendi quam plurimum metus, sed in tanta bonorum affluentia magna uerecundia non habendi. hic denique status rerum est ut obtinendae potius felicitatis uotum geramus quam augendae cupiditatem. unum modo est quo fieri possit Roma felicior, maximum quidem, sed tamen solum, ut Constantinum conseruatorem suum, ut beatissimos Caesares uideat, ut fruendi copiam pro desiderii modo capiat, ut uos alacris excipiat et, cum rei publicae ratio digredi fecerit, receptura dimittat.

XI.

CLAUDII MAMERTINI

GRATIARUM ACTIO

DE CONSULATU SUO IULIANO IMP.

I. Etsi scio te, imperator, et cunctos qui consilium tuum participant posse mirari quod nunc demum gratias agere exorsus sum, quasi beneficia in me tua coeperint a consulatu: fatebor tamen quod ingenii cuius me poenitet conscius etiam nunc tacere uoluissem et prorumpens licet huius muneris gaudium intra arcanae laetitiae conscientiam cohercere. sed siue errorem nostrum siue consilium congesta et coaceruata in unum beneficia uicerunt atque in id redegerunt necessitatis ambiguum ut mihi aut

---

5 cupiditatis **M**, *corr. Rittershusius* || 7 solum non Constantine cons. **A** || 9 ut *Bert.*: et **M** || 16 Imperator Auguste *Bert.* || 18 sim *Cusp.* || 22 arcana **W** || 25 redigerunt **W**

indiserti aut ingrati esset fama subeunda. malui *ergo* eloquentiam potius quam pietatem erga te officio meo desiderari. et sane in his honoribus quibus me prius honestaras minor esse causa ad agendas gratias uidebatur. nam cum me aerarium publicum curare uoluisti, cum quaerens uirum animi magni aduersus pecuniam, liberi aduersus offensas, constantis aduersus inuidiam me qui tibi uiderer eiusmodi delegisti idque eo tempore quo exhaustae prouinciae partim depraedatione barbarica, partim non minus exitialibus quam pudendis praesidentium rapinis ultro opem imperatoris exposcerent, milites saepe anteactis temporibus ludo habiti praesens stipendium flagitarent: quoquo modo uidebar honorem onere pensare. at cum me praetoriis praefecisti et prouincias de te egregie meritas meae fidei tutelaeque mandasti, ingens iudicii tui fuit munus, sed in eo non mihi solum quem tanta potestate succinxeras, uerum etiam negotiis tuis commodasse aliquatenus uidebare.

II. Porro in decernendo consulatu remotis utilitatibus tuis rationem meae solum dignitatis habuisti. nam in administrationibus labos honori adiungitur, in consulatu honos sine labore suscipitur. in illis si laeteris cupidae ambitionis esse uidearis, in hoc nisi aperte et propalam laeteris ingratus sis. huc accedit quod ipsa haec urbs atque hoc augustissimum consilii publici templum officium huius orationis efflagitant. haec tibi nominis noui, sed antiquissimae nobilitatis ciuitas patria est: hic primum editus, hic quasi quoddam salutare humano generi

---

2 ergo *addidi: om.* **M** | officio meo *ego:* officium meum **M** officiumque meum *edd.* ‖ 4 honestaras **A W** *Bert.:* honestaris **B C V** ‖ 5 cum **A**: tum *cett.* ‖ 6 quaerens *Hauptius Herm. IV p. 152:* quaereres **M** ‖ 10 partim depraed. barb. *om.* **C** depdicatione **A** ‖ 15 cum; *malim* quod ‖ 19 etiam] et **B C** | commendasse **M,** *corr. Rhenanus* ‖ 23 labos **A** *Bert.:* labor **B C V W** ‖ 24 *malim* ut in illis ‖ 29 efflagitat **B V W**

sidus es ortus. hi ciues et populares tui silere me non sinunt nec patiuntur ut quisquam alius auspicatissimo die aput te ac de te loquendi munus usurpet quam is qui amplissimo sit praeditus magistratu. putant aliquid adicere ad splendorem laudum tuarum consulis nomen; et recte putant. adicitur enim laudum dignitati honore laudantis. ac licet, maxime imperator, publico iudicio et nomine agere tibi gratias debeam, tamen illa quae pro summa re domi forisque gessisti nunc ex parte maxima praetermittam, ut quanto ocius ad ea quae pro re sunt perueniat oratio.

III. An ego nunc receptas uirtute tua Gallias, barbariam omnem subactam pergam quasi noua et inaudita memorare? quae in hac Romani imperii parte gloriosissima sunt famae laude celebrata in tantum ut imperatoris fratris mererentur inuidiam. quid enim aliud a te consortis [imperatoris] alienauit animum nisi gloriae tuae splendor? testor immortalem deum, testor ad uicem numinis mihi sanctam conscientiam meam me multa constanter in hac potissimum urbe fuisse dicturum de his quae aduersus optimum imperatorem inclementer et impie cogitata atque suscepta sunt, si etiamnunc hominum coetus diuus Constantius frequentaret. numquam profecto liberi ciuis et boni senatoris officio defuissem quominus redarguerem atque conuincerem eas illi in te odii fuisse causas quae amoris inflammatrices et fidei obsides esse debuerint.

---

1 es ortus *scripsi:* exortus **M** exortus es *Liuineius* ‖ 2 auspicacissimo **B C W** ‖ 5 dicere **C** ‖ 7 honor **C** ‖ 11 quam ocius **w** | pro re *scripsi:* proprie **M** propria *edd.* ‖ 14 noua *et* Romani *om.* **C** ‖ 16 sunt **w**: sint **M** ‖ 17 imperatoris fratris **A** *Bert.: inuerso ordine* **B C V W** ‖ 18 aliud a te **A**: a te aliud **B C V W** | imperatoris *del. Liuineius* ‖ 20 testor **A** *Bert.: om.* **B C V W** ‖ 21 potissimum *Bert.* **A**: *om.* **B C V W** ‖ 26 et *om. Bert.* ‖ 27 *malim* quominus reatus redarguerem ‖ 29 debuerunt **C**

IV. Florentissimas quondam antiquissimasque urbes barbari possidebant; porro aliae quas a uastitate barbarica terrarum interualla distulerant iudicum nomine a nefariis latronibus optinebantur. Gallorum illa celebrata nobilitas aut ferro occiderat aut immitibus addicta dominis seruiebat. *afficiebantur* ingenua indignis cruciatibus corpora; nemo ab iniuria liber, nemo intactus a contumelia, nisi qui crudelitatem praedonis pretio mitigasset, ut iam barbari desiderarentur utque praeoptaretur a miseris fortuna captorum. in hoc statu imperator noster Gallias nactus minimum habuit aduersus hostem laboris atque discriminis: una acie Germania uniuersa deleta est, uno proelio debellatum. sed emendatio morum iudiciorumque correctio et difficile luctamen et periculi plenum negotium fuit. nam ut quisque improbissimus erat, ita maxime Caesaris rebus inimicus uitandis legum poenis de nouo scelere remedia quaerebat *atque*, quia defendere admissa flagitia non poterat, in ultorem iuris inuidiam congerebat. et cum sancti principis mores atque instituta falsarum uituperationum licentiam submouerent, callido nocendi artificio accusatoriam diritatem laudum titulis peragebant, in omnibus conuenticulis quasi per beniuolentiam illa iactantes: 'Iulianus Alamanniam domuit, Iulianus urbes Galliae ex fauillis et cineribus excitauit. illae prouinciae obsessae, expugnatae, ferro ignique uastatae beatiores sunt his oppidis quae habet sine hoste Constantius. aestates omnes in

---

2—6 Gallorum illa — seruiebat. porro aliae (ille **A**) quas — optinebantur **M**, *transposui* ‖ 6 afficiebantur *ego: om.* **M** lacerabantur *Liuineius;* **w** *post* ingenua *add.* suberant, *post* cruciatibus *Schenckius* usta ‖ 10 utq; *ego:* ut **M** | ut praecipitaretur **W** ‖ 12 minimum *Bert.:* minū **A** nimium **B C V W** ‖ 15 correptio **C** ‖ 19 atq; *addidi: om.* **M** et *edd.* ‖ 20 iure **w** ‖ 22 falsarum opinionum uitup. **C** *edd.* ‖ 25 alamaniam **B C V w**: almaniam **A** ‖ 26 Iulianus urbes Galliae *om.* **W** ‖ 27 expugnatae *edd.:* oppugnate **M** *Bert.*

castris, hiemes in tribunalibus degit. ita illi anni spatia diuisa sunt ut aut barbaros domitet aut ciuibus iura restituat, perpetuum professus aut contra hostem aut contra uitia certamen.'

V. Haec uoces fuerunt ad inflammanda odia probris omnibus potentiores. si enim comminisci aliqua flagitia temptassent, facile ipso splendore laudis et gloriae refutarentur. inuenerunt accusandi genus quod nullus refelleret. sed quid, oro uos, principem nostrum facere debuisse censetis? Romanas urbes hostibus dederet ne animum fratris offenderet? prouincias firmissimas utilissimasque rei publicae sub obtutibus suis uexari ac diripi sineret, ne quid Augustus quod nollet audiret? flagitiis administrantium non modo frena laxaret, sed etiam stimulator accederet, ne inter principes faceret morum dissimilitudo discordiam? nobilem Etruriae adulescentem ferunt, cum propter eximiam formae dignitatem multarum in se feminarum amores excitaret, faciem suam ad obliterandam pulcritudinem uulneribus sauciasse. sed facile fuit iuueni dignitati corporis decorem animi praeponenti et candorem decolorare et oris nitorem alte inpressis cicatricibus deuenustare. num aliquid huiusmodi aduersus amorem ciuium facere debuit Iulianus? at ne potuit quidem, nisi forte existimamus patientes uulnerum formas esse uirtutum. scilicet et candorem aequitatis potuit obumbrare et a temperantia purpuram sancti ruboris abolere, ceruicem fortitudinis indignis confodere uulneribus, eruere oculos prouidentiae! dein nisi ille adulescens seueram manum propriis uultibus intulisset, dies et hora ac non longa aetatis successio omnem illum

---

1 illis **M**, *corr.* **w** | anni **B V w**: annis **A C** ‖ 2 spatia] pācia (= patiencia) **A** ‖ 5 hec *ego*: hee **A B** he *cett.* | probis **A** ‖ 11 dedere **M** ‖ 24 aduers.‸huiusm. **C** ‖ 25 at *Liuineius:* ac **M** ‖ 28 roboris **A** | ceruicem *Lipsius:* uicem **M** ‖ 30 dein *in* **A** *ex* deim *corr.; cf. Lachm. Lucr. p. 148* ‖ 32 hora *Eyssenhardtus:* mora **M** | ac *et* aetatis successio *del. Jaegerus*

florem corporis peremisset. at in uirtutibus principis nostri quanto aetas prolixior, tanto pulcritudo praestantior.

VI. Mitto cunctam barbariam aduersus uindicem Romanae libertatis in arma commotam gentesque recens uictas aduersum iugum nuper impositum ceruice dubia contumaces et in rediuiuum furorem nefandis stimulis excitatas. quae omnia obstinatam et immobilem principis maximi tandem uicere patientiam. itaque cum in ipso molimine oppressisset Alamanniam rebellantem, qui paulo ante inaudita regionum fluuiorum montium nomina exercitu uictore peragrauerat, per ultima ferarum gentium regna, calcata regum capita superuolans, in medio Illyrici sinu improuisus apparuit. uidimus felices illius uiae comites stupentes, urbium populos dubitasse credere quae uidebant. non aliter consternatas arbitror gentes quae primae lapsum caelo excepere Palladium. uirgines pueri, *uiri* feminae, tremulae anus, titubantes senes non sine magno attoniti horrore cernebant imperatorem longam uiam sub grauium armorum onere currentem, properantis anhelitum sine sensu lassitudinis crebriorem, sudorum riuos per fortia colla manantes et inter illum pulueris qui barbam et capillum onerarat horrorem micantia sidereis ignibus lumina. uoces gaudentium oppresserat miraculi magnitudo. cessabant officia laudandi plus quam laudanda cernentibus.

VII. Sufficere quidem poterat ad expeditionem praesentium negotiorum sola properatio, sed non

---

4 barbarā **A** || 6 recens uictas *Langius:* recensuitas **A B V** *Bert.* recensitas **C** recenssitas **w** | et aduersum **M**; et *hic deleui.* sed adu. *Liuinetus* || 7 et in *scripsi:* in **M** || 10 in **A** *Bert.: om.* **B C V W** || 15 sinu **A**: sinus **B C V W** | uiae comites **A** *Bert.:* comites uiae **B C V W** || 18 primae *Cusp.:* primo **M** prolapsum ς || 19 uiri *addidi: om.* **M** || 22 sensu **A w**: sessu *cett.* || 26 miraculi *om.* **A** || 29 poterat *om.* **C**, *unde* sufficeret *edd.*

sufficit principi nostro rei publicae una ratione consulere. multa pariter aggreditur pectus nullis umquam laboribus fatigatum. ut uno eodemque tempore et componeret fidissimarum prouinciarum statum et barbariam omnem admoto propius terrore percelleret, longissimo cursu Histrum placuit nauigari. pro sancta diuinitas! quae nauigationis illius fuit pompa, cum dexteriorem incliti fluminis ripam utriusque sexus, omnium ordinum, armatorum atque inermium perpetuus ordo praetexeret, despiceretur ad laeuam in miserabiles preces genu nixa barbaria? omnes urbes quae Danuuium incolunt aditae, omnium audita decreta, leuati status instaurataeque fortunae, innumerabilibus barbaris data uenia et munus pacis indultum. qui properationem illam contemplabitur, nihil egisse praeter uiam imperatorem putabit; qui gestarum rerum multitudinem considerabit, properasse non credet.

VIII. O facundia potens Graecia! omnium tuorum principum gesta in maius extollere sola potuisti, sola factorum glorias ad uerborum copiam pependisti. tu nauem unam propter aurati uelleris furtum et uirginis raptum in caelum usque sublatam sideribus consecrasti. tu puerum, inuentorem serendi, draconum alitum curru uolantem semina in terras sparsisse iactasti. quid tu si ad scribendas celebrandasque res principis nostri animum adieceris, de Iuliani lembis liburnisque factura es? quae non modo nihil cuiquam adimunt neque urbes hospitas populant, sed ultro omnibus populis immunitates priuilegia pecunias largiuntur. qua dignitate describes classem per maximi fluminis tractum remis uentisque uolitantem, tum principem nostrum alta puppe

1 publicae rei **A** ‖ 5 proprius **A B V** ‖ 13 instaurata eque (aeque **C**) **M** ‖ 21 ad fact. glor. uerb. cop. tetend. *Puteanus* | pependisti *ego:* tetendisti **M** intendisti *Arntzenius* ‖ 22 tū isti auē unā **A** ‖ 29 populantur **w**

sublimem non per cuiusquemodi agros frumenta spargentem, sed Romanis oppidis bonas spes libertatem diuitias diuidentem, tum ex parte altera in barbaricum solum terrorem bellicum trepidationes fugas [formidines] obserentem?

IX. Iam quale illud fuit quod Histrum adhuc nauigans beneficia tua usque ad Hadriam, Tyrrhenum, Mareoticum porrigebas? *illo* ipso enim tempore leuati equorum pretiis enormibus Dalmatae, Epirotae ad incitas intolerandi tributi mole depressi prouidentia, imperator, tua non modo miserias exuerunt, sed amplam etiam atque opulentam reduxere fortunam. urbs Nicopolis, quam diuus Augustus in monumentum Actiacae uictoriae trophaei instar extruxerat, in ruinas lacrimabiles prope tota conciderat: lacerae nobilium domus, sine tectis fora, iamdudum aquarum ductibus pessumdatis plena cuncta squaloris et pulueris. certamen ludicrum lustris omnibus solitum frequentari intermiserat temporis maesti deforme iustitium. ipsae illae bonarum artium magistrae et inuentrices Athenae omnem cultum publice priuatimque perdiderant. in miserandam ruinam conciderat Eleusina. sed uniuersas urbes ope imperatoris refotas enumerare perlongum est: scire satis est cunctas Macedoniae, Illyrici, Peloponessi ciuitates unis aut binis epistulis maximi imperatoris repentinam induisse nouatis moenibus iuuentatem, aquas locis omnibus scatere, quae paulo ante arida et siti anhelantia uisebantur, ea nunc

---

1 sublimen **W** | cuiuscemodi **A B V** *Bert.* eíusmodi **C w**; *corr. Eyssenhardtus* ‖ 4 solum **w**: solem **M** ‖ 5 formidines *seclusi* ‖ 7 thyrrenium **B** ‖ 8 mareoticum **u**: mereoticum **M** *Bert.* (meroticum **m**) meceoticum **w** | illo ipso *ego:* ipso **M** eo ipso *uel* ipso e. illo *Jaegerus* ‖ 12 reduxere *scripsi:* reuexere **M** reperere **w** ‖ 20 iustiticium **A** ‖ 23 ceciderat **W** ‖ 24 opere **M** ‖ 25 peloponessi **W**: pelopōnessi **A** peloponnesi **B C V** ‖ 26 unis aut binis (*seq. ras. 6 litt.*) **W**: uni sambinis **A B V** uni unis aut binis sambinis **C** ‖ 28 iuuentutem **B C V W**

perlui inundari madere, fora deambulacra gymnasia laetis et gaudentibus populis frequentari, dies festos et celebrari ueteres et nouos in honorem principis consecrari.

X. Si quis mortalium in aliquam caelestem speculam nube sublatus paulo ante uidisset maesta omnia, semiruta oppida, desolata moenia ab indigenis [solitudinem], exulum turbam, is si nunc mihi in idem illud editum reponatur ac despiciat cuncta laetantia, agros consitos, urbes frequentes, aquas oppidis influentes, magnifico cultu non priuatas aedes, sed publica tecta surgentia, dites pro terrarum ingeniis messibus segetes, uincentes agricolarum uota uindemias, arduos colles profundasque ualles et lata camporum balatu hinnitu mugitibus persona: profecto mirabitur tam breui cuncta mutata, desiliet e nubibus et uiciniam caeli cupide derelinquet ut tuis, imperator, terris fruatur. illud uero cuius miraculi est neminem ullum in tanto rerum paratu sensisse dispendium, in omnia pecuniam ab imperatore depromi et quoddam uersa uice prouinciis pendi tributum, illinc ad uniuersos fluere diuitias quo prius undique confluebant? ut in maxima quaestione sit a quo accipias, imperator, qui sic omnibus largiaris. sed qui uitae tuae instituta rationemque cognouerit, facile fontem copiae huius inueniet. maximum tibi praebet parsimonia tua, Auguste, uectigal. quidquid enim alii in cupiditates proprias prodigebant, id omne nunc in usus publicos reseruatur.

XI. Hucusque solus is fructus imperii putabatur ut imperator a ceteris ciuibus non fortibus factis nec splendore gloriae, sed magnitudine sumptuum

1 mundari **M**, *corr.* ς ‖ 2 et] ē **A** ‖ 6 speculam **A C**: speluncam **B V W** ‖ 7 semirupta **W** ‖ 8 solitudinem *seclusi* | turbam *om.* **C** | mihi in *ego:* michi **A** in **B C V W** ‖ 9 idem illud **A**: illud idem *cett.* ‖ 13 mensibus **C** ‖ 15 personare **w** ‖ 19 tanto] tacito **A** ‖ 22 uniuersas **A** ‖ 23 confluebat **A** ‖ 28 proprias cupiditates **C** ‖ 30 putabantur **A** ‖ 32 gloriae **A** *Bert.*: *om.* **B C V W**

separaretur. inde nihil necessariae substructionum in aedibus moles, ingentes aulicorum cateruae legionum sumptum facile uincebant. quin etiam prandiorum atque cenarum laboratas magnitudines res publica sentiebat, cum quaesitissimae dapes non gustu, sed difficultatibus aestimarentur, miracula auium, longinqui maris pisces, alieni temporis poma, aestiuae niues, hibernae rosae. haec cuncta animus uoluptatum omnium uictor abiecit. neque enim ei parandae sunt picturatae marmorum crustae et solido auro tecta laquearia qui maiorem anni partem in nuda humo cubet et caelo tantum tegatur; neque turbae institorum ac deliciae ministrorum cui tam pauca sint ministranda; neque impensus epularum ei qui saepius statarium prandium ad necessitatem humani corporis capiat gaudens castrensi cibo, ministerio obuio et poculo fortuito.

XII. Sed inter haec mirari satis nequeo quod tam seuere parcus in semet in ciues suos tam liberalis est ac remissus, laborum asperrima sibi sumens ut nos quietis rebus agitemus, cum illud usu uenire animaduertamus ut qui remotam a uoluptatibus uitam sequantur difficiles et morosi sint, sibi parum laeti, sed aliis tristiores, maestas atque sollicitas etiam priuatas domos faciant. at sanctissimus imperator impense studet ut nos pro dignitate habitemus, ut commodis affluamus, ut castam quidem, sed hilarem ducamus aetatem, cum alios principes labor truces, remissos desidia reddiderit semperque

---

1 separetur **W** | subtructionum **A W** subtractionum **V** || 2 auxiliorum cat. **C** || 4 elaboratas **w** || 9 ei parandae **w**: eparandae **M** ëparandae *Bert.* comparandae *edd.* || 10 picturatae *edd.*: picture **M** || 13 institorum *scripsi:* institutorum **M** | ac deliciae *scripsi:* ad delicias **M** | ei cui *Liuineius* || 14 sunt **A** | impensus *scripsi:* tempus **M** sumptus *Hauptius* || 16 ministerio *Hauptius Herm. IV p. 152:* ministro **M** || 22 animaduertemus **C** || 25 etiam **A C V** *Bert.:* et **B W** || 26 ut] at **A**

seriis imperatoribus gratia, communibus defuerit industria. neque quisquam sibi molestus ita se facilem ceteris praebuit ut non ad suum exemplum alios coherceret. noster imperator nihil sibi ueniae, nihil ceteris molestiae ac laboris impartiens suo negotio omnibus otium praestat, diuitiarum largitor, curarum auarus, laboriosissima negotiorum praeoptans ipse agere quam aliis imperare.

XIIII. Multi post exactos reges imperium uniuersae reipublicae solitarium cupiuerunt. nota sunt recordantibus nomina eorum uidelicet qui in patriam furentes affectati regni supplicia pependerunt. mitto ueteres qui saxo praeceps dati, quorum bona publicata, domus erutae, interdicta posteris nomina: non paucos huiusmodi furore uecordes etiam nostra aetas tulit, qui propter caecam imperandi cupidinem in ferrum ruerunt. si hos deus paulisper uitae redditos alloquatur: 'heus, uerbi gratia, Nepotiane atque Siluane, per infestos gladios praesentesque mortes imperium petiuistis. at nunc ultro uobis potestas regnandi datur ut ea qua Iulianus conditione regnetis, ut pro omnium otio die noctuque uigiletis et, cum domini uocemini, libertati ciuium seruiatis, saepius proelium quam prandium capessatis, nihil cuiquam auferatis et ultro omnibus largiamini, nulli gratificemini, in neminem saeuiatis, toto in orbe terrarum nullius uirginis fama uioletur, sit lectulus etiam sine concessis et legitimis uoluptatibus Uestalium toris purior, aestate Alamannicum puluerem, hieme pruinam Thraciae intectis uerticibus perferatis': profecto uerborum ipsorum molestiam delicatae aures non poterunt sustinere *et* tantis negotiis ter-

---

1 communibus] comibus **A** *Bert.* ‖ 10 cupierunt **B C V W** ‖ 11 in patriam *scripsi:* in propria **M** *Bert.* improbe *Marklandus ep. crit. p. 17* ‖ 13 praecipites *edd.* ‖ 14 erupte **W** ‖ 15 et iam **A** ‖ 20 nobis **C V** ‖ 28 et *Puteanus:* sed **M** ‖ 29 alamanicum **B C V w**: almānicum **A** ‖ 30 pruina **A** ‖ 32 et *Liuineius: om.* **M**

riti non modo imperium, sed etiam uitam perosi ad inferiores aliquos inferos redire properabunt. uidebunt enim iustum principatum laboribus curis uigiliis inquietum, cuius illi faciem amoenam et amabilem contemplantes laborum aspera non uidebant.

XIV. Cum igitur inter egregia negotia itinere confecto usque ad Thraciae fines peruentum foret, cursim disposito exercitus commeatu ad Romanam urbem annonae uacuam mentem reflexit. quemlibet alium a subueniendi conatibus grauissima fames et tristissimum rei publicae periculum deterruisset. sed stipendiis prouinciarum et patrimonii sui fructibus, tum undique frumentis coemptis usque ad opulentiam [abundantiam] esurientem iam urbem refersit. dicet aliquis: 'quomodo tam multa tam breui tempore?' et recte. sed imperator noster addit ad tempus quod otio suo detrahit. nihil somno, nihil epulis, nihil otio tribuit; ipsa se naturalium necessariarumque rerum usurpatione defrudat; totus commodis publicis uacat. itaque grandaeuum iam imperium uidebitur his qui non ratione dierum aut mensium, sed operum multitudine et effectarum rerum modo Iuliani tempora metientur. cum Romani populi uictus et exercitus commeatus esset in nauibus, in media expediendae annonae trepidatione nuntius uenit plurimas naues Africano tritico graues litus Achaicum praeteruectas Constantinopolim peruolasse. permoti omnes et aduersus eos qui oram maritimam tuebantur irati uenimus ad principem; desidia iudicum tantum perisse frumenti certatim pro se quisque conquerimur. at maximus imperator serenum renidens: nihil esse peccatum, non sibi perisse quae ad

2 inferis *Gronouius* | properabant **C** || 3 curis uigiliis *om. Bert.* || 10 et **A** *Bert.*: *om.* **B C V W** || 13 coemptis frumentis *Bert.* || 14 habundantiam **A**, *quod seclusi.* habundantiamque **B C V W** || 18 ipsum **C** | necessariumque **A** || 19 defrudat **A** *Bert.*: defraudat **B C V W** | publicis commodis *Bert.* || 24 nauibus *edd.*: manibus **M** *Bert.*

hanc urbem frumenta uenissent. nos uocem illam noti amoris in patriam putabamus, cum proditionem futuri uerborum ambago celaret: iam tum enim uenturae felicitatis euentum conscius diuini animus praeuidebat.

XV. Cis pauculos dies in nouum ac florentem statum re publica restituta, sacra mens ad honorum fastigia et magistratuum ornamenta respexit. uersari coepit in sacri pectoris comitio consulatus. quid secutus sit ipse scit et quae cuncta consilia eius gaudet formare diuinitas. de omnibus Romani imperii uiris primus electus sum, cum honorem meum adoreis militaribus gloriosus collega cumularet. gratias tibi, gratias, imperator, si mereri me credidisti, et plures gratias, imperator, si tantum amasti ut me consulem faceres etiam non merentem. nec ignoro maximos honores ad parum dignos penuria meliorum solere deferri, sed non uereor ne quis maliuolorum in consulatu meo id autumet accidisse. si quis hoc liuidus iactitat, ipso tempore refutatur; aduersus quem dixisse satis est: iam tum principi nostro Roma parebat. quid? quod nihil speranti mihi de honoris augmento (neque enim ultra praefecturam se uotorum meorum modestia porrigebat) perfertur nuntius consulem me creatum sine impendio, quod iam diu paucis; sine labore, quod numquam; sine petitione, quod nemini *euenit*.

XVI. Quis ignorat tum quoque, cum honores populi Romani suffragiis mandabantur, multos fuisse candidatorum labores? ediscenda omnium nomina, tributim homines atque etiam singuli salutandi, pren-

---

4 euentum **A** *Bert.*: *om.* **B C V W** ‖ 8 fastigia **A**: *om.* **B C V W** ‖ 10 quae cuncta *scripsi:* quaecumque **M** ‖ 15 gratiam **C** ‖ 18 consulatu meo **B C V w** *Bert.*: consulatū eo **A** ‖ 19 liuidius **B C V W** ‖ 21 tum] tamen *edd.* *nescio an melius* ‖ 22 spectanti **B** separatim **C** ‖ 24 prefertur **B C V W** ‖ 27 euenit *addidi:* *om.* **M** ‖ 31 tributum **A B C** | omnes **w**

sandae obuiorum manus, omnibus arridendum, non solum cum infimis, sed etiam cum ignotis familiaritatis imago simulanda multaque alia propter honorem agenda quae alias uirum honore dignum facere non deceret. unde illud Crassi celebre dictum. cum peteret consulatum et forte cum Scaeuola socero per uias urbis incederet nec praesente grauissimo et seuerissimo uiro blandiri populo, palpare obuios et artes petitorias auderet exercere, 'quaeso', inquit, 'Muci, paulisper abscedas meque comitatu tuo molestari putes; impedis honorem meum: te spectante ineptus esse non possum'. at uero ego nullius fauorem turpi assentatione promerui, nihil feci ineptum, nihil egi quod spectare Mucium nollem. non modo nullum popularium deprecatus sum, sed ne te quidem ipsum, imperator, quem orare praeclarum, cui preces adhibere plenissimum dignitatis est, uerbo saltim adii. sponte in familiam meam diuinum istud a te munus infusum est.

XVII. Fatebor autem tibi, maxime imperator, et tuto aput te omnia animi operta reserabo. numquam in capita ciuium potestatem, numquam prouincias concupiui, sed, quia iuuanda etiam a me uidebatur pro uirili portione res publica, cum administratum uocarer, propter opinionem desidiae non refugi. negotium publicum neque ambitor appetii neque per timiditatem aut ignauiam recusaui, sed a teneris annis [ab aetate puerili] ad hanc usque canitiem consulatus amore flagraui. secundum etiam confessionis tibi gradum debeo. cum in aliorum principum esset potestate res publica, diu ina-

5 *malim* qui cum ‖ 9 exerere **A** | muti **m u w**: mugii **M** ‖ 10 meque *ego:* nec **M** | *post* tuo **w** me *add.* | molestari *scripsi:* honestari **M** ‖ 12 fauorem **A** *Bert.:* amorem **B C V W** ‖ 14 Mutium **C V W** mutuum **B** ‖ 15 ipsum *om.* **B** ‖ 17 uerbum **A** ‖ 18 meam *Bert.: om.* **M** | minus **A** ‖ 21 opera **C** ‖ 22 in **w**: quin **M** ‖ 24 ad magistratum *edd.* ‖ 28 ab aetate puerili *secluser. P. Faber et Liuineius* ‖ 30 tibi confessionis **B C V W**

nem cupiditatem sine spei solatiis foui. unde enim mihi aspirandi ad hoc nomen esset amentia opum uacuo et ignaro ambiundi? nam primum cum Caesar esses, marcentem iam cupiditatis meae flammam spei bonae flatibus excitasti. cum uero te, Auguste, mirificum innocentiae ac uirtutum spectatorem uiderem, tunc mecum: 'Claudi Mamertine, non frustra hucusque uixisti. habes idoneum fidei atque industriae iudicem. memento in magno res tuas esse discrimine. scietur non meruisse te consulatum, si tibi non detulerit hic imperator.'

XVIII. Habes, Auguste, proditionem silentii mei et rem a me non breuis aeui taciturnitate celatam. nondum tamen cuncta prodidimus. nullum hinc iam mecum uolo referre secretum; omnia pectoris arcana uacuabo. suspendisses beniuolentiam tuam et tuae isti in me liberalitati contra mores tuos artificii aliquid addidisses; forsitan rogassem. parui autem, imperator, putas esse beneficii quod rogandi mihi periculum remisisti? periculum, inquam, sanctissime imperator. si praestare dubitasses, si in posterum distulisses, quid me fieret post repulsam? in leuissimis quoque beneficiis petitis nec impetratis amicitia dissoluitur. namque is quo amicitia continetur amor aput utrumque polluitur. alter amari se quia non praestitit non putat, alter odio se esse quia non obtinuit arbitratur. nec sane mihi gratuito consul factus uiderer, si honorem precibus emissem. miserum enim et laboriosum subissem meliore aeui parte transacta tirocinium rogandi. neque enim existimo molestius esse pecuniam quam preces fundere. deni-

3 nam] iam **B** cum prim. tu *Liuineius* ‖ 7 Claudi *Cusp.:* dandi **M** dixi **w** | non frustra hucusque **A** *Bert.:* hucusque non frustra **B C V W** ‖ 8 atque *ego:* ac **M** ‖ 16 *malim* si suspendisses ‖ 18 addisses **A** ‖ 22 quid a me **w** ‖ 24 quo] qui **A** ‖ 25 amor **A** *Bert.:* gradus **B C V W** | polluitur **A w**: pelluitur **B C** pellitur **V** ‖ 28 uidetur **A** ‖ 31 modestius **W**

que omnes in emendo uidemus repensandi fiducia magno erectoque animo aurum argentumque depromere, eos uero qui preces alligant humiles atque demissos uix cunctabunda atque titubantia uerba proferre neque solum orationem inclinare, sed totis corporibus in genua summitti. prorsus, ut ex animi mei sententia loquar, maximo uendit beneficium qui preces accipit.

XIX. An uero, si centuriatis comitiis consul creatus essem, gloriosius mihi uniuersi populi suffragiis declaratus uiderer? minime, siquidem etiam illis priscis temporibus multorum ambitu fuit campus infamis. nota diuisorum flagitia, notae loculorum praestigiae, tum operarum ad uim et seditionem manus emptae. nec sane potest in confusa imperitorum multitudine quicquam esse perpensum. nam cum boni rari sint, improborum uulgus immensum, in campo autem numerus et turba praepolleat: sine dubio intellegitur eum suffragiis populi magistratum capere quem plures, id est, quem peiores probarunt. unde factum est ut maiores nostri uiderent Gabinios designatos et repulsos Catones. sed haec uetusta; taedet recordari quemadmodum paulo ante honor petitus sit. uix pauci extiterunt quorum uirtutibus deferretur, cum quidem ipsis illis tarda industriae ac probitatis merces ueniret. ceteri uero perditissimum quemque ex aulicis frequentabant. uti quispiam per artes turpissimas imperatori acceptissimus uidebatur, eum assiduis obsequiis emerebantur donisque captabant. nec uiros quidam, sed mulierculas exambibant; nec feminas tantum, sed spadones quo-

2 erectoque B V *Bert.*: erecto A W certato C ‖ 7 mei A *Bert.*: *om.* B C V W | uendit] dat w ‖ 13 diuersorum M | loculorum *Liuineius*: luculorum M ‖ 14 prestigie B *m. 2* W: prestagie A B *m. 1* C V ‖ 15 imperatorum A ‖ 21 Gabinios] Uatinios *Liuineius* ‖ 23 taedet (*uel* pudet) *scripsi*: det A dent B C V w | *malim* ante te ‖ 25 quidem] quid A ‖ 27 quisque C ‖ 29 demerebantur *Rittershusius* ‖ 30 quidem M, *correxi*

que, quos quasi a consortio humani generis extorres ab utroque sexu aut naturae origo aut clades corporis separauit. ita praeclara illa ueterum nomina sordidissimum quemque ex cohorte imperatoria et probrosissimum adulabant. hi, cum in prouincias immissi erant, qua sacra qua profana rapiebant, iter sibi ad consulatum pecunia munientes.

XX. Itaque nullum iam erat bonarum artium studium. militiae labor a nobilissimo quoque pro sordido et illiberali reiciebatur. iuris ciuilis scientia, quae Manlios Scaeuolas Seruios in amplissimum gradum dignitatis euexit, libertorum artificium dicebatur. oratoriam dicendi facultatem *ut* multi laboris et minimi usus negotium nostri proceres respuebant, dum homines noluisse uideri uolunt quod assequi nequiuerunt. et uere tantum laboris uigiliarumque suscipere ad id adipiscendum cuius usus agendae uitae ornamenta non adiuuaret dementia ducebatur. itaque omne studium pecuniae coaceruandae. tanto enim quisque uir melior quanto pecuniosior habebatur. iam seruiendi miseranda patientia, adsentandi mira calliditas. ministrorum aulae cotidie limina terebantur. ad fores eorum qui regiis cupiditatibus seruiebant crebros patriciae gentis uiros cerneres ab huiusmodi dedecore non imbri, non gelu, non amaritudine ipsius iniuriae deterreri. demissi iacentesque uix capita supra eorum quos precabantur genua attollebant. ad postremum honores non iudicio aut beniuolentia superborum, sed misericordia merebantur.

---

2 clades **w**: cladis **M** ‖ 5 probissimum **C** ‖ 6 qua — qua] omnia — omnia **w** ‖ 11 manilios **A** mallios **C** ‖ 12 euexerit **C** euexerat *edd.* | libertinorum ς *edd.* ‖ 13 ut *ego: om.* **M** ‖ 15 uoluisse **M** ‖ 19 *post* itaque **w** *add.* erat ‖ 21 seruiendum **C** ‖ 24 crebros *scripsi:* ternos **M** seruos *uel* cernuos *Lipsius* pernox *Liuineius* externos *Schenckius* intectos *Arntzenius*. *an* perdios? ‖ 25 *an* ab cuiusquemodi ded.? ‖ 28 genu **M** genua tollebant *edd.*

XXI. At nunc, quisquis prouincias tribunatus praefecturas consulatus cupit, nihil necesse est pecuniam per fas et nefas quaerat ac libertatem suam salutator uilis inminuat. quanto fuerit paratior seruituti, tanto honore indignior iudicabitur. tum aliud quoddam hominum genus est in amicitia principis nostri, rude (ut urbanis istis uidetur), parum come, subrusticum; blandimentis adulantum repugnat, pecuniae uero alienae tamquam rei noxiae tactum reformidat, maximas opes in rei publicae salute et gloriosa imperatoris sui laude constituit. iam ipse ingenti diuinaque prudentia aduersus omnes assentatorum illecebras captionesque munitus est. quippe ei a fucatis adulatuum uenenis quod periculum est qui aures etiam ueris laudibus grauatus impartiat? sed multo multoque nunc facilior est ratio honorum petendorum. quisquis, inquam, capere magistratum uoles, auri atque argenti neglegens esto, nullas ostiatim potentum aedes obito, nullius pedes, nullius genua complectitor. adhibeto tantum tibi gratuitas et paratu facillimas comites, iustitiam fortitudinem temperantiam atque prudentiam: ultro ad te maximus imperator accedet et ut capessas rem publicam flagitabit. otioso tibi atque alia curanti prouinciae praefecturae fasces sella curulis atque omnia insignia magistratuum deferentur. quid enim sibi uerae uir perfectaeque uirtutis non constanter de honore promittat, cum me propter tantillum innocentiae meritum uno in anno ter uideat honoratum?

XXII. Ecquis deus uno in anno multiplices fructus agro uni dedit? num quisquam in eadem

---

5 iudic.] uocabitur **C** | tum; *an* nunc? ‖ 7 urbanis **C V w**: urbanus **A B** | parum *om.* **C** ‖ 9 uero *om. Bert.* ‖ 12 prouidentia *edd.* ‖ 14 adulatuum *scripsi:* adulantium **M** ‖ 16 nunc *om. Bert.* ‖ 18 hostiatim **M** ‖ 20 tibi *om. Bert.* ‖ 25 scella **W** | insignia omnia **B C V W**; *malim* omnium ‖ 26 perferentur **C** ‖ 30 ecquis *edd.:* nec qnis **M** nunc (num *Rittershusius*) quis *Liuineius*

nouali aestate una amplius quam semel messuit? num cui uno autumno unoque uineto uindemia triplex fluxit? una certe unius hiemis est oliuitas. sed in nostri principis beneficiis miraculo caret multiplicata fecunditas. ut de aliis optimis uiris taceam qui a priore in proximum autumnum fructus honorum multiplices messuerunt: mihi certe tertia unius anni ubertas est consulatus. primum thesaurorum omnium mandata custodia et dispensatio largiendi. secundum locum tenet in honorum meorum fructibus praefectura. additus his, quo uel solo cuiuslibet auiditas uinceretur, prouentuum meorum tertius, consulatus. dein cum ager assiduitate fructuum in maciem decoquatur, imperatoris nostri posterior liberalitas uincit priorem nec fit effeta gignendo, sed per uices fructuum fecundatur. noua prorsus fuit honorum deferendorum et insperata congestio. nondum statum suum siderum curricula mutauerant: iam princeps cursum dignitatis alterius commouebat; etiamtum sol ab eorundem astrorum regione radiabat: iam Augustus tertia magistratus mei signa transcenderat. quaeso, non uobis inanis gloriae cupidissimus, non flagrans ambitione notabili uideretur, si quis in se tanta pariter optasset quanta in me uno tempore Augustus ingessit?

XXIII. Habitari ab iustis uiris in oceano terras ferunt quas Fortunatorum insulas uocant, quod per eas non arato solo frumenta nascuntur, fortuitis uitibus iuga collium uestiuntur, sponte pomis arbor grauatur, ad herbarum uicem olus uulgo est. quantula ista sunt, si deum auctorem consideres, munera? nempe nobis quoque, cum agrum non nostris

6 honorum *Cusp.*: annorum **M** ‖ 7 multipliciter **C** | certa **B C V** ‖ 9 despensatio **A** ‖ 12 meorum *Acidalius:* tuorum **M** ‖ 15 effecta **A B V** ‖ 20 et iam tum **M**, *corr. Liuineius* | *post* radiabat *Bert.* et *add.* ‖ 22 non *edd.:* num **M** *Bert.* ‖ 23 non *edd.:* num **M** *Bert.* ‖ 26 habitaria ab **A** | terras in oceano **B C V W** ‖ 28 uicibus **W**

manibus excolamus, haec illaborata nascuntur. quanto felicior nostra conditio! quanto beatitudo praestantior! non spica triticea, non uiles uuarum racemi, sed opes atque diuitiae nihil laborantibus ingeruntur; prouinciae praefecturae fasces sponte proueniunt. tu, tu, inquam, maxime imperator, exulantes relegatasque uirtutes ad rem publicam quodam postliminio reduxisti, tu extincta iam litterarum studia flammasti, tu philosophiam paulo ante suspectam ac non solum spoliatam honoribus, sed accusatam ac ream non modo iudicio liberasti, sed amictam purpura, auro gemmisque redimitam in regali solio collocasti. suspicere iam in caelum licet et securis contemplari astra luminibus, qui paulo ante pronorum atque quadrupedum animantium ritu in humum uisus trepidos figebamus. quis enim spectare auderet ortum sideris, quis occasum? ne agricolae quidem, quorum opera ad motus signorum caelestium temperanda sunt, tempestatum praesagia rimabantur. ipsi nauitae, qui nocturnos cursus ad astra moderantur, stellarum mominibus abstinebant. prorsus terra marique non ratione caelesti, sed casu ac temere uiuebatur.

XXIV. Nihil igitur mirum est, imperator, quod tantus amor et tam uerus in te ciuium feruet. neque enim ullum post homines natos puto tanto generis humani ardore dilectum. ceterorum regum atque imperatorum caritates admodum rarae neutiquam diuturnae fuerunt. in summis enim hominum habitauere pectoribus subita et forte nata beniuolentia

---

3 spira **A** ‖ 4 nihil labor. ing. prouinciae *om.* **W** ‖ 7 quodam *om.* **A** ‖ 10 non solum **A** *Bert.*: nedum **B C V W** ‖ 11 ac] et **V W** ‖ 14 pronorum **B V W** *Bert.*: pronorumq; **A** pomorum **C** ‖ 15 quadrip. **A** ‖ 18 quorum quidem **C** | motus *scripsi:* motum **M** ‖ 20 nautae **B C V W** ‖ 21 nominibus **M**, *correxi* ‖ 26 puto *post* ullum **B C V W**, *post* natos **A** *Bert.* *ponunt* ‖ 28 neutiquam *scripsi*: ne unquam (umq. **A**) **M** nec unquam *edd.* ‖ 30 forte nata *Acidalius:* fortunata **M** fortuita *Rittershusius*

prouocatae, non uirtutum admiratione deuinctae. at uero noster affectus ueri certique iudicii est imis mentis sedibus illigatus [animus] et uitae immixtus et unitus, resolutis etiam morte corporibus cum immortali mente uicturus. arma igitur et iuuenes cum gladiis atque pilis non custodiae corporis sunt, sed quidam imperatoriae maiestatis sollemnis ornatus. quid enim istis opus est, cum firmissimo sis muro ciuici amoris obsaeptus? an metuenda tibi curia est, cum senatui non solum ueterem reddideris dignitatem, sed plurimum etiam noui honoris adieceris? an populus est timendus procuratori alimentorum suorum, uitae uindici, libertatis auctori? nam quid de militibus loquar? duo an tria ferme ex uetere memoria amicorum paria proferuntur. nego quempiam ab uno amico plus dilectum quam tu, imperator, non modo a comitibus *et* tribunis tuis, sed a legionibus cunctis, equitibus ac peditibus, gregariis etiam militibus diligaris.. itaque, quod ad te attinet, cuncta iam a custodia tui arma remoueres; sed quando hoc potes persuadere militibus? anxia est fidelium diligentia. maximo amori maximus timor iunctus est. non nobis sufficit quod obtinuisti ut nemo te uelit laedere, nisi nos curamus ut nemo possit.

XXV. Habuerunt nonnulli alii principes deuotam et amantem sui cohortem, sed alio quodam modo; primum quod imperiti ac rudes indoctissimum quemque in consilium delegebant, scilicet ut ipsorum prudentia uulgo suorum aliquatenus emineret. ita, cum uilissimus quisque honorum et diuitiarum potitus foret, sua commoda et uitia principum diligebant. ab

---

1 deuicte **W** ‖ 3 alligatus **C** | animus *del. Acidalius. an* animae? | etiam uite **w** ‖ 9 cura **A** ‖ 10 senatu **A** ‖ 14 aut *edd.* ‖ 16 ab ullo *Liuineius* | quam] quod **w** ‖ 17 et *Puteanus: om.* **M** ‖ 20 remoueris **A W** ‖ 24 curemus **w** ‖ 27 imperiti ac rudes *edd.*: imperitia (-cia **A**) crudes **A V** imperitia (-cia **W**) rudes **C W** imperitia, *om.* rudes, **B** ‖ 28 delegabant **A** delig. **C** *Bert.* degebant **V** ‖ 29 suorum **A** *Bert.*: suo **B C V W** ‖ 31 cōmodia **A**

his optimus quisque abigebatur procul, cum suspecta esset probitas et inuisa et quanto quisque honestior tanto importunior turpium arbiter uitaretur. at tu, Auguste, omnibus nugis remotis optimum et doctissimum quemque perquiris. si quis praestat uirtutibus bellicis et laude militiae, in amicis habetur; qui in oratoria facultate, qui in scientia iuris ciuilis excellit, ultro ad familiaritatem uocatur. quicumque in administratione rei publicae innocentem se umquam et strenuum praebuit, in consortium numerum receptatur. regendis prouinciis non familiarissimum quemque, sed innocentissimum legis. omnes a te augentur pecunia, locupletantur diuitiis, honoribus honestantur.

XXVI. Prorsus amicitias tueris priuati fide, imperatoris opulentia. quae perpetuae et constantis beniuolentiae prima fiducia est, certissima uirtutum et maxima principis, ueritas, numquam in animo esse suspicacem te audiui. nemo simulatis blanditiis, nemo falsa pollicitatione deceptus est. quis nescit aliorum imperatorum hilarem diritatem cachinnantemque saeuitiam? a quibus ingenita crudelitas figmento laetitiae tegebatur. mira est in principe nostro mentis linguaeque concordia. non modo humilis et parui animi, sed seruile uitium scit esse mendacium. et uere, cum mendaces homines aut inopia aut timor faciat, magnitudinem fortunae suae imperator qui mentitur ignorat. quis, oro uos, plura praebuit fidei constantiaeque documenta? omnes quos priuatus in familiaritatem recepit eodem habet imperator affectu. nemo gradu pulsus, nemo aditu prohibitus, nulli palatii fores clausae sunt. [omnes bonos

10 numerum r u: munerum M ‖ 12 omnes; *malim uel* insontes *uel* comites ‖ 18 maxima *scripsi:* maximi A *Bert.*, *om.* B C V W. *an* maxime in principe, sinceritas? | numque V | animo; *malim* aliquo *uel* amico ‖ 19 suspicacē te *scripsi:* suspicaret A suspicatum B C V W | simulantis C ‖ 20 qui A C ‖ 21 cachinant. A V W ‖ 31 aditu] habitu C ‖ 32 omnes bonos habet *seclusi*

habet.] in recipiendis amicis optimus iudex est. si aliqui sunt improbi, tolerandis familiarium uitiis immutabilis est amicus.

XXVII. At mutant secundae res animos. nostrum principem si nondum mutauerunt, quando mutabunt? cuius umquam diuinior felicitas fuit? paulo ante a liberatis Galliae prouinciis lassus inimicorum capitalium apertis armis et occultis insidiis petebatur: in pauculis mensibus diuino munere [illegible] Europae Asiaeque regnator est. quae maiora expectamus dei praemia? quae uberiora dona Fortunae? uidete num secundis rebus elatus aliquid de prioris uita mansuetudine et moderatione mutauerit. mutauit, plane mutauit. nam ciuilior factus prosperorum infregit inuidiam. cui non uel illud tempus sedatae praebuit mentis indicium quo horrendi belli metu re publica liberata elati sumus cuncti gestiente laetitia? sed imperator, quamquam caelesti ope salutem rei publicae propugnatam uideret, et conditionem doluit humanam et offensarum gratiam faciens induit fratrem et cuius armis uitam suam impugnatam sciebat mortem eius ornauit ac postea ipse iusta persoluit. et memoria et obliuione mirabilis, oblitus inimici meminit heredis.

XXVIII. Sed quid ego longius indicia mitis et mansuetae mentis accerso? hic ipse, hic, inquam, ipse dies praebuit ciuilis animi satis clara documenta. ego et collega meus, ne quid maximus imperator propensius humanitatis studio faceret, uerebamur. itaque matutino crepusculo palatium petimus. aduentare nos principi forte tum danti operam saluta-

---

2 tollerandis **w**: tollerandi **M** || 5 mutauerint **M**, *corr. Jaegerus* | mutabuntur **C** mutabuntur **V** || 6 a liberatis *scripsi l. l. p. 222:* in laceratis **M** in laceratas G. prouincias *Liuineius* || 7 lassus *ego ibid.:* lapsus **M** || 9 in; *an* en? || 12 prioris **w**: prioribus **M** || 13 et *del.* **w** || 16 iudicium **C V** || 19 propugnatam **ς**: propagatam **M** || 21 fratrum **C** | suam **A**: *om.* **B C V W** || 23 mirabili *Bert.* || 29 propensius *edd.:* propensum **M**

toribus nuntiatur. statim e solio tamquam praeceptus exiluit uultu trepido atque satagente, qualis meus esse potuisset, si principi serus occurrerem. aegre remotis populi qui nos praegrediebatur agminibus, ut quam longissime nobis obuiam procederet laborauit. illic gaudentibus cunctis, pro sancta diuinitas!, quo ore, qua uoce 'aue' inquit 'consul amplissime'. dignatus *nos* osculo oris illius diuinis afflatibus consecrati dexteram dedit, illam dexteram, immortale pignus uirtutis et fidei. poetae ferunt altissimum illum et cuncta potestate cohibentem deum, qui ditione perpetua diuina atque humana moderatur, cum despiciat in terras, habitu oris tempestatum incerta mutare, eius nutu mundum tremescere, illius hilaritate turbines abigi, nubes fugari, nitentia per orbem serena refundi.

XXIX. Hoc ita esse oculis paulo ante licuit experiri. in quantam laxatus est populus te consulibus tuis arridente laetitiam? uidimus attonitos admirantium uultus, multiformes laetantium status, uarios corporum motus. clamores inconditos profundebat laudandi effusa libertas. tripudiabat crebris saltibus multitudo. nimiae laetitiae decoris sunt et grauitatis immemores. illa iactatio togarum, illa exultatio corporum nescientibus paene hominibus excitabatur. omnem modestiam populi, omnem uerecundiam tui gaudia effrena superauerant. 'aue, consul amplissime.' aueo plane, imperator, et auebo. neque enim euentus esse potest optati huius ambiguus, cum is auere me iubeat qui iam fecit ut auerem. 'consul

2 mens **C** ‖ 3 serius *edd.* ‖ 4 progrediebatur **M** ‖ 6 illig **A** | gaudentibus cunctis *post* illic **A**, *post* p. s. diuinitas **B C V W** *ponunt* ‖ 7 uoce inquit aue cons. *Bert.* | aue *om.* **C** ‖ 8 nos *ego: om.* **M** | afflatibus *scripsi:* affatibus **M** ‖ 11 potestate *edd.:* post **M** ‖ 13 'halitu oris *quidam libri*' *Puteanus* ‖ 17 paulo ante oculis **C** ‖ 21 motus — 24 corporum *om.* **V** ‖ 23 decori *Liuineius* ‖ 30 auere me **w**: auerem **M** auere *edd.* | ut hauerem **A**

amplissime.' sum plane et consul et amplissimus consul. quis enim me fuit amplior consul, quem sublimat et illustrat consulatus quem tribuisti, amplitudo quam tribuis. post primae salutationis fausta colloquia, quid pro iure consulari agere nobis placeat, sciscitatur, senatorium impleturus officium, si libeat tribunal petere, si concionem aduocare, si rostra conscendere. sed nos ad curiam sollemnia diei huius senatusconsulta ducebant. itaque comitem se statim praebet et utrumque latus consulibus praetextatis tectus incedit, non multum differens a magistratibus suis et genere et colore uestitus.

XXX. Superfluum forte uideatur quae uosmet ipsi uidistis iterare (neque enim auribus expetuntur quae fuerint usurpata luminibus), sed mandanda sunt litteris, inserenda monumentis, mittenda in posteros uenturis saeculis uix credenda miracula. paene intra ipsas palatinae domus ualuas lecticas consulares iussit inferri et, cum honori eius uenerationique cedentes sedile illud dignitatis amplissimae recusaremus, suis prope nos manibus impositos mixtus agmini togatorum praeire pedes coepit, gradum moderans paene ad lictoris nutum et uiatoris imperium. credet hoc aliquis qui illa purpuratorum uidit paulo ante fastidia? qui ideo tantum honorem in suos ne inhonoros contemnerent conferebant. credet aliquis tanto post ueterem illam priscorum temporum libertatem rei publicae redditam? neque enim ego Lucii Bruti et Publii Ualerii, qui primi exactis regibus potestate annua ciuibus praefuerunt, consulatum nostro anteponendum puto. uterque bono

---

1 et **A** *Bert.*: *om.* **B C V W** ‖ 6 senatorium **B V**: senatorum **A C W** ‖ 8 huius diei **C** ‖ 10 consulibus *P. Faber*: consulatus **M** ‖ 12 et genere **A** *Bert.*: *om.* **B C V W** ‖ 14 iterari *Bert.* ‖ 15 fuerunt *Jaegerus* ‖ 21 manibus prope nos *Bert.* ‖ 22 coepit pedes **C** ‖ 25 fastidia **A** *Bert.*: fastigia **B C V W** ‖ 26 inhonoros ς: in honores **M** ‖ 29 luci *et* publi ualeri **A**

publico, uterque Romanae rei publicae salutaris, uterque insignis principiis commodorum: sed habet aliquid unusquisque praecipuum. illi consularem potestatem per populum acceperunt, nos per Iulianum recepimus. illorum anno libertas orta est, nostro restituta.

XXXI. Sed sint, sanctissime imperator, ea quae tu iuste moderate ciuiliter facis aliis forte miraculo: mihi esse non possunt qui te omnibus humanis uitiis absolutum et liberum sciam solo immortalitatis amore flagrare, derigere omnes opes et cogitationes tuas ad memoriam posteritatis aeternam atque his maxime seruire iudicibus qui de rebus gestis tuis sine odio et gratia uenturis saeculis indicabunt. non potest quicquam abiectum et humile cogitare qui scit de se semper loquendum. nunc, si tibi, imperator, parum ampla nec respondente meritis tuis oratione usus uidebor, quaeso obtestorque te *ne* meae id naturae potius quam magnitudini beneficiorum tuorum putes esse tribuendum. nemo, nemo usquam post homines natos ampliora praemia a regibus atque imperatoribus consecutus est, nulli plus oneris impositum. non abnuam praefecturas et consulatus multis esse delatos, sed his post immensos labores honos quasi debitus restitutus est: mihi, cum iam honorem adeptus sim, nunc demum ut meruerim laborandum est. uersa ratione temporum, permutata munerum uice, modo enitendum est ut praemio dignus existimer, cum iam praemium ceperim. o mihi festinae beniuolentiae tuae grauissimum pondus! uereor ut aperte exprimere difficultatum mearum ordinem ualeam. facilius est, imperator, bonis

2 principis **M** ‖ 11 dirigere **M** ‖ 14 indicabunt **W**: iudicabunt **A B C V** ‖ 18 te *om.* **A** | ne *Acidalius*: *om.* **M** ‖ 20 nemo, nemo usquam **A** *Cusp.*: nemo usquam **B C V W** nemo umquam *edd.* ‖ 24 is **A** iis *cett.* | emensos **A** ‖ 27 uersa — 28 est *om.* **A** ‖ 30 festiuae **C** ‖ 31 ut] ne **w** | apte *Liuineius*

artibus mereri consulem fieri quam industria et labore perficere ut uidearis meruisse, cum factus sis.

XXXII. Absit, Auguste, et istud sancta diuinitas omen auertat ut tu a quoquam mortalium expectes uicem beneficii! uerum tamen (quod solum uel accipere potest ista fortuna uel a nobis opibus tuis tribui) inmortalitatem munerum tuorum colam officiis sempiternis. omne negotium, omne otium meum in ornandis rebus tuis celebrandisque ponetur; neque solum a uiuente me ac uigente grati animi beniuolentia declarabitur, sed etiam, cum me anima defecerit, monumenta tui in me beneficii permanebunt. in referenda autem gratia, sanctissime imperator, hoc tibi polliceor semperque praestabo, mihi neque in suggerendis consiliis ueritatem neque in adeundis, si res poposcerit, periculis animum neque in sententia simpliciter ferenda fidem neque in hominum uoluntatibus pro re publica teque laedendis libertatem neque in laboribus perferendis industriam neque in augendis imperii tui commodis grati animi beniuolentiam defuturam, idque omni uitae meae tempore summis opibus enisurum elaboraturum effecturum ut honores in me tui non, quia necesse fuerit, ad quemcumque delati, sed, quia ita oportuerit, recte positi et ratione collocati esse uideantur.

---

10 uiuente me ac uigente *Liuineius:* uiuente (iuuente **A**) mea cui gente **A** *Bert.* iuuentute mea uigente **B C V** iuuentute mea tui **W** (*seq. ras. 5 litt.*) ‖ 11 etiam] et *Bert.* | me **A** *Bert.:* a me **B C V W** ‖ 20 grati animi beniuolentiam *corruptum est, utpote e l. 10 repetitum. reposuerim* ualentiam ‖ 22 enixurum **B C V W** ‖ 24 quia] quod *Bert.* ‖ 25 collati **W**

XII.

LATINI PACATI DREPANII

PANEGYRICUS

THEODOSIO AUGUSTO DICTUS.

I. Si quis umquam fuit, imperator Auguste, qui te praesente dicturus iure trepidauerit, eum profecto me esse et ipse sentio et his qui consilium tuum participant uideri posse uideo. nam cum te semper ultra omnes retro principes laudari oportuerit, nunc porro ultra quam alias praedicatus es in ea urbe conueniat dicendo celebrari cuius et libertatem armatus asseruisti et auxisti dignitatem togatus: quo tandem modo consequi maiestatem utriusque uestrum oratione mea potero? hoc praecipue in tempore, quo ita mutuo ambo creuistis ut nec tu fueris adhuc maior nec illa felicior. huc accedit auditor senatus, cui cum difficile sit pro amore quo in te praeditus est de te satis fieri, tum difficilius pro ingenita atque hereditaria orandi facultate non esse fastidio rudem hunc et incultum Transalpini sermonis horrorem, praesertim cum absurdae sinistraeque iactantiae possit uideri his ostentare facundiam quorum de fonte manantem in nostros usque usus deriuatio sera traduxit. quibus equidem cogitatis adeo sollicitor ut non eos tantum hodie arbitrer interesse quos cerno, sed assistere obuersarique dicturo Catones ipsos et Tullios et Hortensios omnesque illos ora-

---

6 iure *Bert.*: ire **M** || 11 libertate **A** || 12 togatus *om.* **W** || 15 ambo ita mutuo **C** || 18 tum] cum **A** tamen **C** || 22 quorum de (quam [orum] de) *Barthius:* quam de deorum **M** quam de eorum *Acidalius* || 23 usque *om.* **A**

tores putem qui me in posteris suis audiunt. ita multiplici circumuentus metu, quasi parum habeam timere quod *uideo*, uideo quod timeam.

II. Quid ergo? nouusne me pauor et inopina trepidatio in ipso dicendi tempore deprehendit? mihi uero hi omnes quibus altrinsecus iactor aestus diu ante meditati longeque prospecti sunt. sed cum admiratione uirtutum tuarum ab ultimo Galliarum recessu, qua litus oceani cadentem excipit solem et deficientibus terris sociale miscetur elementum, ad contuendum te adorandumque properassem, ut bona quae auribus ceperam etiam uisu usurparem: timui, fateor, pii laboris officium impia taciturnitate corrumpere. ita dum obsequio interpretor impudentiam, dum in eundem hominem non puto conuenire gaudium et silentium, duas res diuersissimas iunxi, metum et temeritatem. quin et illud me impulit ad dicendum quod ut dicerem nullus adigebat. non enim iam coacta laudatio et expressae metu uoces periculum silentii redimunt. fuerit abieritque tristis illa facundiae ancillantis necessitas, cum trucem dominum auras omnes plausuum publicorum uentosa popularitate captantem mendax assentatio titillabat, cum gratis agebant dolentes et tyrannum non praedicasse tyrannidis accusatio uocabatur. nunc par dicendi tacendique libertas et quam promptum laudare principem, tam tutum siluisse de principe. libet igitur redditam postliminio securitatem loquendo experiri, libet, inquam, quia neminem magis laudari imperatorem decet quam quem minus necesse est.

III. Det igitur mihi sermonis huius auspicium ille felicitatis publicae auspex dies qui te primus

---

3 *prius* quod *del.* **w** | uideo uideo *Liuineius:* uideo **M** ‖ 9 quo **W** ‖ 12 teperam **A** | uisu **A W**: usu **C V**, *om.* **B** ‖ 19 expressa **A** expressio **B** ‖ 20 *malim* fugerit ab. ‖ 24 gratis **A**: gratias **B C V W** grates *Bert.* ‖ 26 tacendi dicendique **C** ‖ 29 laudare **W** ‖ 31 det *Cusp.:* de te **M** ‖ 32 ille **A**: erit ille **B C V W**

inaugurauit imperio. nam ut diuinis rebus operantes in eam caeli plagam ora conuertimus a qua lucis exordium est, sic ego uota uerborum quae olim nuncupaueram soluturus id oratione mea tempus aspiciam quo Romana lux coepit. iacebat innumerabilibus malis aegra uel potius dixerim exanimata res publica, barbaris nationibus Romano nomini uelut quodam diluuio superfusis. sed parcam replicare causas et pacatum ulcus offendere. nam cum per se uiuax sit recordatio calamitatum, tum mihi metus hanc gaudiorum praesentium lucem tristium commemoratione fuscare. faciam ergo quod facere praestantes scientia medicos saepe uidi: altorum uulnerum cicatrices, postquam cutem sanitate duxerunt, manu pendente tractabo, per sententias isse et singulos uniuersosque perrogitasse contentus an, cum inter omnes liqueret fessis rebus medendum tali aliquo uiro publicis gubernaculis admouendo qui imperatoris unius tueretur aetatem, alterius iuuaret laborem, potuerimus huiusmodi principem uel optare. in integro itaque rem totam esse faciamus et in quodam orbis terrarum comitio quaeri putemus, quisnam sit ille qui debeat tantam molem subire et nutantia Romanae rei fata suscipere. nonne is omnium suffragiis hominum tributim centuriatimque legeretur cui felix patria, cui domus clara, cui forma diuina, cui aetas integra, cui militarium ciuiliumque rerum usus contigisset?

IV. Cuncta igitur a capite proposito ordine persequamur: iam profecto constabit eum principem

5 aspiciam *Acidalius:* asriciam **A** afficiam **B C V W** asciscam *Bert.* arripiam *Puteanus* ‖ 9 pacatum **u**: placatum **M** (patatum **r** paratum **m**) | ulcus *cod. Bongarsii:* uulgus **M** uulnus *edd.* ‖ 15 per sententias isse ς *Liuineius:* persentiasisse **C W** persenciasisse **A** persentiasse *Bert.* persenciasse **V** persartiasse **B** ‖ 16 perrogit. *ego:* recogit. **A** rogit. **B C V W** | concentus **A W** ‖ 20 principem *om.* **C** | uel] uoto *Arntzenius* ‖ 21 itaque] atque **A** ‖ 24 is *om.* **A**; *probo* ‖ 29 prosequamur **W r u**

declaratum qui et ab omnibus legi debuerit et ex omnibus. nam primum tibi mater Hispania est, terris omnibus terra felicior, cui excolendae atque adeo ditandae impensius quam ceteris gentibus supremus ille rerum fabricator indulsit. quae nec austrinis obnoxia aestibus nec arctois subiecta frigoribus media fouetur axis utriusque temperie, quae hinc Pyrenaei montibus, illinc oceani aestibus, inde Tyrrheni maris litoribus coronata naturae sollertis ingenio uelut alter orbis includitur. adde tot egregias ciuitates, adde culta incultaque omnia uel fructibus plena uel gregibus, adde auriferorum opes fluminum, adde radiantium metalla gemmarum. scio fabulas poetarum auribus mulcendis repertas aliqua nonnullis gentibus attribuisse miracula. quae, ut sint uera, sunt singula; nec iam excutio ueritatem. sint, ut scribitur, Gargara prouentu laeta triticeo, Meuania memoretur armento, Campania censeatur monte Gaurano, Lydia praedicetur amne Pactolo; dum Hispaniae uni quicquid *ubique* laudatur assurgat. haec durissimos milites, haec experientissimos duces, haec facundissimos oratores, haec clarissimos uates parit, haec iudicum mater, haec principum est. haec Traianum illum, haec deinceps Hadrianum misit imperio, huic te debet imperium. cedat his terris terra Cretensis parui Iouis gloriata cunabulis et geminis Delos reptata numinibus et alumno Hercule nobiles Thebae. fidem constare nescimus auditis: deum dedit Hispania quem uidemus.

V. Erat iustae compensationis occasio ut, qui de patriae tuae laudibus pauca dixissem, patris sal-

1 *prius* et *om.* A ‖ 7 hinc] huic A ‖ 8 pireneis mont. w | tyrreni A C W: tirenei B V ‖ 10—13 adde] at de A *quater* ‖ 11 fructicibus C ‖ 14 mulgendis A ‖ 15 ut] non C ‖ 16 sint sing. w ‖ 17 prouentula et atriticeo (atriciceo W a tritico C) M, *corr.* V *m. 2*, ς | menania C ‖ 20 ubique *Cusp.: om.* M ‖ 21 milites — facundissimos *om.* B V | experientissimos A *Bert.:* expertissimos B C V W ‖ 24 haec *om.* A ‖ 27 reptata] praelata *conieci l. l. p. 222*

tim uirtutibus praedicandis prolixius immorarer; sed quid faciam? nouam quamdam patior ex copia difficultatem. quid, inquam, faciam? quae Rhenus aut Uahalis uidit aggrediar? iam se mihi Sarmatica caede sanguineus Hister obiciet. attritam pedestribus proeliis Britanniam referam? Saxo consumptus bellis naualibus offeretur. redactum ad paludes suas Scotum loquar? compulsus in solitudines auias omnis Alamannus et uterque Maurus occurrent. cum igitur impediat turba dilectum, ad hoc tanti uiri gesta praestet in summam referre quam enumerando tenuare: dixisse sufficiat unum illum diuinitus extitisse, in quo uirtutes simul omnes uigerent quae singulae in hominibus praedicantur. an si eius saeculo mos ille uixisset quo Romani duces Macedonici Cretici Numantini de uocabulis gentium subactarum adoptiuum insigne sumebant: nonne hodie pauciora in annalium scriniis quam in uestrae domus titulis cognomenta legerentur? cum ipse Saxonicus, ipse Sarmaticus, ipse Alamannicus diceretur et, quantum tota res publica habet hostium, tantum una familia ostenderet triumphorum.

VI. Sed quid necesse est mitti in praeteritum diligentiam curiosam? patrem, imperator, tuum de te aestimemus; nec difficilis coniectatio est. nam cum duo sint quae claros duces faciant, summa uirtus summaque felicitas, scire obuium est qua praeditus fuerit felicitate *et uirtute* qui te genuit. o digna

2 nouam — 3 faciam *om.* **W** ‖ 4 Uahalis *Bert.:* Uacalis **B V** Vachalis **A C W** ‖ 6 britaniam **w**: batauiam **M** ‖ 7 scottum **M** ‖ 8 almanus **A** ‖ 10 dilectam **A** | tantum **A** | gesta praestet **A** *Bert.:* praestet (praestat **W**) gesta *cett.* ‖ 14 hominibus *scripsi l. l.:* omnibus **M** ‖ 15 uiguisset *Acidalius; an* reuixisset? ‖ 16 adoptiuum **w**: ad optimum **M** ‖ 17 hodie] his **W** ‖ 20 almannicus **A** ‖ 21 ostenderet et **A B V** ‖ 25 estimemus **A** *Bert.:* extimemus **B C V W** ‖ 27 qua praeditus fuerit uirtute qui te docuit, qua fuerit felicitate praeditus qui te genuit *Cusp.* praeditus *post* qua **A** *Bert.*, *post* felicitate **B C V W** *ponunt* ‖ 28 fuit **C** | et uirtute *addidi: om.* **M** | qui *om.* **A**

imperatore nobilitas eius esse filium principem qui princeps esse debuerit, qui hunc humani fastigii apicem non solum fortitudine atque sapientia, sed decore etiam corporis et dignitate potuerit aequare! uelut tua haec forma uenerabilis quam fortunae suae par est! quam longe lateque conspicua commendat imperatorem! ut plane in ambiguo sit utrumne te magis nostris mentibus uirtus an optutibus uultus insinuet. non frustra plane opinione sapientium, qui naturalium momenta causarum subtilius sciscitati arcanis caelestibus nobiles curas intulerunt, augustissima quaeque species plurimum creditur trahere de caelo. siue enim diuinus ille animus uenturus in corpus dignum prius metatur hospitium siue, cum uenerit, pro habitu suo fingit habitaculum siue aliud ex altero crescit et, cum se paria coniunxerunt, utraque meliora sunt: parcam arcanum caeleste rimari. tibi istud soli pateat, imperator, cum deo consorte secretum. illud dicam quod intellexisse hominem et dixisse fas est: talem esse debere qui gentibus adoratur, cui toto orbe terrarum priuata uel publica uota redduntur, a quo petit nauigaturus serenum, peregrinaturus reditum, pugnaturus auspicium.

VII. Dudum, ut uideo, dedignaris hanc gloriam, sed patere ea in laudum tuarum parte constitui quae soleant in aliis sola laudari. uirtus tua meruit imperium, sed uirtuti addidit forma suffragium. illa praestitit ut oporteret te principem fieri,

---

1 imperatore **W**: imp̄. **A** imp **V** impar **B** nuper **C** ‖ 2 humani ς: Romani **M** ‖ 4 etiam *del.* **w** ‖ 5 quam — 6 quam] quia — quia **w** | fortunae] formae **w** ‖ 7 imperatorem *scripsi:* imperium **M** | plane sit in (inde **B**) ambiguo sit **B V** ‖ 8 uirtus **A** *Bert.: om.* **B C V W** | optutibus **A**: obtutibus **C W** optatibus **V** optantibus **B** ‖ 9 sapientum **B C V W** ‖ 10 subtilibus **A** ‖ 14 dignum *iterat* **A** ‖ 15 fing. habit. pro habitu suo **B C V W**, *recte colloc.* **A** *Bert.* | aliud] alterum *Liuineius* ‖ 16 coniunx. **A**: iunx. **B C V W** ‖ 17 meliora **A**: maiora **B C V W** ‖ 20 a gentibus *edd.* ‖ 25 ea **A**: eam **B C V W** ea a me *Liuineius* | laudium **A** ‖ 26 soleant *scripsi:* solebant **M**

haec ut deceret. an uero quicquam putamus in imperii tui declaratione praeteritum, cum ductam esse rationem ipsorum etiam uideamus annorum? cuius quidem rei tanta fuit cura maioribus ut non solum in amplissimis magistratibus adipiscendis, sed in praeturis quoque aut aedilitatibus capessendis aetas spectata sit petitorum nec quisquam tantum ualuerit nobilitate uel gratia uel pecunia qui annos comitiali lege praescriptos festinatis honoribus occuparit. nec iniuria id quidem. nam et qui uenturi sunt in uirtutis adoptionem illo tamen adulescentiae lubrico, ut non cadant, titubant. an non clarissimos nominis Romani uiros (Sullas Catulos Scipiones loquor) aliquantisper sibi luxuria uindicauit? quos etsi ad portum mutati in melius flatus reuexerint, diu tamen uitiorum turbo iactauit et naufragos atque fluitantes ab illis quibus mersabantur erroribus aegre aetas recepit. bene igitur cuncta quadrarunt et ceteris quae innumera congruebant anni quoque suum iunxere suffragium, qui soli in homine perfecti bono duarum potiuntur aetatum, uirtute iuuenum et maturitate seniorum. prius fortasse imperium inire debueras ut diutius imperares, et sine exempli periculo. prouidebitur *tamen* ne quid amiseris: uita longiore pensandum quod ex praeterito perdidisti. parum interest quando coeperit quod terminum non habebit.

VIII. Hactenus in te praedicata sint, imperator, dona fatorum: nunc ad ea proferamus gradum quae tibi debes. neque enim tua illa praeterita bellicae rei gloria, quam per tot laborum experimenta quaesisti, ascribenda fortunae est. cui hoc nomine etiam succenseri potest quod quem sceptro et solio desti-

---

1 diceret **A** *et* **V** *m. 1* ‖ 4 tanta **A** *Bert.*: ita **B C V W** ‖ 13 sillas **w**: sullos **V** si illos **A B C** ‖ 14 luxoria **A** ‖ 15 flatus reuex. **A W**: reuex. flatus **B C V** ‖ 21 paciuntur ẹạṭị etatum **A** ‖ 22 debueras **ς**: debueris **M** ‖ 23 et *scripsi:* sed **M** ‖ 24 tamen *ego: om.* **M** ‖ 26 coeperit quod] cepit **C** ‖ 27 sint **A** ‖ 31 tui **A** | et succ. **B V** ‖ 32 suscens. **A**

nauerat numquam indulgenter habuit, sed ut seueri patres his quos plus diligunt filiis tristiores sunt, ita illa te plurimis bellis et difficillimis rei publicae temporibus exercuit, dum aptat imperio. et prius quidem quam ad illa ueniam quae aeui maturus egisti, summatim tuum illud attingam cum patre diuino castrense collegium, actas sub pellibus hiemes, aestates inter bella sudatas, dies noctesque proeliando aut uigilando consumptas, grauissimas pugnas terra marique pugnatas. non tam patiens Africanus prima rudimenta militiae sub Paulo patre tolerauit nec pari indole Hannibal puer tentoria Hispana successit nec futurarum spe certiore uirtutum Philippea castra Alexander nondum Magnus impleuit. quos etsi plurima laude dotauerit amplificatrix ueri uetustas, nihil tamen plus blandita praestitit quam ut eos in his annis secutos regum aut ducum castra uulgaret in quibus tu ita fortiter multa gessisti ut ea non tantum Alexander aut Africanus aut Hannibal uidere, dum discerent, sed parentes atque institutores eorum optassent facere, dum docerent.

IX. Quam tecta sunt semper consilia Fortunae! quis, quaeso, tum publicis rebus non putasset inimicum tuum illum a statione castrensi ad quietem receptum? enimuero illa futurum principem comens idcirco paulisper uoluit *te* esse priuatum ut, quia iam ad plenum bellicis artibus abundabas, usus ciuilis experiens sub otii tempore reddereris. quod ego tuum otium aliorum negotiis anteuerto. non enim te amoena litora nec dispositi ad temporum uices habuere secessus, sed siue tu agris siue oppi-

---

3 difficilius A ‖ 5 illam B C | ueniam] uenio A necessariam *uel* necessaria C ‖ 7 actus A ‖ 16 tamen] tam *Bert.* (?) | plus blandita C *Bert.*: blandita plus M ‖ 17 aut] ac A ‖ 18 non tam C ‖ 20 discerent docerent sed A ‖ 23 non *om.* W ‖ 25 condens *Wopkensius. an* componens? ‖ 26 te *ego: om.* M ‖ 28 quid C ‖ 30 te *om.* W ‖ 31 oppidis] opibus W

dis tempus dabas, rem et famam pariter augebas. et in urbibus quidem omnium aetatum ordinumque homines his aut illis beneficiis apprehendebas, amicorum commoda *praesentium*, absentium negotia assiduitate consilio re iuuabas. iam, si placuisset oppida rure mutare, ut tu uitae oblitus urbanae exsequebaris agricolam! audio etiam, imperator, et credo, saepe aliqua te laborum tibi ipsi iniunxisse et, ne contraheres torpore corporis ueternum, cuiusquemodi semper opere insidiantis otii tersisse rubiginem. sic agrestes Curii, sic ueteres Coruncani, sic nomina reuerenda Fabricii, cum induciae bella suspenderant, inter aratra uiuebant et, ne uirtus quiete languesceret, depositis in gremio Capitolini Iouis laureis triumphales uiri rusticabantur. inde est quod accepimus datos serentibus fasces et missas cum curulibus suis per rura palmatas, quod agricolas consulares pastoresque trabeatos et dictatores inter armenta uestitos. et illos quidem angusta res familiaris addicebat labori, ut quibus ipsis suburbani horti praecepsque Ianiculum et iugera artata pomerio uomere essent aut ligone uersanda nec iniuria opus reuerteretur ad dominos, cum deerant quibus iuberent. detrahit laudem patientiae inopia: maioris exempli est labor sine necessitate.

X. Gaudent profecto perpetuo diuina motu et iugi agitatione se uegetat aeternitas et, quicquid homines uocamus laborem, uestra natura est. ut indefessa uertigo caelum rotat, ut maria aestibus

---

1 rem; *puto* spem ‖ 4 praesentium *addidi: om.* **M** ‖ 7 etiam] enim *Schefferus* ‖ 8 ipsi *om.* **C**; *malim* ipsum ‖ 9 torpore corporis *scripsi:* torporis **A C W** corporis **B V** | cuiusquemodi *Liuineius:* cuiuscemodi **M** (eiuscemodi **W**) ‖ 15 est quod] quidem **W** ‖ 16 fasses **W** ‖ 17 suis] sellis *Puteanus* ‖ 19 et *scripsi:* sed **M** | augusta **A** ‖ 20 *post* quibus *Bert.* uidelicet *addit* | ipsi **w** ‖ 26 perpetuo *ante* profecto *iterat* **C** | perpet. diuin. *Bert.:* diuin. perpet. **M** ‖ 28 uestra **A C**: nostra **B V W**

inclinata sunt, ut stare sol nescit: ita tu, imperator, continuatis negotiis et in se quodam orbe redeuntibus semper exercitus es. uix tecta Hispana successeras: iam Sarmaticis tabernaculis tegebaris. uix emerita arma suspenderas: iam hosti armatus instabas. uix Hiberum tuum uideras: iam Histro praetendebas. ne tum quidem, cum in altiorem prouectus gradum iubere tantum et diuidere cum negotiis otium et parta gloria uelut reposito frui posses, honori operans remisisti quin omnium castrensium munerum numeros primus aut cum primis obires, stare pro signis, excubias sorte agere, uallum ferre, locum bello antecapere, speculatum egredi, castra metari, in proelium primus ire, proelio postremus excedere, dux esse consilio, miles exemplo: ut iam tum posset intellegi alios imperatori pugnare, te tibi. illud tamen prae ceteris mirum quod, cum omnia faceres uti imperare deberes, nihil tamen faciebas ut imperares.

XI. Argumento est dies ille communis boni auctor quo tu, cum ad suscipiendam rem publicam uocabaris, oblatum imperium deprecatus es; nec id ad speciem tantum qui cogi uidereris, sed obnixe et diu et uelut impetraturus egisti. quippe aberat causa fingendi. non enim te princeps solus et domi et tamquam temptaret ambibat, sed publice et in comitio et ut aliud iam facere non posset; prorsus ut, nisi imperium affectu simplici noluisses, potueris uelle securus. expostulari hoc loco tecum rei publicae uerbis necesse est, quae in summam tua cuncta-

1 inclinata *scripsi:* inquinata M inquieta w ‖ 6 histro castra pretend. w ‖ 7 tum] tū A ‖ 8 cum] tum C V ‖ 10 honori A: honore B C V W onere *Puteanus, del. Schefferus* | operans *scripsi:* operam M ‖ 11 numerum numeros A ‖ 12 ferre ς: ferire M ‖ 16 tum] tamen B V | ibi C ‖ 21 cum tu B V ‖ 22 nec id ad *Bert.* w: neci das M (nec das r u netidas m) ‖ 23 tantum qui *scripsi:* tantumq; ut M *Bert.* (quantumque ut B) ‖ 27 *malim* ut qui aliud ‖ 29 expostulare W ‖ 30 summa C W

tione formidinem a media spe relapsa tali aliqua te profecto, sed quam solus audires, uoce conuenit: 'parumne me, Theodosi, hactenus distulere fata ut tu insuper temptes moras augere fatorum? an nescis rem tuam per momenta consumi? nescis me tibi tuisque decrescere? quicquid atterit Gothus, quicquid rapit Hunnus, quicquid aufert Halanus, id olim desiderabit Arcadius. perdidi infortunata Pannonias, lugeo funus Illyrici, specto excidium Galliarum. principum senior in tanta bella non sufficit; alter, etsi futurus sit aliquando fortissimus, adhuc tamen paruus est. tu dubitas excipere collapsam et, ut nihil differas, sero reparandam? hanc mihi gratiam refers quod te etiam felix desideraui? quod cum me Nerua tranquillus, amor generis humani Titus, pietate memorabilis Antoninus teneret, cum moenibus Augustus ornaret, legibus Hadrianus imbueret, finibus Traianus augeret, parum mihi uidebar beata quia non eram tua? quid tu mihi faceres, si iuris tui esses? orat, ecce, te dominus meus, orat, ecce, te dominus adhuc tuus et qui posset cogere mauult impetrare. imperium, quod ab imperatore defertur, tam tibi nolle iam non licet quam uelle non licuit.'

XII. Solus igitur, Auguste, solus, inquam, omnium qui adhuc imperauerunt ut princeps esses praestitisti. alios empta legionum suffragia, alios uacans aula, alios affinitas regia imposuere rei publicae: te nec ambitus nec occasio nec propinquitas principem creauerunt. nam et eras a familia imperatoris alienus et adsciscebaris tertius et cogebaris inuitus, inuitus, inquam. audite hoc, publici parricidae, qui

---

1 formidine **w** ‖ 6 cothus **A B C V** ‖ 7 hunus **B r** chunus **A V** cunus **u** humus **m** ‖ 8 desiderauit **W** ‖ 14 refer **w** | quod] qui **C** ‖ 15 cum] tū **A** | me *om.* **W** ‖ 16 cum moribus Aug. *Balduinus* ‖ 21 tuus adhuc **B V** ‖ 22 *an* mauult ultro impetrare? ‖ 23 ibi **A** ‖ 26 restitisti *Acidalius*

oblita caede dominorum sceptra cepistis et periculo non minore quam scelere imperium uita paciscentis sanguinis pretio regium nomen emistis: repulsam patitur principatus et unus est ambitus candidati ne declaretur. credetne hoc olim uentura posteritas et praestabit nobis tam gratiosam fidem ut nostro demum saeculo annuat factum quod tantis infra supraque temporibus nec inuenerit aemulum nec habuerit exemplum? sed qui uitae tuae sectam rationesque cognouerit, fidei incunctanter accedet nec abnuisse dubitabit imperium sic imperaturum. illi enim, illi auide regna desiderent quos soluta legibus uita delectat, quorum crudelitas indemnatos necandi, cupiditas priuata rapiendi, libido honesta foedandi ius atque impunitatem requirunt. quid tua intererat te principem fieri, qui futurus eras in imperatore priuatus? nisi forte in te hodie aut pudicitiae remissior cultus aut minor sanguinis humani metus aut alienae rei maior est appetitus. idem es qui fuisti et tantum tibi per te licet quantum per leges licebat. ius summum facultate et copia commodandi, non securitate peccandi experiris. unum tibi praestitit principatus ut certum habeamus omnes etiam sub imperatoribus aliis uixisse te legibus tuis. nam qui nihil facit licenter cum potest, numquam uoluit.

XIII. Quin ubi primum te imperio praestitisti, non contentus ipse citra uitia recessisse aliorum uitiis corrigendis curam adiecisti; idque moderate, ut suadere potius honesta quam cogere uidereris. et quia uel longo orientis usu uel multorum retro principum remissione tantus quosdam luxus infecerat ut

---

1 obliti ς | caede] sede **C** fide *edd.* || 2 paciscentes **w** || 4 ne dederetur **W** || 6 gratios.] gloriosam *edd.* || 14 ius] uim *Eyssenhardtus. an* usum*?* || 15 importunitatem **A** || 23 haberemus *edd.* || 25 libenter **W** || 26 ubi] tibi **C** || 27 citra *Hauptius Herm. IV p. 332:* ultra **M** *Bert.* | aliorum **A** *Bert.:* alienis **B C V W** | uitiis] unus *Bert.* || 28 curaui **A**

adulta consuetudo lasciuiae hautquaquam facile uideretur obtemperatura medicinae, ne quis se pati iniuriam putaret, a te uoluisti incipere censuram et impendia palatina minuendo nec solum abundantem recidendo sumptum, sed uix necessarium usurpando dimensum, quod natura difficillimum est, emendasti uolentes. an quis ferret moleste ad principis semet modum coherceri? aut subtractum sibi doleret priuata luxuria, cum uideret imperatorem rerum potentem, terrarum hominumque dominum, parce contenteque uiuentem, modico et castrensi cibo ieiunia longa solantem; ad hoc aulam omnem Spartanis gymnasiis duriorem, laboris patientiae frugalitatis exemplis abundantem; neminem unum inueniri qui auderet ad penum regiam flagitare remotorum litorum piscem, peregrini aeris uolucrem, alieni temporis florem?

XIV. Nam delicati illi ac fluentes, quales tulit saepe res publica, parum se lautos putabant nisi luxuria uertisset annum, nisi hibernae poculis rosae innatassent, nisi aestiuam in gemmis capacibus glaciem Falerna fregissent. horum gulae angustus erat noster orbis. namque appositas dapes non sapore, sed sumptu aestimantes illis demum cibis acquiescebant quos extremus oriens aut positus extra Romanum Colchus imperium aut famosa naufragiis maria misissent, quos inuitae quodammodo reluctantique naturae hominum pericla rapuissent. ut taceam infami saepe dilectu scriptos in prouinciis aucipes ductasque sub signis uenatorum cohortes militasse

---

3 et *del.* **w** || 5 recidendo *Gronouius obs. II c. 22:* reiciendo **M** || 7 nolentes **W** || 8 dol. de priuata *edd.* dol. stipendium priuata *Cusp.* || 12 solantem; **W** *marg.* al soluentem || 13 ginnasiis **W** || 18 quales *Liuineius:* et quales **M** || 21 aestiua — glacie *edd.* || 22 augustus **A** || 24 aestimantes **A** *Bert.: om.* **B C V W** metiebantur **w** || 28 pericula **B C V W** || 29 delectu **A** | aucupes **w** || 30 dictasque **W**

conuiuiis: nonne cognouimus cuiusdam retro principis non prandia, sed fercula saepe sestertium millies aestimata patrimoniorum equestrium pretia traxisse? tuae, imperator, epulae mensis communibus parciores locorum ac temporum fructibus instruuntur. hinc certatim in omnes luxuriae pudor, parsimoniae cultus inoleuit et quiescentibus legum minis subiit quemque priuatim sui poenitentia. sic est enim, sic est: exasperat homines imperata correctio, blandissime iubetur exemplo.

XV. Sed cum haec et ad hunc modum cetera mores hominum et instituta formarint, tum nihil abdicandis uitiis adoptandisque uirtutibus impensius sentio profuisse quam quod his te uiris semper dedisti quos affectare publica deberet imitatio quique quam faciles tibi fuissent [sequaces] discipuli tam ceteris expetendi essent magistri. ut de his sileam quos tibi primus ille nascentis imperii dies obtulit tantis uirtutibus praeditos ut non pro copia sumpti, sed ex copia uiderentur optati: quos tu postea qualesque legisti quibus prouinciarum custodiam, quibus militaris rei summam, quibus consiliorum tuorum arcana committeres? ergo cum duplex fuerit iste dilectus, unus ex iudicio, alter ex fato, incertum meliores uiros sapientia tua an fortuna quaesiuerit, cum tales uel acceptos habeas uel repertos ut et illi meruerint teneri et isti debuerint cooptari.

XVI. Ecquis imperatorum umquam putauit amicitiae cultum in regia laude ponendum? humilis haec uirtus dubiumque an uirtus iudicabatur nec

---

2 saepe sed fercula **M**, *transposui* | miles **B V** || 4 mensibus **C** || 8 priuatum **w** || 9 *audire mihi uideor nescio cuius poetae iambos hos:* correctio homines imperata exasperat; blandissime iubetur exemplo pio || 15 deberet publica **W** | quique *Bert.:* qui **M** || 16 sequaces *del. Barthius:* sequacesque *Cusp.* || 20 quos *edd.:* quot **M** *Bert.* || 27 tueri *et* coaptari **A** || 28 ecquis *edd.:* nec quis **M** || 29 humilium **W**, *sed in marg.:* al humilis

palatiis digna, sed pergulis habebatur. inde facilius inueneris qui pecuniam ex aerario quam qui ex animo fidem prompserit. optimos *ille aut* ille ditabat, non etiam diligebat: prodesse nouerat, amare nesciebat. tu amicitiam, nomen ante priuatum, non solum intra aulam uocasti, sed indutam purpura, auro gemmisque redimitam solio recepisti reque, non uerbis, asseruisti principis mentem tanto in suos benigniorem esse debere quanto sit fortuna praestantior, cum fide ac facultate paribus agas et familiaribus tuis imperator tribuas quod priuatus optaras. quamquam quae cupere *per* uota potuerunt quod plerique te principe consecuti sunt? nec nunc de his honoribus loquor quos in quemcumque conferre imperatori necesse est. dux aliquis euehitur: exigit disciplina castrorum. praefectus attollitur: imponendum est prouinciis caput. consul creatur: habiturus est nomen annus. ita in summis illis pulcherrimisque beneficiis est aliqua praestantis utilitas. a te noua benignitate is amicis honos habitus est qui totus esset illorum quibus deferebatur; nihilque ex eo ad te redundauit nisi dandi uoluptas. cui cum essent domi filii, geminae illae spes oculique rei publicae, dilatis eorum magistratibus amicos consulatus ornauit. si mehercule uir ille diuinus, felicitatis publicae auctor, parens tuus, uiueret, quid aliud expectasset a filio quam ut nepotibus anteferretur? praebuisti igitur tu amicis quo plus nec patri praestare potuisses. o beniuolentiae tuae singulare consilium! auges tempore dignitatem quae incrementum ex magnitudine

---

1 pergulis *Gronouius obs. II 22:* periculis **M** ‖ 3 prompserit *Bert.:* prompserint **M** | optimos **w**: optimus **M** | ille aut ille *ego:* ille **M** | dicabat **A** ‖ 7 reque] ireque **A** rebus **w** | uerbo **C** ‖ 8 suis **A** ‖ 12 cupere *scripsi:* capere **M** | per *addidi: om.* **M** ‖ 16 atoll. **A** | prouinciae *edd.* ‖ 21 ad te *om.* **A** | redundauit *Wopkensius:* redundaret **M** ‖ 22 essent cum **C** ‖ 24 consulatu *edd.* ‖ 27 prebuisti **W**: prefuisti **A B C V** praestitisti *edd.*

non habebat. renuntiantur amici ante filios tuos consules, quia non poterant plus esse quam consules.

XVII. Eat nunc sui ostentatrix uetustas et illa innumeris litterarum uulgata monimentis iactet exempla. Pirithoi fidem praedicet et decantatum omnibus scenis Phocaei iuuenis laudet officium; Pinthiam etiam, si uidetur, dicat et Damona, quorum alter in amici mortem se uadem obtulit, alter ad diem uadatae mortis occurrit. ut haec esse uera credamus quae mendaciis uatum in plausus aptata cauearum fidem tempori debent, num praestare credendo plus possumus quam ut istos qui amicitiae laude censentur amicorum fuisse quam sui diligentiores putemus? sed cum instituente natura plus fere filios quam nosmet ipsos diligamus, omne uincit exemplum qui amicos his praetulit quos sibi praeferebat. et tu quidem ad exonerandam debentium uerecundiam quae in tuos confers non uis uideri praestare, sed reddere. geramus tibi morem et beneficiorum summas tuorum pro tua uoluntate ducentes, quicquid familiaribus tuis tribuis, non expendi, sed potius rependi putemus. enimuero cum leuiter cognitos aut etiam semel uisos his honoribus ditas quibus et amici possent esse contenti: nonne omnibus uis probare amicum tibi esse qui bonus sit? cuicunque quid publici mandatum fuerit officii, praemium spondetur et redditur. sibi humilitatem et tenebras suas imputet iacens uirtus quae non obtulit se probandam. quod conscientiae tuae sufficit, honoratus est qui probatus.

4 uetustas et **w**: uetusta sed **A** uetustas sed **B C V** || 6 Perithoi **W** || 7 pinthiam **A B V**: Phithiam **W** pithiam **C** || 9 morte **M**, *corr. Acidalius* || 16 uincit **A V**: uicit **B C W** || 17 et *Acidalius:* sed **M** || 22 potius sed **M**, *transpos. Liuineius* || 24 semel *post* honoribus *iterat* **C**, *unde* honor. simul *edd.* || 25 uis **w**: suis **M** || 26 publice **W** || 27 fuit **A** || 30 est honoratus **B V**

XVIII. Uelim tamen dicas unde, cum tantis promissa persoluas, quid cui promiseris scias nec te uel rei publicae cura uel ipsa illa beneficiorum tuorum turba confundat, ut parcior tardiorue tempore quem modoue decipias. quis debitor uerecundus ita mutuum ad diem reddit ut tu quod promittis appendis? nec imponi neglegentibus arbitreris. cotidie in beneficia tua quaerimus et memoriam conuenimus et, ne singulis insidietur obliuio, cum altero quisque conferimus. unum inuenire non possumus cuius spem atque expectationem non dicam fefelleris, sed, quae delicatior est querela, distuleris. solamne me, imperator, beniuolentiam tuam mirari putas? at ego miror etiam memoriam. nam cui Hortensio Luculloue uel Caesari tam parata umquam affuit recordatio quam *cito* tibi sacra mens tua loco momentoque quo iusseris reddit omne depositum? utrum tamen ipse te admones? an, ut illi maiestatis tuae participi deo feruntur assistere fata cum tabulis, sic tibi aliqua uis diuina subseruit, quae quod dixeris scribat et suggerat? nihil ita primoribus labris polliceris quin promisso fidem subdas et uerba re sancias. nemo iam, nemo beneficia quae dederis ab eo credit tempore computanda quo dederis, quia tam sunt certa quae spondes ut tum uideantur accepta, cum spondes.

XIX. Iam illud ipsum quod ante promittis, nonne de summo purissimae mentis candore proficiscitur? nam cuius est animi nec uota hominum fatigare nec adhibere muneribus artem difficultatis, sed denuntiare praestanda, ut et prolixior sit sensus bonorum nec repentina felicitas faciat attonitos et similes reddat ingratis? animos enim nostros subitis affectibus in-

1 premissa **A** perm. **B** || 3 illa ipsa **B V** || 4 parcior *edd.*: paucior **M** || 6 appendas **C** || 7 in *del.* **w** || 15 Cesar **A** || 16 cito *ego: om.* **M** || 17 te ipse **C** || 21 labris **A w**: laboris **B C V** || 22 resancias **C V** resantias **A B** resarcias **w** || 26 id ipsum **C** || 27 purifice mentis **W** || 29 partem **w** || 32 imperares **B V**

pares perinde laetitia ut dolor, si deprehendat, externat. an non illa Romana pietatis notissimae mater nuntio mali Cannensis exterrita, filio reduce quem flebat, diriguit in mortem nec par esse gaudio potuit quae superfuerat orbitati? conscius igitur caelestis arcani et naturalium depositorum mauis hominibus sperata procedere quam insperata superuenire beneficia. nec immerito. namque fugitiua successuum repentinorum uoluptas ut occupat, sic relinquit: felicitas longior est expectare securum. itaque cum hactenus a natura esset statutum ut bona sua homines ante nescirent et tum primum inciperent felicitate gaudere, cum coepissent esse felices: tu promittendo praestanda inuenisti tempus quod nobis natura subtraxerat, ut quos adepta solum iuuabant etiam adipiscenda delectent.

XX. Pari benignitate cum plures afficere honoribus uelles quam honorum loca admitterent et angustior esset materia uoluntate nec mentem tuam quamuis diffusum caperet imperium, quem nondum aliquo prouexisti gradu tamen dignatione solatus es. atque haud scio an quibusdam consolatio ista suffecerit. ille cohonestatus affatu, ille mensa beatus, ille osculo consecratus est. ita omnibus qui te principe sibi iure confiderent aut processit dignitas aut satisfecit humanitas: humanitas, inquam, quae tam clara in imperatore quam rara est. nam cum indiscreta felicium pedisequa sit superbia, uix cuiquam contingit et abundare fortuna et indigere arrogantia. cuius quidem ita maiores nostros pertaesum est ut grauiorem semper putauerint seruitute contemptum

1 ut *ego:* aut **M** ac *edd.* || 6 maius **A B** || 7 separata **A** || 12 ante *om.* **C** || 17 Prari **A** || 18 augustior **A** || 20 diffusum *edd.:* diffusam **M** || 21 es solatus **C** || 22 quibusdam consolatio **B C V w**: quibus clam consulatio **A** || 23 cohonestus **M**, cohortatus **w** || 24 principem **A** || 28 pedissequa **C W** || 29 contigit **B V** | indicere **A** || 30 pertaesum **A** *Bert.:* semper pertaesum **B C V W** || 31 semper *del.* **w**

eiusque inpatientia sint coacti post bellatores Tullos Numasque sacrificos et Romulos conditores regnum usque ad nomen odisse. denique ipsum illum Tarquinium execratione postrema hoc damnauere maledicto ut hominem libidine praecipitem, auaritia caecum, immanem crudelitate, furore uecordem uocauerint superbum; et putauerunt sufficere conuicium. quod si per rerum naturam liceret ut ille Romanae libertatis assertor, regii nominis Brutus osor, precariae redditus uitae saeculum tuum cerneret studiis uirtutis parsimoniae humanitatis imbutum ac refertum, nullum toto orbe terrarum superbiae libidinis crudelitatis extare uestigium, iam te ipsum qua publice qua priuatim [uideret] priscorum duritia ducum, castitate pontificum, consulum moderatione, petitorum comitate uiuentem: mutaret profecto sententiam tanto post suam et, cum Romanam dignitatem ac libertatem probaret meliore in statu imperatore te esse quam consule se fuisset, necessario fateretur Tarquinium submoueri debuisse, non regnum.

XXI. Sed quod facere magnas urbes ingressi solemus, ut primum sacras aedes et dicata numini summo delubra uisamus, tum fora atque gymnasia et pro suis extenta porticibus ambulacra miremur: ita in laudibus tuis sanctos Palatii ritus et priscis aequanda caerimoniis instituta uenerati gradum ad illa proferemus quae in medio constituta et ad publicos uisus patentia non parti, sed in commune conducunt, nec parietibus, sed orbe clauduntur, nec tecto, sed caelo operiuntur. uelut primum illud est

2 mumasque **A** ‖ 3 Tarquinum **M** ‖ 4 hec **A** | damnauere **w**: damna ue **A** damnauerunt **B C V** ‖ 5 ut *et* 6 uocauerint *Acidalius:* et — uocauerunt **M** ‖ 9 assertor **A**: *om.* **B C V W** autor *add.* **w** | nomine **A** ‖ 14 uideret *seclusi* ‖ 19 fuisset *edd.:* fuisse **M** (fuisse se **B**) ‖ 20 Tarquinum **M** ‖ 22 sacras edes **w**: sacra sedes **A** sacras sedes **B C V** ‖ 24 ambulagra **M** ‖ 27 proferimus **M**, *correxi.* proferamus *Acid.* | et **A** *Bert.: om.* **B C V W** ‖ 28 uisus *scripsi:* usus **M** | patentia **w**: patientia *uel* pacientia **M** facientia *edd.*

(ne statim summa capiamus) quod creber egressu expectantibus populis te fateris nec uideri modo patiens, sed facilis adiri e proximo accipis uota hominum tuorum, ut, quisquis ille consultor est, etiamsi meruerit (quod est rarum) repulsam, ferat tamen uisi numinis conscientiam. at quam alter illorum principum mos fuit (quos loquar, notum est) qui maiestatem regiam imminui et uulgari putabant, nisi eos intra repositum Palatinae aedis inclusos tamquam aliquod Uestale secretum ueneratio occulta consuluisset, nisi intra domesticam umbram iacentes solitudo prouisa et silentia late conciliata uallassent. quin si quando in lucem uenire et diem ferre potuissent, lecticis tensisque subuecti et densissima circum supraque cooperti uirorum armorumque testudine sensim atque ad numerum mouebantur. tum longe populus abigebatur nec otiosa uiatoris manus plebem uerbere submouebat ut secretum esset in publico. at noster hic omnibus spectandus offertur nec magis communem hunc diem atque solem quam nostrum imperatorem uideri licet. quin cum uicinum habeant permissa fastidium, numquam iste mirantes explet oculos. magis magisque uisus expetitur et, nouum dictu, praesens desideratur.

XXII. Miremur in urbibus tuis et a tuis populis te uideri? quem fere nulla in solo suo natio externa non uidit, idque ita crebro ut paene tam notus sit barbaris uultus iste quam nobis. nec frustra, cum aestates omnes foris, hiemes domi ducens ciuibus hostibusque pari sorte anni spatia diuiseris et, si qui forte sunt barbarorum qui nondum uirtutis tuae

---

1 summa] samina A; *an* cacumina? | capiamus W: captamus A B C V captemus *edd.* || 2 expetentibus *Wopkensius* || 4 omnium tuor. *Liuineius* || 6 uisi w: ut si M *Bert.* | quam C: quanto M *Bert.* | aliter *edd.* || 7 loquor W || 8 inuulgari A || 10 aliquod] aliud *Bert.* || 12 consiliata A C consciliata B || 19 offertur A: affertur B C V W || 22 habebant promissa C || 24 nouum] mirum w || 26 fere] uere A | solio C

fulmen exceperint, nominis terrore percussi et uelut afflati quiescant. tua enim, imperator, auspicia non haec tantum gentes tremunt quas ab orbe nostro siluarum interualla uel flumina montesue distinguunt, sed quas aeternis ardoribus inaccessas aut continua hieme separatas aut interfusis aequoribus abiunctas natura disterminat. non oceano Indus, non frigore Bosforanus, non Arabs medio sole securus est: quo uix peruenerat nomen ante Romanum, accedit imperium. dicamne ego receptos seruitum Gothos castris tuis militem, terris sufficere cultorem? dicam a rebellibus Saracenis poenas polluti foederis expetitas? dicam interdictum Scythis Tanain et inbelles arcus etiam fugientis Albani? quaecumque natio barbarorum robore ferocia numero grauis umquam nobis fuit, aut boni consulit ut quiescat aut laetatur quasi amica, si seruiat. Persis ipsa rei publicae nostrae retro aemula et multis Romanorum ducum famosa funeribus, quicquid umquam in principes nostros inclementius fecit, excusat obsequio. denique ipse ille rex eius dedignatus antea confiteri hominem iam fatetur timorem et in his te colit templis in quibus colitur, tum legatione mittenda, gemmis sericoque praebendo, ad hoc triumphalibus beluis in tua esseda suggerendis, etsi adhuc nomine foederatus, iam tamen tuis cultibus tributarius est.

XXIII. Nec tamen, imperator, existimes cuncta me ad aurium gratiam locuturum: triumphis tuis Galli (stupeas licebit) irascimur. dum in remota terrarum uincendo procedis, dum ultra terminos rerum metas-

---

1 flumen **C** | uelut *om.* **C W** || 3 hec *ego:* hee **A W** he *cett.* || 8 Bosphor. **B u** || 9 accedit **w**: accidit **M** || 10 receptum *Bert.* | ad seruitium *edd.* || 12 Sarrac. **A W** | poluti **W** soluti *Acidalius* || 13 canain **A** || 14 fugientes **A** || 15 ferocia aut num. *Bert.* feroci anumero **A** | grauius **A**; *an* grauior? || 16 fuit nobis **W** | aut quiescat **B V** || 21 se *post* dedign. *add.* **w** || 25 esedra **w** tuā essedā **V** | nomine] non est *edd.* || 28 me *om.* **W** | Galli **A W**: gallicis **C V** galicis **B**

que naturae regna orientis extendis, dum ad illos primae lucis indigenas et in ipsum, si quod est, solis cubile festinas, inuenit tyrannus ad scelera secretum. o quam paruis ueniunt mala summa principiis! sic in ultimum prope Italici generis excidium ecfracto Cn. Lentuli ludo mirmillonum agmen emicuit. sic bella consulibus ancipiti Marte pugnata Cilix pirata conflauit. sic tenentibus arma fugitiuis Romana diu pila cesserunt ferro ergastulorum. quis non ad primum noui sceleris nuntium risit? nam res infra dignitatem iracundiae uidebatur, cum pauci homines et insulani totius incendium continentis adolerent et regali habitu exulem suum illi exules orbis induerent? at quantos parturiebat Fortuna motus! quantum rei publicae malum pestis augenda, quantam tibi gloriam restinguenda seruabat, praecipue cum perfidia ducum, defectione legionum contra rem publicam foret uersum, quicquid pro re publica fuerat armatum!

XXIV. Nolo tamen usquequaque miserorum uel factum onerare uel fatum, qui, dum carnifici purpurato tua se et affinitate et fauore iactanti infeliciter credunt, grauissimum omnium nefas fecerunt affectu innocentium. intellego quam difficilem in locum scopulosumque deuenerim. nam cum reuolui illud lustrale iustitium aures tuae respuant, laudes petant gloriaeque intersit ad praesentium commendationem bonorum mala decursa reputari, contra uero clementia summa in beneficiis suis malit im-

---

2 si quod solis cubile est **B C V W**, *recte* **A** *Bert.* ‖ 3 *post* festinas *in* **W** *lacuna unius fere lineae; margo:* Hic ē defect' magn' ī testu ‖ 4 summa mala **C** ‖ 5 effracto **w**: et fracto **M** ‖ 6 Gn. **M** ‖ 7 cilex **M** ‖ 8 tenentibus *edd.:* terentibus **A C** *Bert.* terrentibus **B V** ferentibus **w** ‖ 10 sceleris hominem nuntium **C** ‖ 12 insulam **M** ‖ 15 pestis *edd.:* petis **M** petit **w** ‖ 16 restringuenda **A** ‖ 18 foret — republica *om.* **C** ‖ 24 affectum nocentium **M**, *corr.* **w** ‖ 29 clementiam summam beneficii sui **M**, *correxi.* clementia summa beneficium suum *edd.*

minui quam tristium enumeratione cumulari: necesse me erit uel tacentem publica incommoda uel loquentem aut ingratum uirtuti aut onerosum esse pietati. sed tamen, imperator, exiguam sensibus tuis iniunge patientiam. nam si dulcis in bonis miseriarum recordatio est, si nautas tempestatum, si medicatos iuuat meminisse morborum: cur non tu quoque mala nostra audias ut tua beneficia recognoscas? unde igitur ordiar nisi de tuis, mea Gallia, malis? quae ex omnibus terris, quas illa pestis insederat, haut iniuria tibi uindicas priuilegium miseriarum non auribus modo, quarum sensus est leuior, sed coram oculis ferre compulsa uictoriam Maximi, interitum Gratiani. alta licet uulnera, quod fatendum est, proximus nobis Italus et contiguus ostendat Hispanus: sed in dolore summo habet suum uterque solatium. tyrannidem ille non uidit; hic tyrannicidium uidit. nos primi impetum beluae furentis excepimus, nos saeuitiam eius innocentium sanguine, nos cupiditatem publica paupertate satiauimus. aput nos semet exercuit crudelitas iam secura et adhuc inops auaritia. alibi malum publicum aut coepit aut destitit: in Gallia sedit.

XXV. Quis se nobis calamitate contulerit? tyrannum et cum aliis tulimus et soli. quid ego referam uacuatas municipibus suis ciuitates, impletas fugitiuis nobilibus solitudines? quid perfunctorum honoribus summis uirorum bona publicata, capita diminuta, uitam aere taxatam? uidimus redactas in numerum dignitates et exutos trabeis consulares et senes fortunarum superstites et infantum sub ipso sectore ludentium flendam securitatem, cum interim miseri uetabamur agere miseros, immo etiam coge-

---

2 me erit **A** *Bert.*: erit me **B C V**, *om.* **W** ‖ 3 uirtuti] ueritati ς ‖ 4 sed tum **A** ‖ 6 medicatos *scripsi:* medicos **M** ‖ 8 igitur] ergo **W** ‖ 16 summo] suo **C** ‖ 25 quid ergo **A** ‖ 29 acre **C** ‖ 31 infantium **B V** ‖ 33 agere] plangere **w**

bamur mentiri beatos et, cum domi atque secreto solis coniugibus ac liberis credidissemus furtiuum dolorem, procedebamus in publicum non nostrae fortunae uultu. audires enim dicere delatorem: 'quid ita ille tristis incedit? an quia pauper ex diuite est? non enim se uiuere gratulatur? quid ita hic publicum atratus incestat? luget, credo, fratrem, sed habet filium.' ita fleri non licebat amissa metu reliquorum. serenos ergo nubilis mentibus uultus induebamus et ad illorum uicem qui degustato Sardorum graminum suco feruntur in morte ridere imitabamur laeta maerentes. est aliquod calamitatum delinimentum dedisse lacrimas malis et pectus laxasse suspiriis. nulla maior est poena quam esse miserum nec uideri. spes inter haec nulla praedonis explendi. nec enim, ut natura fert, copiam satietas sequebatur. crescebat in dies habendi fames et pariendi rabiem parta irritabant. ut aegrorum sitim potus accendit, ut ignis arentibus non obruitur, sed augetur: ita coactae publica egestate diuitiae auiditatem ieiunae mentis acuebant.

XXVI. Stabat ipse purpuratus ad lances et momenta ponderum nutusque trutinarum pallens atque inhians exigebat. comportabantur interim spolia prouinciarum, exuuiae exulum, bona peremptorum. hic aurum matronarum artibus extractum, illic raptae pupillorum ceruicibus bullae, istic dominorum cruore perfusum appendebatur argentum. numerari ubique pecuniae, fisci repleri, aera cumulari, uasa concidi, cuiuis ut intuenti non illud imperatoris domicilium, sed latronis receptaculum uideretur. sed tamen latro raptis abutitur et ablata aliis subinde reddit nec ideo

---

6 non enim; *malim* nonne miser | hic **A** *Bert.:* in **B C V W** || 12 deliuim. **A** || 13 lexasse **A** || 17 pariendi *scripsi:* parandi **M** praedandi **w** || 18 *post* ignis **w** *add.* lignis || 20 ieiunie **A** || 23 trinarum **A** || 26 artibus *scripsi:* manibus **M** inauribus *Lipsius* crinibus *Acidalius* || 29 fiscus **w** || 30 cuiuis **w**: cuius **M** | ut *del.* **w** || 32 subiñ *scripsi:* ut sibi **M** *Bert.* uel sibi **w**

uias saltusque obsidet ut thesaurum struat atque defodiat et cum scelere miser sit, sed ut gulae uentrique suppeditet nec desit sumptus impendiis. nam et effundit et neglegit eadem quaerendi et perdendi facilitate. noster ille pirata, quicquid undecumque conuerrerat, id nobis sibique periturum in illam specus sui charybdim congerebat. charybdim loquor? quae cum plena nauigia sorbuerit, dicitur tamen reiectare naufragia et contortas fundo rates Tauromenitanis litoribus exponere. bona nostra ad aerarium una et perpetua uia ibant: nullas eorum reliquias, nulla fragmenta uel sero uicta fastidio illa communis uorago reuomebat.

XXVII. Est improborum principum postrema defensio auferre donanda et inuidiam rapinarum magnitudine munerum deprecari. quae (malum) ratio est abstulisse omnibus quod nullus habiturus sit? et priuatorum quidem auaritiae, licet mala, tamen aliqua defensio est: timetur inopia et reponitur senectuti et prospicitur heredi. quam affert causam concupiscendi qui quantum ubique est habet? quin ego, si fas piumque mortalibus aestimare caelestia, nullam maiorem esse crediderim principum felicitatem quam fecisse felicem et intercessisse inopiae et uicisse fortunam et dedisse homini nouum fatum. itaque imperatori propriam maiestatem bene aestimanti non tam illud uideri suum debet quod abstulit quam quod dedit. nam cum intra ipsum uoluantur omnia et, ut ille qui cuncta ambit oceanus quas suggerit aquas terris recipit e terris, ita

---

1 seruat **A** ‖ 3 suppeditet *Bert.* **w**: suppedit et **A** suppetit et **B C V** | ne **w** | subtus imp. **A B C** | impediis **A** ‖ 4 perdendi et quaerendi **C** ‖ 6 conuenerat **B C V W** conuexerat ς ‖ 7 caribdim *bis* **M** ‖ 9 tauromentanis **A** ‖ 13 forago **A** | remouebat **C** ‖ 14 principum] ciuium **C** | extrema def. **W** ‖ 15 donanda] donando **W** donandi gratia *edd.* ‖ 18 quidem *om.* **W** ‖ 23 crediderim esse **B C V W** ‖ 26 bene *om.* **C** ‖ 27 suum uideri **C**

quicquid in ciues manat a principe redundet in principem: et rei et famae bene consulit munificus imperator. lucratur enim gloriam, cum det pecuniam reuersuram.

XXVIII. Sed illi quidem stulta omnis ratio captandae laudis uidebatur. qui praeter insitum pessimo cuiuis boni contemptum summam felicitatem habendi ac nocendi fine determinans non solum ut quam plurimum quaereret, sed ut nihil cuiquam reliqui faceret laborabat. nec enim, qui regibus mos est, exerendis inuigilabat metallis ut latentia naturae bona in usum arcesseret et pararet innoxias nullo pauperiore diuitias. parum ille pretiosum putabat aurum quod de montium uenis aut fluminum glareis quaesitor Bessus aut scrutator Gallaicus eruisset: illud purius splendidiusque credebat [quod dedissent dolentes], quod hominum lacrimae, non amnium aquae abluissent nec e terrenis specubus egestum, sed e ceruicibus iugulisque caesorum esset ecfossum. sic, cum immitis tyranni et stilus timeretur et gladius, transierat in uota paupertas et, ut possemus effugere carnificem, optabamus subire sectorem. quod si cui ille pro ceteris sceleribus suis minus crudelis fuisse uidetur, uestrum is, uestrum, Balio triumphalis et trabeate Merobaudes, recordetur interitum: quorum alter post amplissimos magistratus et purpuras consulares et contractum intra unam domum quendam honorum senatum uita sese abdicare com-

1 redundat **M**, *corr. Liuineius* || 7 cuiuis *Schefferus:* cuius **M** eius **w** cuique *edd.* | c̃temptum *scripsi:* exemplum **M** exempli odium *Cusp.* || 11 exerendis **w**: exercendis **M** egerendis *Acidalius* || 12 accresceret **B** accesceret **V** arcesceret **A C** arc≡esceret **W** || 15 gallaicus **B V**: gallaitus **A** galliacus **C** gallicus **w** || 16 quod dedissent dolentes **B C V W** *habent, recte om.* **A** || 19 et fossum **A** effossum *cett.* || 20 timetur **W** || 23 cui ille **A** *Bert.:* ille cui **B C V W** ille cui uestrum **w** || 24 *utrumque* uestrum *del.* **w** | is] si **C** | Balio tr. et trabeate Merobaudes *Puteanus:* Uallio tr. et trabeati merobandis (merolaudis **A**) **M**

pulsus est, alteri manibus satellitum Britannorum gula domi fracta et inusta femineae mortis infamia, ut scilicet maluisse uir ferri amantissimus uideretur laqueo perire quam gladio. sed in illos fortasse speciales putaretur habuisse odiorum causas tyrannus. steterat enim uterque in acie Gratiani et Gratianus utrumque dilexerat. quid de his dicemus qui honorum ac principum nescii et tantum inter suos clari nobiles animas sub carnifice fuderunt?

XXIX. De uirorum mortibus loquor, cum descensum recorder ad sanguinem feminarum et in sexum cui bella parcunt pace saeuitum? sed nimirum graues suberant inuidiosaeque causae ut unco ad poenam clari uatis matrona raperetur. obiciebatur enim atque etiam probabatur mulieri uiduae nimia religio et diligentius culta diuinitas. quid hoc maius poterat intendere accusator sacerdos? fuit enim, fuit et hoc delatorum genus qui nominibus antistites, re uera autem satellites atque adeo carnifices, non contenti miseros auitis euoluisse patrimoniis calumniabantur in sanguinem et uitas premebant reorum iam pauperum, quin etiam, cum iudiciis capitalibus astitissent, cum gemitus et tormenta miserorum auribus ac luminibus hausissent, cum lictorum arma, cum damnatorum frena tractassent, pollutas poenali contactu manus ad sacra referebant et caerimonias quas incestauerant mentibus etiam corporibus impiabant. hos ille Falaris in amicis habebat, hi in oculis eius atque etiam in osculis erant; nec iniuria, a quibus tot simul uotiua ueniebant: auaro diuitum bona, cruento innocentium poena, impio religionis iniuria.

7 dicemus ς: dicimus **M** || 11 fem.] mulierum **w** || 12 pace *Franc. Modius:* parce (parte **A**) **M** *Bert.* non parce **w** || 14 clarinatis *Bert.* || 15 etiam exprobrabatur *edd.* || 20 miseros **A** *Bert.: om.* **B C V W** | euoluisse] spoliasse **w** || 25 frena] funera *Liuineius* || 28 Phalaris **B C W** || 30 simul *om.* **W**

XXX. Tandem in nos oculos deus retulit et bonis orientis intentus ad mala nostra respexit et hunc sacerrimo capiti obiecit furorem ut foedus abrumpere, ius fetiale uiolare, bellum edicere non timeret. an ego sine diuino numine factum putem ut, qui sub nomine pacis ludere et primi sceleris poenas lucrari quiescendo potuisset, secundum tertiumque uexillum latrocinii ciuilis attolleret et superatis Alpibus Cottiis Iulia quoque claustra laxaret tibique, imperator, imponeret seruanti adhuc ueniae fidem uincendi necessitatem? agebat eum, credo, praecipitem uindicanda iam proximo ultore res publica et extinctus aperto dominus parricidio poenas ab eo debitas expetebat. non illud confidentia, sed amentia; non temeritas, sed necessitas erat. nec ultro lacessebat ille te bello, sed ulterius non poterat se negare supplicio. alioquin quomodo tantam concepisset audaciam ut ruere in ferrum et obuiam morti uenire tam ignauus et timens mortis auderet, ut qui se non potuerit postea uel uictus occidere? et te quidem, imperator Auguste, ad asserendam rem publicam usurpandamque uictoriam suffecisset in bella uel solum uenire. nam si olim domini aduersum rebelles seruos dimicaturi flagra in aciem detulerunt tantaque uis conscientiae fuit ut ab inermibus uerterentur armati et qui obtulerunt mortibus pectora darent terga uerberibus: nonne tu quoque legionibus seditiosis rem totam uisus egisses?

XXXI. An sustinere te coram et solum oculorum tuorum ferre coniectum ille quondam domus tuae neglegentissimus uernula mensularumque serui-

---

1 uos **C** || 2 nostra *om.* **A** || 9 coctus **A** || 10 seruatim **C** || 11 fidem] finem *Bert.; malim* spem || 14 non id **C** || 16 non poterat *om.* **C** || 17 quomodo *edd.:* quando **M** || 19 ignarus **C** || 21 te quidem *edd.:* equidem **M** || 24 dimicatim **C** || 26 obtulerant *Rhenanus* || 28 seditiosis *scripsi:* otiosis **M** || 31 nerula **C** | seruilium *om. Bert.*

lium statarius lixa potuisset? non statim totius subisset hominem praeteriti sui tuique reputatio? non sibi ipse obiecisset te esse triumphalis uiri filium, se patris incertum; te heredem nobilissimae familiae, se clientem; te omni retro tempore Romani exercitus ducem *et* libertatis patronum, se orbis extorrem patriaeque fugitiuum? iam uero te principem in medio rei publicae sinu, omnium suffragio militum, consensu prouinciarum, ipsius denique ambitu imperatoris optatum; se in ultimo terrarum recessu, legionibus nesciis, aduersis prouinciarum studiis, malis denique auspiciis in illud tyrannici nominis aspirasse furtum? postremo tecum fidem, secum perfidiam; tecum fas, secum nefas; tecum ius, secum iniuriam; tecum clementiam pudicitiam religionem, secum impietatem libidinem crudelitatem et omnium scelerum postremorumque uitiorum stare collegium? res ipsas interrogemus et, quae certissima coniectatio est, colligamus gerenda gestis. num tandem dubitari potest quid fuerit eo praesente facturus quem non uidit et fugit?

XXXII. Quamuis igitur, imperator, hoste tali abutereris nec tam ad proelium conserendum quam ad supplicium de nefario capite sumendum uenires, consiliis tamen tantis tantisque rationibus bellum administrabas ut cum Perse aliquo decertaturus aut Pyrrho aut cum ipso illo Hannibale uidereris. nam primum fidem regum quibus limes orientis ambitur data atque accepta dextera firmas, quo foris securus agitares, si nihil sollicitum et suspectandum domi reliquisses. tum copias tuas trifariam diuidis ut et

1 totius *scripsi:* totum **A** *Bert. om.* **B C V W** ‖ 2 praeterita **M**, *corr. Eyssenhardtus* | tui suique recordatio **C** ‖ 3 sibi ipse **A** *Bert.:* ipse sibi **B C V W** ‖ 5 clientem *edd.:* ditem **M** (di[m]tem **W** *cum signo corruptelae*) | retro omni **C** ‖ 6 et *addidi* ‖ 12 malis *Bert.:* nullis **M** ‖ 15 et religionem *Bert.* ‖ 27 ipso illo *Bert.:* illo ipso **M** ‖ 29 firmas *edd.:* signas **M** *Bert.* ‖ 30 et expectandum **W** ‖ 31 tunc **M**

hostis audaciam multiplicato terrore percelleres et fugam circumfusus ambires. postremo populis barbarorum ultroneam tibi operam ferre uouentibus commilitii munus indulges ut et limiti manus suspecta decederet et militi auxiliator accederet. hac tua benignitate pellectae omnes Scythicae nationes tantis examinibus confluebant ut quem remiseras tuis barbaris uidereris imperasse dilectum. o res digna memoratu! ibat sub ducibus uexillisque Romanis hostis aliquando Romanus et signa, contra quae steterat, sequebatur urbesque Pannoniae, quas inimica dudum populatione uacuauerat, miles implebat. Gothus ille et Hunnus et Halanus respondebat ad nomen et alternabat excubias et notari infrequens uerebatur. nullus tumultus, nulla confusio, nulla direptio ut a barbaro erat. quin, si quando difficilior frumentaria res fuisset, inopiam patienter ferebat et quam numero artarat annonam conparcendo laxabat, pro omni praemio omnique mercede id unum reposcens ut tuus diceretur. quanta est uirtutis ambitio! accipiebas beneficium quod imputaras.

XXXIII. Memorabile putauit antiquitas quod Actiaco aliquando bello ducibus molibusque Romanis peregrina Aegyptus arma permiscuit; tantumque res credita est habere nouitatis ut, nisi frequenter isset in litteras, aput posteros uideretur facti fides laboratura. nam quis annalium scriptor aut carminum tuas illas, Cleopatra, classes et eborata nauigia et purpurea cum auratis funibus uela tacuit? quin ita

1 hostis audaciam] hostes *Bert.* | percelleres **w**: precelleres **M** ‖ 3 ferre *Bert.* **w**: ferri **M** | fouentibus **W** ‖ 4 commilitii munus *scripsi:* commilitum unus **M** (commilitū munus **W**) commilitonum munus *edd.* ‖ 5 hac *ego:* ac **A** qua **B C V W** ‖ 8 uideris **M**, *corr.* **w** ‖ 10 hostis aliquando Romanus *om.* **A** ‖ 12 impleuerat **M**, *corr. Liuineius* ‖ 13 illic et **w** | hunus (humis **A**) **M** | alanus **B C V W** ‖ 15 uerebatur **A** *Bert.:* ferebatur **B C V W** ‖ 18 artaret **A** | comparciendo **w** ‖ 21 imputares **M**, *correxi* ‖ 23 acciaco **B C V W** | molibusque *scripsi:* motibusque **M** moribusque *edd.*

crebro historia decantata est magis ut ab isdem saepe dicta quam ut ab aliquo intermissa uideatur. non contendam duces (nec enim principem nostrum non dicam uictus Antonius, sed uictor Augustus aequauerit): quid in ceteris saltim simile deprehendemus, maxime si rerum temporumque facies altrinsecus conferamus et hos illosque populos animorum subiciamus oculis? illos uela facientes data uentis classis attulerat: hi longum iter sub armorum fasce carpebant. illos peregrino igne suspirans regina pellexerat: hos amor laudis et participandae gloriae cura rapiebat. illos tepens Farus et mollis Canopus leuiumque populorum altor Nilus emiserat: hos minax Caucasus et rigens Taurus et ingentium corporum durator Hister effuderat. illos tenero perlucentes amictu et uix leue carbasum uitando sole tolerantes alterno concussa tinnitu sistra ducebant: hos loricis onustos inclusosque ferro fractae uoces tubarum ingentiumque lituorum clangor acuebat. quae tandem ulla collatio posset esse populorum, etiamsi tanta non esset dissimilitudo causarum ut ab illis fuerit Romani imperii appetita captiuitas, ab his repetita libertas? quo tibi, imperator, indignius uidebatur eius piaculi quemquam inueniri potuisse consortem cuius se barbarus agebat ultorem.

XXXIV. Sed illi quidem nefario sanguine belli primitias imbuentes par poenae culpaeque documentum fuerunt. testis es, Siscia, testis pulcherrimi, Saue, conflictus, si conflictus ille dicendus est quo ita in publicos proditores animi plenus miles inuasit ut eum nec numerus resistentium nec maximi

---

1 recantata **M**, *corr.* **w** | hisdem **M** || 5 deprehendimus *edd.* || 12 capiebat **W** || 13 leniumque **W** | alter **A** || 14 rigeus **A** || 17 tumitu **A** | ducebat **W** || 20 ulla ς: ut **M** (uel **W**) *del. Langius* || 23 indignius **A w**: indignus **B C V** || 28 es *Schefferus, ego:* est **M** | sithia **w** | pulcherrimi Saue *Schefferus, ego:* pulcherrimis (-mus **m r**) aue **M** *Bert.* pulcherrimus atie **w** pulcherrimi Sauae *Cusp.*

fluminis altitudo remorata sit quin, ut erat ex itinere longissimo anhelus atque puluereus, equos calcaribus incitaret, amnem nando coniungeret, ripam insiliret, paratos denique expectantesque deprenderet. sermo iste prolixior est quam illa res fuit. uix fluuium manus inuicta transierat: iam locum belli tenebat. uix hostem inuenerat: iam urguebat. uix pectora uiderat: iam terga caedebat. datur debito rebelle agmen exitio, uoluuntur impiae in sanguine suo turbae, tegit totos strages una campos continuisque funeribus cuncta late operiuntur. iam qui ad muros differenda morte properauerant aut fossas cadaueribus aequabant aut obuiis sudibus induebantur aut portas quas eruptione patefecerant morte claudebant. at quorum se fugae imperuius ripis amnis obiecit, trepidando collecti et alterum quisque complexi per abrupta glomerantur. spumat decolor cruore fluuius et cunctantes meatus uix eructatis cadaueribus euoluit utque se tibi posset speciali imputare militia, ipsum illum uexillarium sacrilegae factionis auidis gurgitibus absorbuit et, ne morti sepultura contingeret, cadauer abscondit. nonne utroque credendus tuae studuisse uindictae, et adiuuando uictoriam et occupando clementiam?

XXXV. En tibi alteram pugnam alteramque uictoriam. dilectas in proelium Marcellinus cohortes et ipsum factionis nefariae robur illa belli ciuilis Megaera rapiebat, tanto ceteris satellitibus audentior quanto exertiorem operam nauabat tyranno frater tyranni. quo quidem maxime tuus gaudebat exercitus, cum se ultro uideret lacessi. qui nihil magis timuerat quam timeri, adeo quidem ut castris ad

---

1 sit *edd.:* sint **M** | ex longissimo itinere **B C V W** ‖ 4 puratos **A** | deprehenderet **B C V W** ‖ 5 fuit *Acidalius:* fuerit **M** ‖ 8 debitore belle **A** debitore belli **B C V**, *corr.* **w** ‖ 10 stragis **A** ‖ 15 imperinus **A** ‖ 19 eluctatis **M**, *corr.* *Eyssenhardtus* ‖ 20 uexillarum **A B C V** ‖ 22 morti *Cusp.:* mortis **M** ‖ 26 delectas **M** deletas **w** ‖ 29 exerciorem **M**, execratiorem **w**

castra collatis, quod praecipiti die manum conserere non poterat, spe uictoriae in lucem uenturae peruigil ageret, tardum solem, desertorem diem, annuum noctis aestiuae tempus criminaretur. ecce lux tandem, et iam campus horrebat exercitu: diuisi in cornua equites, leues ante signa uelites, dispositae manipulatim cohortes et gradu pleno ferentes agmina quadratae legiones uniuersa late qua uisus agi poterat occuparant. nondum se uirtus experiebatur: iam disciplina uincebat. at postquam intra coniectum teli acies utraque promouit et effusis hinc inde iaculorum sagittarumque nimbis res uenit ad capulos, milites pristinae uirtutis, Romani nominis, imperatorum denique memores causam publicam manu agere. hostes uenditam operam, laceratam Italiam, spem in ferro reliquam cogitantes gladiatoria desperatione pugnare nec gradu cedere, sed in uestigio stare uel cadere.

XXXVI. At ubi impulsa acies fronsque laxata et fiducia in pedes uersa est, ire praecipites aut globo fugere et se inuicem festinando tardare. armati inermes, integri saucii, primi postremique misceri. miles urguere eminus cominus, gladiis hastis, punctim caesim ferire. alii poplitibus imminere, alii terga configere aut quos cursu non poterant continuare iaculis occupare. arma tela, equi homines, uiua perempta, prona supinaque corpora passim uel in aceruo iacere. illi mutilis excisisque membris reliqua sui

2 in lucem *scripsi:* cum luce **M** ‖ 3 animum **A** annum *Liuineius* ‖ 5 etiam **M** | exercitu **A** *Cusp.: om.* **B C V W**; et iam omnis campus *Cusp.* | diuis (dixi w) in cornu eq. **M** ‖ 11 iaculorum sagittarumque **A** *Bert.:* sagittarum **B C V W** ‖ 13 nomini **A** | imperatoris **w** ‖ 16 relinquam **A** ‖ 20 uersata est **M** ‖ 21 armati ermes **A** ‖ 24 poplitibus *Fr. Modius:* popli tibi **A** populi tibi **B C V** frontibus **w** ‖ 25 continuare *Bert.:* continari **A** continere **C W** contineri **B V** contingere *Gruterus* ‖ 26 tela iaculari hominum perempta **w** | tele **A** | equi *Liuineius:* qui **M** (& ui **V**) | uiua] uitia **M** (-cia **A**) ‖ 28 mutilis **B C V** *Bert.:* inutilis **A** inutiles **w**

parte fugiebant; hi dolorem uulnerum sequebantur; isti mortes receptas in siluas et flumina differebant, illic postremum spiritum in admiratione nominis tui et sui ducis detestatione fundebant. nullus finis caedendi insequendique, nisi subtraxisset aliquando uictoribus mors hostem et nox diem. at quanto melius manus illa consuluit quae submissis precabunda uexillis petit ueniam necessitatis et terram osculis premens calcanda uestigiis tuis corpora et arma proiecit! quam tu non superbe ut uictam, non irate ut ream, non neglegenter ut parum necessariam praeteristi, sed blande liberaliterque tractatam iussisti esse Romanam! iunguntur socia agmina et sub uno capite diuersa rei publicae membra coalescunt. ambo pari gaudio feruntur exercitus. hic opera sua gaudet, hic uenia: uterque uictoria.

XXXVII. Nec pia Haemona cunctantius, ubi te adfore nuntiatum, impulsis effusa portis obuiam prouolauit et, ut est omne desiderium post spem impatientius, parum credens patere uenienti festinauit occursare uenturo. fingit quidem, ut scimus, timor gaudium, sed ita intimos mentis affectus proditor uultus enuntiat ut in speculo frontium imago extet animorum. uelut illa ciuitas a longa obsidione respirans, quod eam tyrannus Alpibus obiacentem tamquam belli limen attriuerat, tanta se et tam simplici exultatione iactabat ut, ni esset uera laetitia, mimica uideretur. ferebant se obuiae tripudiantium cateruae. cuncta cantu et crotalis personabant. hic tibi triumphum chorus, ille contra

---

2 deferebant *edd.* ‖ 3 illi *edd.* ‖ 8 necessitati w ‖ 9 osculis *Acidalius:* in osculis M ‖ 14 diuisa *in* A *esse false refert Schefferus* ‖ 17 Hacinona *Bert.* ‖ 18 preuolauit w ‖ 23 fontium M *Bert.* (fortium C) | extat M, *corr. Liuineius* ‖ 25 subiacentem *Acidalius* ‖ 28 mimica *scripsi:* nimia M ut esse uera laetitia, uel quia nimia, uideretur *Acidalius* ut inesse seueris laetitia nimia uideretur *Withofius specim. Gunther. p. 83* ‖ 29 cotalis C

tyranno funebres nenias et carmen exequiale dicebat. hic perpetuum uictis abitum, ille uictoribus crebrum optabat aduentum. iam quocumque tulisses gradum, sequi circumcursare praecedere, uias denique quibus ferebaris obstruere. nullus cuiquam sui tuiue respectus: blandam tibi faciebat iniuriam contumacia gaudiorum. quid ego referam pro moenibus suis festum liberae nobilitatis occursum, conspicuos ueste niuea senatores, reuerendos municipali purpura flamines, insignes apicibus sacerdotes? quid portas uirentibus sertis coronatas? quid aulaeis undantes plateas accensisque funalibus auctum diem? quid effusam in publicum turbam domorum? gratulantes annis senes, pueros tibi longam seruitutem uouentes, matres laetas uirginesque securas? nondum omne confeceras bellum, iam agebas triumphum.

XXXVIII. Ibat interim Maximus ac te post terga respectans in modum amentis attonitus auolabat. nec ullum ille consilium ullamue rationem aut denique spem, quae postrema homines deserit, sequebatur: quin ipsos uiae implicabat errores et nunc dexter aut laeuus, nunc uestigiis suis obuius incertum iter ancipiti ambage texebat. quotiens sibi ipsum putamus dixisse: 'quo fugio? bellumne temptabo? ut quem uiribus totis ferre non potui parte sustineam? Alpes Cottias obserabo, quia *nil* Iuliae profuerunt? peto Africam quam exhausi? repeto Britanniam quam reliqui? credo me Galliae? sed inuisus sum. Hispaniae committo? sed notus sum. quid ergo faciam inter arma et odia medius? a tergo premor hosti-

---

1 uenias **M** ‖ 2 habitum **M** ‖ 3 iam quoquo *Bert.* ‖ 6 contumacia gaudiorum **A** *Bert.*: *om.* **B C V W** ‖ 7 ergo **A** ‖ 14 anus senes **w** | senectutem ς ‖ 18 aduolabat **C** ‖ 20 postremo *Bert.* ‖ 21 ipso se u. i. errore *Liuineius* ‖ 25 quem] quod **w** ‖ 26 obseruabo *Bert.* obserrabo **w** | nil *ego: om.* **M** | profuerunt] patuerunt **w** ‖ 29 notus] deuotus ς ‖ 30 intus **B V**

bus, a fronte criminibus. si morerer, euaseram. sed ecce, nec animum sequitur manus nec manum gladius: labitur ferrum, tremit dextera, mens fatiscit. o quam difficile est miseris etiam perire!' ergo ut clausae cassibus ferae quaesito diu exitu desperatoque consistunt et prae timore non fugiunt, ita ille ipso quo agitabatur metu alligatus in oppidum semet Aquileiense praecipitat non ut uitam resistendo defenderet, sed ne poenam frustrando differret. quamquam quae poterat ulterior esse dilatio? cum ita uestigiis eius ac tergo ardens miles insisteret ut paene omnem quae est secuta pompam ultio festinata praeceperit.

XXXIX. Recte profecto germana illa pictorum poetarumque commenta Uictoriam finxere pinnatam, quod hominum cum fortuna euntium non cursus est, sed uolatus. ille ab ultimo orientis sinu festinatis itineribus raptus exercitus, tot nationibus relinquendis, tot fluminibus enatandis, tot scandendis montibus fatigatus, in alio orbe et sub alio paene dixerim sole positus, spatio lucis unius Illyrico continuauit Aquileiam. nihil tamen sibimet hoc nomine milites tui uindicant et, si quando mirantium circulos contrahunt aut conuiuia nostra sermone producunt, operam omnem suam fine Alpium terminantes deberi sibi abnuunt illam celeritatem, quod expertes laborum peruenisse se uiderint quo ire non senserant. negant immo se suis uectos esse corporibus, sed, tamquam per aliquas imagines somniorum ferrentur absentes, praebuisse gestantibus uentis otiosorum ministeria membrorum. nec fides anceps. nam si olim seueri credidere maiores Castoras geminos al-

8 aquilegiense **A W** | defend. resist. **C** || 10 esse ulterior **W** || 12 pompam] poenam *Acidalius* || 13 preceperit **A w**: percepit **B C V** || 14 germania **A** genuina *Bert.* || 19 euacuandis **A**; *marg.* **W** al. euacuandis || 22 milites tui *om.* **C** || 23 uindicauit **C** || 29 ferrentur **A C**: fererentur **B V** ferentur **w**

bentibus equis et stellatis apicibus insignes puluerem cruoremque Thessalicum aquis Tiberis abluentes et nuntiasse uictoriam et imputasse militiam: cur non tuae publicaeque uindictae confessam aliquam immortalis dei curam putemus adnisam? nisi forte maiorem diuini fauoris operam res Romana poscebat Macedonico augenda regno quam tyrannico eximenda seruitio. ego uero, si caeleste studium pro dignitate causarum aestimandum sit, iure contenderim equites tuos Pegasis, talaribus pedites uectos ac suspensos fuisse. neque enim, quia se diuina mortalibus dedignantur fateri, idcirco quae uisa non fuerint dubitabimus facta, cum facta uideamus quae dubitauerimus esse facienda.

XL. Anguste fortunam tuam, imperator, expendit, quisquis id de te tantum quod fieri potest credit. an ego, cum ab Alpibus Iuliis otioso feriatoque ferro non proelium fuisse uideam, sed triumphum, dubitauerim illam specialem quandam felicitatis tuae dixisse militiam? scimus quidem, imperator, ita te cuncta administrasse ut non possint se tibi imputare successus, sed fatearis necesse est quantum te in bello tantum Fortunam tuam egisse post bellum. cui si uocem demus et indicem, nonne prolixe suam enumerabit operam et, ut uirtutibus tuis multa concedat, sibi aliqua uindicabit? et cur, quaeso, non demus ut accipiamus utriusque partis asserta, cum sit quae uicerit tua? audio Constantiam dicere: 'bellum atrox periculosumque suscepi'; memorare Patientiam: 'immensum iter *per* tempus anni graue semper armata, saepe ieiuna toleraui'; tenere Pru-

---

2 cruorem A || 4 confessa mali quam M, *corr.* w || 5 adnisam *Bert.*: aduisam A adnixam *cett.* || 6 feruoris A || 12 dubitauimus M, *corr.* w || 15 auguste A C || 24 iudicem M, *corr.* *Eyssenhardtus* || 26 uindicauit A || 30 per *addidi: om.* M || 31 saepe A *Bert.*: semper B C V W | tenere] referre *Liuineius* recensere *uel* tendere *Acidalius* iterare *Wopkensius*

dentiam: 'partita sum militem et multiplicaui arte terrorem'; asserere Fortitudinem: 'bis conflixi cum hoste, bis uici'; omnes postremo clamare: 'quid tibi debemus, Fortuna, quam fecimus?' sed si illa dicat: 'ego properationem militum iuui, ego fugam hostium praepediui, ego Maximum in muros coegi et quem uos cogebatis mori uiuum domino reseruaui': non uideo quod possit esse iudicium quin, cum ista pars imputet tyranni fugam, illa custodiam, res publica quae utrique pariter obnoxia est ita utramque coniungat ut fateatur semet uni uictoriam, alteri debere uindictam.

XLI. Sed nec tu debitam gratiam beneficii infitiator abiuras. nam etsi per te confeceris quae uolebas, per fortunam tamen plus adeptus es quam uolebas. agedum, si uidetur, praeteritas cogitationes tuas consule et uota conueni. num amplius sperauisti quam ut Maximus tibi nuntiaretur occisus, quam ut semiuiuum eius caput nondum clausis tota morte oculis ex acie referretur, quam *ad* summum ut fugiens resistensue caperetur? ceterum quando quod factum est uel optasti ut se tibi ipse seruaret, ut consciscere sibimet interitum nollet, licet posset? magno quidem, fateor, pectoribus humanis atque adeo maximo lux amori, interitus horrori est, sed quatenus aut ista optari potest aut ille uitari. at si ultima supra caput steterit hora et uenerit dies numquam reuersurus ac se confessa mors fuerit, non timentur extrema, cum certa sint. hinc reorum usque ad damnationem metus, postea attonitus stupor et ex desperatione securitas et ad locum supplicii

---

5 ego *prius ante* iuui **C** *ponit* ‖ 6 propediui **B C** ‖ 7 reseruari **A** ‖ 8 *malim* esse aliud iudicium ‖ 9 reip. **C** ‖ 11 uni semet **C** ‖ 14 obiuras **A** ‖ 20 ad **w**: *om.* **M** ‖ 22 tibi ille **C** ipse ille *Liuineius* ‖ 23 licet *scripsi:* et **M** ‖ 26 ille *in initio lineae repetit* **A** ‖ 29 sunt **M**, *corr. Acidalius* ‖ 30 attonitis **w**

uoluntaria carnifice non trahente properatio. ut de his taceam qui cum fatis fortius paciscentes incertum exitum certo occupauerunt, ut nihil de seruis loquar qui uerbera uitauere suspendio et motus heriles usque ad praecipitia fugerunt: quis umquam citra spem timuit? quis idcirco semet occidere noluit ut occideretur? nisi uero uel lenior manus aliena quam propria uel foedior mors priuata quam publica uel longior poena ferro incumbere et corpore uulnus onerare et recipere interitum statim totum quam supplicium diuidere, poplitem flectere, ceruicem extendere, plagam expectare fortasse non unam.

XLII. Et tamen quomodo ille secum ferro transigendum putabat? non potius ignem laminas crucem culleum et quicquid merebatur timebat? numquam profecto tam bene de sceleribus suis sensit ut mortem potuerit sperare qua periit. si igitur nec praesumere ueniam reus nec sperare fugam clausus nec mortem potuit timere moriturus et certo extremorum lenior uideri debuit uoluntarius quam coactus, honestior priuatus quam publicus, postremo breuior occupatus quam expectatus interitus: num cui dubium est in eo quod non habuit rationem fuisse Fortunam? illa, illa tyranni consilia caecauit, illa et animum eius obtudit et gladium, illa expeditam in uulnus manum perculsit et tenuit. nisi uero tu tuum, uenerabilis Gratiane, carnificem furiis comitatus ultricibus obsidebas et irata *ac* minax umbra ob os eius oculosque fumantes infernis ignibus taedas et

---

2 fortunis pac. **C** ‖ 5 precipitia **A w**: precipia **B C V** | citra *scripsi:* ultra **M** ultro semet timuit *Acidalius* ‖ 7 leuior **M**, *correxi* ‖ 9 uulcius **A** ‖ 11 ad supplicium **A** ‖ 12 expectare **A** *Bert.: om.* **B C V** accipere *add.* **w** ceru. extendere ad plagam fort. *edd.* ‖ 13 quomodo *Liuineius:* quando **M** ‖ 15 eculeum **w** ‖ 20 leuior **M**, *correxi* ‖ 23 *an* rationem sui? ‖ 24 *primum* illa *om. Bert.* ‖ 26 percussit **M**, *corr. Liuineius.* perculit *Schefferus* | tu *om.* **W** ‖ 27 furiis **w**: durus **M** diris *edd.* ‖ 28 ac *ego: om.* **M**

crepitantia torto angue flagra quatiebas ne morti honestae uacaret, ne regalem illum sacrosanctumque uestitum impio cruore pollueret, ne cultus olim tuus ac deinceps fratrum purus funestum sanguinem, uel dum uindicatur, acciperet, ne postremo te manus ulcisceretur tyranni et deberes Maximo uel suam mortem.

XLIII. Et plane ita cuncta ceciderunt ut non seruata modo ultio, sed ordinata uideatur. nam unde, quaeso, tam repentina conuersio ut qui oppetere timuerat interitum non timeret expetere et quem incluserat metus proferret audacia? hinc nulla iam reliqua festinandis rebus mora: actutum fortissimi duces instruendo accinguntur triumpho, capiti diadema decutitur, humeris uestis aufertur, pedibus ornatus euellitur, totus denique homo aptatur ad meritum. publice publicus spoliator exuitur, nectuntur manus rapaces, nudantur crura fugitiua, talis denique tuis offertur oculis qualem offerri decebat uictori captum, domino seruum, imperatori tyrannum. nec tu illum, qua es clementia, in conspectum tuum uenire uoluisses, ne oculos istos omnibus salutares homo funebris impiaret, nisi famam confutare mendacii teque purgare eodem teste quo insimulatore uoluisses. habet ultores, habet nescio quos internos mens scelerata carnifices aut ipsa sibi carnifex conscientia est aut, quod magis credo, omni seuerius est quaestione a te interrogari. ad primam tuam uocem nefario pectori excussa confessio est nec cunctari saltem aut mussitare potuit quin consilium omne nudaret, se uidelicet fauoris tui obtendisse

---

2 illum sanctumque *Bert.* || 3 ne cultus **w**: nec ultus **A** nec uultus **B C V** || 4 purus *scripsi:* futurus **M** || 11 et] ut *Bert.* || 12 hic **M**, *correxi* || 15 deducitur **W** || 18 fugitiuo **M**, *corr.* *Acidalius* || 19 dicebat **A** || 22 ne **A**: nec **B C V W** || 23 funeris **M** || 25 ultores *Schefferus, ego:* utres **A** utros **B C V** uero **w** | internos **A** || 27 aut quod — 29 confessio est *om.* **C** || 28 est quaestione *Bert.:* quaestione est **M** || 30 musitare **B C V W**

praetextum, quod aliter non potuisset allicere militum societatem nisi tui se auctoramenti finxisset actorem.

XLIV. Et post hanc tu uocem non illum in crucem tolli, non culleo insui, non discerpi in frusta iussisti? non postremo illam tanti ream mendacii linguam radicitus erui praecepisti cum eorum parte uitalium, quorum fuerat locuta commentum? quin iam coeperas de eius morte dubitare et deieceras oculos et uultum rubore suffuderas et cum misericordia loquebaris. sed bene est quod non omnia potes. tui te uindicant et inuitum. rapitur ergo ex oculis et, ne quid posset elicere clementiae, inter innumeras manus fertur ad mortem. ecce iterum, imperator, auerteris et illam tyrannici exitus relationem grauaris. iam, iam esto securus. geram clementiae tuae morem: quod noluisti uidere, non audies. huc, huc totas, pii uates, doctarum noctium conferte curas, hoc omnibus litteris linguisque celebrate nec sitis de operum uestrorum perennitate solliciti. illa quam praestare historiis solebatis ab historia ueniet aeternitas. uos quoque quibus secunda sors cessit dare famam rebus, artifices, uulgata illa ueterum fabularum argumenta despicite, Herculeos labores et Indicos Liberi triumphos et anguipedum bella monstrorum. haec potius, haec gesta sollertes manus ducant; his fora, his templa decorentur; haec ebore reddantur, haec marmore, haec in coloribus uiuant, haec in aera moueantur, haec gemmis augeant pretium.

2 tui se auct. *Bert.:* auct. tui se **M** (*sed* auct. tui se te **A**; se auct. tui se **C**) sui te auct. *Liuineius* | finxissent *Bert.* || 3 actorem *scripsi:* auctorem **M** *Bert.* || 5 nec culleo **A** non eculeo **w** | frustra **M** || 6 rei **C** || 13 ne *om.* **A B V** | licere posset **C** | elicere *scripsi:* licere **M** || 15 et] ad **W** || 19 litteris linguisque **A** *Bert.:* linguis litterisque **B C V W** || 24 *an* argum. deserite? || 25 Indicos **A:** modicos **B C V W** || 29 area **W** aerea **V** | moueantur] incidantur *Cellarius. an* incudantur?

XLV. Pertinet ad securitatem omnium saeculorum quod est factum uideri, ut, si quis umquam nefaria uota conceperit, monimentis nostrorum temporum recensitis per oculos hauriat innocentiam. quisquis purpura quandoque regali uestire humeros cogitabit: Maximus ei exutus occurrat. quisquis aurum gemmasque priuatis pedibus optabit: Maximus ei plantis nudis appareat. quisquis imponere capiti diadema meditabitur: auulsum humeris Maximi caput et sine nomine corpus aspiciat. scimus quidem nihil umquam nouandum, cum Romanum semper imperium aut tuum futurum sit aut tuorum: pertinet tamen ad genuinam rei publicae securitatem quod fieri non potest etiam non timeri. sed utcumque uirtutis tuae opera curiosae posteritatis oculis artificum manus reddet, cum te uel Alpium dorsa superantem uel flumina obiecta tranatantem uel agmen hostile triumphalibus uestigiis atterentem pictorum atque fictorum assequetur imitatio: clementia tua, imperator, quo caelo, quo pigmento, quo aere auroue ducetur? qua tu ipsius uictoriae uictor ita omnem cum armis iram deposuisti ut ceciderit nemo post bellum, certe nemo post Maximum. paucis Maurorum hostium, quos secum uelut agmen infernum morituros incluserat, et duobus an tribus furiosi gladiatoris lanistis in belli piaculum caesis, reliquos omnis uenia complexa uelut quodam materno sinu clausit. nullius bona publicata, nullius multata libertas, nullius praeterita dignitas imminuta. nemo affectus nota, nemo conuicio aut denique castigatione perstrictus culpam capitis aurium saltim molestia luit. cuncti domibus suis, cuncti coniugibus ac

---

4 recensetis **A V** || 6 cogitabat **A** || 8 nudis *Bert.:* nudus **M** || 13 geminam **M,** *correxi* || 14 et iam **A** | utcumque **B C w:** utrumque **A V** ut cuique *Bert.* || 15 operam **M** || 17 tranantem **C W** || 19 tua imp. *Bert.:* imp. tua **M** || 25 moriturus **M,** *correxi* | an tribus *ego:* autribus **A** aut tribus **B C V W**; *cf. p. 264, 14* || 27 omnes **w**

liberis, cuncti denique, quod est dulcius, innocentiae restituti sunt. uide, imperator, quid hac clementia consecutus sis. fecisti ut nemo sibi uictus te uictore uideatur. spectabas haec e tuis collibus, Roma, et septena arce sublimis celsior gaudio ferebaris.

XLVI. Tu, quae experta Cinnanos furores et Marium post exilia crudelem et Sullam tua clade Felicem et Caesarem in mortuos misericordem ad omne ciuilis motus classicum tremescebas, quae praeter stragem militum utraque tibi parte pereuntium extincta domi senatus tui lumina, suffixa pilo consulum capita, Catones in mortem coactos truncosque Cicerones et Pompeios fleueras insepultos; cui damna grauiora scissus in partes ciuium furor quam portis imminens Poenus aut receptus muris Gallus intulerat; cui Alliensi die Emathia funestior, Cannis Collina feralior tam altas olim reliquerunt cicatrices ut grauius semper tuam quam alienam experta uirtutem nihil tibi magis quam te timeres: uidisti ciuile bellum hostium caede, militum pace, Italiae recuperatione, tua libertate finitum; uidisti, inquam, finitum ciuile bellum cui decernere posses triumphum.

XLVII. Hactenus memet, imperator auguste, praeteritas res tuas attrectasse fas fuerit. at cum tempus admoneat meminisse praesentium, finem sermoni facere maluerim quam in amplissimi ordinis munus inuadere. dabitur utcumque uenia piae temeritati, si usurpasse communia, non occupasse uideamur aliena. licuerit mihi, quae in barbaris gentibus longinquisque prouinciis pro summa re

---

1 innocentiae quod est dulcius **B C V W**, *rectius* **A** *Bert.* || 4 e] et *Bert.* || 6 tuq; exp. **A V** || 14 parte sciū furor **A** ciuium *om. Bert.* || 16 halliensi **M** | die emacia **A**: diccinatia **W** diecmatia **B V** die cinatia **C** || 17 reliquerant **w** || 19 timeris **A** || 21 Italiae] ciuium **w** || 26 admoneat meminisse **A**: admō meminisse **B V** admonuisset **C** sit admodum meminisse **w** || 29 temeritati si] temeritatis **M** temeritati **w**

fortiter feliciterque fecisti, et annuente numine tuo et senatu fauente dixisse. ea uero, quae Romae gesta sunt, qualem te urbi dies primus inuexerit; quis in curia fueris, quis in rostris; ut pompam praeeuntium ferculorum curru modo, modo pedibus subsecutus, alterno clarus incessu, nunc de bellis, nunc de superbia triumpharis; ut te omnibus principem, singulis exhibueris senatorem; ut crebro ciuilique progressu non publica tantum opera lustraueris, sed priuatas quoque aedes diuinis uestigiis consecraris, remota custodia militari tutior publici amoris excubiis: horum haec linguis, horum, inquam, uoce laudentur qui de communibus gaudiis et dignius utique quae maxima et iustius poterunt praedicare quae propria sunt. o mea felix peregrinatio! o bene suscepti et exhausti labores! quibus ego intersum bonis! quibus paror gaudiis! quae reuersus urbibus Galliarum dispensabo miracula! quantis stupentium populis, quam multo circumdabor auditore, cum dixero: 'Romam uidi, Theodosium uidi et utrumque simul uidi; uidi illum principis patrem, uidi illum principis uindicem, uidi illum principis restitutorem'! ad me longinquae conuenient ciuitates, a me gestarum ordinem rerum stilus omnis accipiet, a me argumentum poetica, a me fidem sumet historia. conpensabo tibi istam, imperator, iniuriam, si, cum de te ipse nil dixerim quod legendum sit, instruam qui legantur.

---

1 et *om.* C ‖ 3 *post* gesta sunt *Cusp. add.* et geruntur ingeniis permittenda Romanis sunt ‖ 11 tutus *Bert.* ‖ 19 multis A ‖ 23 institutorem W ‖ 25 poetica *om.* A ‖ 27 *malim* cum, si de te | nihil C

INDEX.

ADDENDA UEL CORRIGENDA.

Restat ut addam quae absoluto opere corrigenda deprehendi. et in ipso quidem uerborum contextu scriptura codicum restituenda est:

p. 59, 6 boni principes.

p. 108, 13 pietatis uestrae erupit.

praeterea p. 89, 7 et 101, 19 CLAUDII itemque p. 90—116 in titulis paginarum CL. e Jaegeri exemplari praue transscriptum delendum est.

In adnotatione autem critica:

p. 18, 17 adde: edicere *Lipsius:* dicere M.

p. 36, 18 'omnia, omnia' iam Schwarzius,

p. 49, 16 'herus' Lipsius coniecerunt.

p. 59, 16 'caedes' u exhibet.

p. 110, 11 'atque' del. w; fort. recte, cf. praef. p. XIV.

p. 115, 14 lege 'ecquid *ego:* et quid M (et quod C).

p. 159, 17: curru w: curru et M

p. 173, 18 post 'tu quidem tuis ex *Bert.*' dele:

In nuperrimo Hermae fasciculo, VIII p. 245 sqq., M. Hauptius ut iterum duas emendationes dudum a me editas (p. 108, 4 'pares annis' et p. 115, 13 'felicitate uincitis sola'), ita alia protulit quae statim ita subiciam ut meas aliquot nouas suspiciones admisceam.

p. 103, 10 cum M praebeat 'sentit', fortasse scribendum est 'et *quam* uirtus uestra non sensit'. 'quam' iam Liuineius inseruerat.

p. 108, 10 latetne in 'ne uterque', quod **A** habet, 'neuter quippe'?

p. 143, 31 Hauptius proponit 'olim culta ueste et'.

p. 148, 8 sqq. uerbis 'dixi, Caesar inuicte, prope plura quam potui, sed pauciora quam debui' recte offensus Hauptius coniecit 'plura quam debui sed pauciora quam potui' nimis uiolento remedio. emendo 'plura quam uolui, sed pauciora quam debui'.

p. 161, 5 Hauptius emendauit 'a primo igitur originis tuae limine'.

p. 172, 30 fortasse ex scriptura libri **A** 'qui e. te' eliciendum est 'quine te'.

p. 182, 24 rectius interpungitur, ut Hauptius uidit, ita: dicet aliquis 'uetera ista'; sunt, et quidem eqs.

p. 188, 24 Hauptius proposuit 'uer elicit, rore aestas solidat, calore maturat' non recte illo 'uer elicit' tam nude posito. meum non muto.

p. 204, 7 conieci 'ad tua uexilla transisse'.

p. 232, 26 Hauptius 'aeternis titulis monumentisque' praeter necessitatem mutauit.

p. 259, 23 idem 'decet recordari' mauult. 'taedet' meum teneo.

p. 294, 26 idem 'aurum matronarum auribus extractum' correxit. sed non solum de inauribus, sed etiam monilibus et armillis et quaecumque aurea gestabant mulieres cogitandum est. — de 'artibus', quod teneo, cf. Neuius, lat. Form. I 376.

p. 312, 13 'genuinam' Hauptius quoque emendauit.